INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# E L E M E N T A
# AD FONTIUM EDITIONES
# XVII

## RES POLONICAE
## EX ARCHIVO MUSEI BRITANNICI
## II PARS

edidit

DR. CAROLUS H. TALBOT



NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1967

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA
(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

XI — Meysztowicz V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani.* Vaticani, 1943.

XII — Meysztowicz V., *De archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur.* Vaticani, 1944.

XIII — Savio P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt.* Romae, 1947.

XIV — Meysztowicz V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani.* (Ed. chirotypica, exhausta).

---

ANTEMURALE, I-XI, Roma, 1954-1967

---


INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# E L E M E N T A
# AD FONTIUM EDITIONES
# XVII

## RES POLONICAE
## EX ARCHIVO MUSEI BRITANNICI
## II PARS

edidit

DR. CAROLUS H. TALBOT



NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1967

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA DEGLI SCIPIONI, 284 - ROMA

EDITIONUM CURATORES:
VALERIANUS MEYSZTOWICZ
CAROLINA LANCKOROŃSKA

# CORRIGENDA

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| *pag.* | 60, | *lin.* | 19: | Colendissime | *lege* | Clementissime |
| » | » | » | 21: | vestre | » | et vestre |
| » | » | » | 22: | mihi | » | [ad] me |
| » | » | » | 29: | intentum | » | distentum |
| » | 61, | » | 1: | Cancellarii | » | Cardinalis |
| » | 69, | » | 21: | vestrum | » | nostrum |
| » | » | » | 38: | Ser.tem | » | Ser.tem quoque |
| » | » | » | 3: | alla | » | all |
| » | 166, | » | 25: | Poland | » | because he refused to give her M.te her stile alleadging that he owed the course of the Chancery of Poland so: |
| » | » | » | 26: | 9 | » | I |
| » | » | » | 26: | despatched | » | despatched one |
| » | 232, | » | 32: | aboade | » | abroade |
| » | 307, | » | 25: | PRAEMISLIA (Praemislo, Premisley), 180, 225. | » | PRAEMISLIA (Premisley), 180. PRAEMISLO, 225. |

# INDEX RERUM


| | | |
|---|---|---|
| Introductio | Pag. | V |
| Textus | » | 3 |
| Regesta documentorum | » | 267 |
| Index nominum propriorum | » | 303 |
| Index chronologicus | » | 311 |

# INTRODUCTIO

*Quum non parum intersit origo celeberrimae collectionis Cottonianae, ex qua hauritur maxima pars documentorum, quae in hoc volumine continentur, aliquot verba hic adicienda censemus.*

*Robertus Cotton natus est 22 Januarii anno 1571 apud Denton in finibus comitatuum Huntingdoniensis et Northamptoniensis. Missus ad scholam Westmonasteriensem praeceptorem habuit Guilelmum Camden, rerum antiquarum indagatorem strenuissimum, cum quo posteriore tempore amicitiam firmissimam fovebat. Ab anno 1586 pedem figit Londonii, et, notatu dignum, ea in parte, ubi frequentissimum cum custodibus documentorum officialium commercium haberet: nam domus eius et aulae Parliamenti et aulae Nobilium erat contigua. Iam ab avo suo collectam seriem codicum manuscriptorum pretiosissimam Robertus Cotton possidebat. Familia enim Cottoniana terras, aedificia, bona temporalia quorumdam monasteriorum vicinorum ab Henrico VIII annis 1536-40 dissolutorum acquisivit, inter quae codices manuscriptos bibliothecarum monasticarum probabiliter obtinuit. In hac collectione primordiali praevalebant codices manuscripti Anglo-Saxonici, chronica medii aevi, textus ad litteras humaniores spectantes, collectiones legum antiquarum et perplures codices Graeci.*

*Sed Robertus Cotton rebus politicis et religiosis sui temporis pro libitu magis incumbens, ad collectionem pristinam amplificandam aggregationi documentorum ad regna Henrici VIII, Eduardi VI, Mariae, Elizabethae et Jacobi I spectantium insistebat; inter quae non tantum documenta domestica Anglica requirebat, sed etiam quae alia regna concernebant. Haec omnia sive prece sive pretio multos per annos a magistratibus regni impetrabat. Sic factum est, ut perplurima documenta originalia Gallica, Hispanica, Russica, Polonica et caetera, quae a magistratibus regni in archivis regiis et publicis deponenda erant, in manus Roberti Cotton venerint.*

*Documenta sic acquisita, pro magna parte disparata, in voluminibus secundum magnitudinem paginarum ligata sunt, et in diversis armariis asservata. Quo faciliter ad manum haberet quidquid utile esset, Cotton super unumquodque armarium statuam truncam marmore sculptam imperatoris Romani instruxit, sed quoniam armaria erant numero quattuordecim, imperatores vero Romani duodecim, addidit reginam Cleopatram et Faustinam imperatricem. Ita singuli codices manuscripti designabantur primo nomine imperatoris, e.g. Galba, deinde tabula, in qua codex iacuit, e.g. A, B, aut C; denique ordine codicis in unaquaque tabula, e.g. XIII. Sic designantur codices manuscripti, Nero B II, Galba D XIII, Cleopatra E II, et caetera.*

*Possessio tam magnae collectionis manuscriptorum, in quibus fere omnes legum patriae, potestatis regis, privilegiorum nobilitatis, libertatum populi et iurium Parliamenti fontes continebantur, immensam Cottonio auctoritatem afferebat, ita ut potuerit sive regi, sive nobilibus, sive Parlia-*

*mento subvenire vel contraire. Quotiescumque enim ventilabatur quaestio de lege nova condenda, de iuris processu admittendo, de gratia regis concedenda, toties in consilium adductus est Cottonius, qui ex indagatione documentorum antiquorum rei veritatem revelare didicit. Hoc modo multorum sibi amicitiam comparavit, et in recognitionem talium servitiorum regi Jacobo accomodatorum Cottonius anno 1603 in equitem evectus est.*

*Sed sicut quibusdam profuit benefaciendo, ita aliis multis offecit contradicendo, et inde multi eum odio et inimicitia prosecuti sunt. Post mortem regis Jacobi I, qui ei favebat, et accessionem regis Caroli I inimici auctoritatem eius minuere vel penitus destruere moliti sunt. Undequaque circuentes ut occasionem invenirent, ultimo apprehenderunt opusculum politicum, quod potestatem regis et curialium subvertere videbatur, cuius textus originalis ex bibliotheca Cottoniana emanare iactabatur. Extemplo Cottonius sub arresto captus est, in carcerem coniectus; domus eius a custodibus armatis die ac nocte circumsepta est, bibliotheca clausa et sigillata, accessus ad eam et usus ei denegatus. Inter has angustias tristitia valde affectus e vita decessit 6 Maii 1631.*

*Post annos septuaginta bibliothecam Cottonianam per actum Parliamenti in usus publicos secernendam decretum est, et anno 1706 architectus basilicae Sancti Pauli, Christophorus Wren, commissionem accepit ut aedem Cottonianam renovaret et in bibliothecam publicam reformaret. Nihil autem factum fuit. Anno deinde sequenti per novum actum Parliamenti decretum est bibliothecam in manus Annae reginae et successorum eius in perpetuum devolvendam, et aedificium peculiare pro manuscriptis servandis erigendum. Hoc iterum inefficax fuit. Anno 1712 tota massa documentorum et librorum manuscriptorum aliam in aedem, vulgo Essex House dictam, advecta fuit, ubi fere viginti annos neglecta remansit. Denique anno 1731 collectio Cottoniana alio in loco, Ashburnham House, deposita incendio miserabiliter combusta fuit, ita ut centum quattuordecim volumina aut totaliter aut partim deperierint, et nonaginta octo temporum iniuria affecta sint. Ex hoc evenit ut hodie quamplures codices Cottoniani laesi appareant, marginibus et textu manci, in parte fere illegibiles. Sic, exempli gratia, codex Galba D. XIII, cuius textus in hoc volumine impressus est, quasdam lacunas praebet. Ultimo anno 1753 Bibliotheca Britannica fundata est, ubi collectio Cottoniana aliis collectionibus unita nunc servatur.*

*De quibusdam documentis hic impressis aliquid restat enucleandum. Codex Cottonianus Nero B. II continet regulas de residentia et iuribus Anglorum in civitate Elbinga servandis. Textus originalis in duabus columnis exaratus est, ita ut sententia Senatus a latere regularum scripta sit. In hoc volumine autem ut lector modo faciliori omnia apprehendat neque paginae quasi vacuae appareant, sententia senatus ad finem textus appenditur. Ex hoc evenit quaedam varietas in foliis designandis, quia sententia senatus quae occurrit, exempli gratia, in folio 137, imprimitur post textum regularum qui occurrit in folio 138.*

*Textus documentorum, quae continentur in collectione Cottoniana, sed quae iam patefacta sunt in aliis voluminibus huius seriei Elementorum, non repetuntur; regestum ergo sufficiat. Alia documenta, quae alibi publici iuris facta sunt, ut, exempli gratia, epistolae Rogeri Ascham, quae forsan ad manum lector non facile habet, in toto rediguntur.*

*Ut iam in praeviis voluminibus notavimus, nomina Polonica in his documentis generatim distorta reperiuntur, quia amanuenses sive Anglici*

*sive Germanici non bene intelligebant, de quo ageretur. In omnibus his casibus textum, ut apparet in codicibus, transcripsimus: eruditi viri Polonici, qui opes suas praebebant editori, lectiones omnes corroboraverunt, ita ut lector certus esse possit eas, etiam quando incredibiles videntur, veras esse.*

*Abbreviationes quasdam in notis apportavimus. Qui sequuntur tituli librorum plenius lectorem erudiunt:*

| | | |
|---|---|---|
| ACTA TOMICIANA | : | *Epistolae. Legationes. Responsa. Actiones. Res gestae Sigismundi, eius nominis primi, Regis Poloniae... sub Rev. M. Drzewicki Episcopo Premisliensi, P. Tomicki, J. Chojenski, S. Maciejowski, Episc. Cracoviensibus Cancellariis Regni Poloniae scripta. Per S. Gorski ... collectae, et in tomos XXVII digestae.* Posnaniae 1852. |
| C S P | : | *Calendar of State Papers, Foreign.* |
| FRANÇOIS | : | Michel François: *Lettres de Henri III.* Paris, 1959, 1965. |
| GILES | : | *The Whole Works of Roger Ascham, now first collected and revised with a life of the author by J. A. Giles.* 3 vols. London, 1865. |
| NOAILLES | : | Marquis H. E. de Noailles: *Henri de Valois et la Pologne en 1572.* Paris, 1867. |
| WARSCHAUER | : | A. Warschauer: *Mitteilungen aus der Handschriftensammlung des Britischen Museums;* Mitteilungen der Königlichen Preussischen Archivverwaltung, Heft XIII, Leipzig, 1909. |

*Ut ante iam diximus, quidam codices incendio aut temporum iniuria laesi, non paucas in textu lacunas exhibent. Quibusdam in locis veram lectionem ex exemplari eiusdem textus in bibliotheca Universitatis Cantabrigiensis asservato supplere potuimus: in aliis autem lacunam inter uncos reliquimus.*

*Ut assolet, gratias ago custodibus manuscriptorum in Bibliotheca Britannica, et omnibus aliis qui mihi in textu parando manus praebuerunt adiutrices.*

*Londonii, die 14 Augusti 1967*

C.H. TALBOT

*Ut iam in praeviis eiusdem Auctoris voluminibus, regulas Academiae Scientiarum Litterarumque Polonicae de interpunctione et usu maiuscularum Auctori anglico minime imposuimus; qua igitur in re et hoc volumen ab aliis nostris distinguitur (Editionum curatores).*

# TEXTUS

*N. 1.*

*S.l., s.d.* [*post 14 Augusti, 1616*]

*Ignotus* [*Wilhelmi Kettler secretarius?*]
*ad ignotum* [*Iacobum I regem Angliae*];
*exponitur « Discursus », in quo causa Wilhelmi et Friderici* [*Kettler*] *ducum Curlandiae, regis Poloniae feudatariorum, qui de violatione iurium nobilitatis Curlandiae aliisque factis citati et contumaces declarati, ab eodem rege ducatu Curlandiae privati sunt.*
*(exemplar), cum adnexis (NN. 2-11)*
*B.M. Royal 9 E.V.*

Discursus Causae Illustrissimi Principis Wilhelmi,
in Livonia Curlandiae et Semigalliae Ducis.

*F. 2r* Post quam Joannes Basilides Moscorum Tirannus totam provinciam Livoniae innumerabili milite ingressus misere devastasset, nec ulli sexui parcendo aliquod exemplum crudelissimi Tiranni praetermisisset, Incolae Livoniae ad neminem nisi Provinciae eiusdem Magistrum Teutonici Ordinis, olim Illustrissimum Gothardum Kettlerum confugere potuerunt. Qui etsi associatis Provinciae ordinibus Tiranno viriliter resistebat, tamen cum longe impar potentia esset, et diu frustra auxilium et opem S. Romani imperii implorasset, expectassetque, ultro communicatis cum Romano Imperatore et suis commendatoribus consiliisque, permittenteque Romano Imperatore sese cum tota Livonia reservatis sibi Curlandis et Semigallis Regno Poloniae subiecit. Nullum autem est dubium, quin Magister Livoniae, qui frustra implorasset Romani Imperii opem quemcunque potentiorem e vicinis Regibus eligere, seseque quibuscunque conditionibus illismet subiicere potuerit; ex singulari autem confidentia, quam de regno Poloniae viciniore saepius conceperat, et saepius contra suam Illustr-m tunc temporis idipsum testatum fuerat, sese eidem certis conditionibus et pactis subiecit, et ex Magistro primus Curlandiae in Livonia et Semigalliae Dux factus est, ita ut incolae horum ducatuum tam Nobiles quam ignobiles, in priori tempore ordini praestito iuramento permanserint, Supradunenses vero illo soluto Regni Poloniae fidem secuti fuerint, Sueciae Regi Erico et Ioanni postmodum remanente Estonia in Livonia.

In recompensam igitur tantae cessionis totius Livoniae Magister Gotthardus Kettler ceu Princeps Romani Imperii, pro primo Duce Curlandiae et Semigalliae a Regno Poloniae agnoscitur, et cum omnibus praeeminentiis, dignitatibus, immunitatibus, et Privilegiis ad instar Ducis Prussiae investitur, iusque cudendae tam argenteae quam aureae monetae, prouti tempore Ordinis habuit, illi conceditur, idque diplomate a sequentibus Regibus Poloniae (ut a Sigismundo Augusto datum erat): D. Stephano, et

moderna S. R. Maiestate confirmatur, quemadmodum diplomata in originalibus latius testantur.

Novus Dux Gotthardus, ut sibi Nobilitatem liberalitate et munificentia devinciret, /

*F. 2v* promptamque ad omnia haberet illius fidem et obsequia, satis ampla Nobilibus conferebat bona et praedia, intra quae integri districtus et arces continentur.

Nobilitas, ut primum possessionem paternorum bonorum apprehendit, de consuetudine inde a tempore Ordinis introducta, sub certa forma suo Duci debitum homagium fidelitatis praestitit, nec unquam veteri et laudabili huic mori maiorum suorum contrariata est. Ita ut novus Dux statum tam Ecclesiasticum quam Politicum, diuturno bello non nihil labefactum, in omnibus reformaverit, quassatumque restauraverit, et concordes prout illa tempora tulerunt inter sese et Principes et subditi vixerint.

Moriturus laudabilis Dux Gothardus, videns bina prole mascula a Deo se esse honestatum, communicatis cum equestri ordine et consiliariis suis rebus omnibus, testamentum sive ultimam voluntatem suam consignat, in qua quid post mortem in rebus suis agendum disponit, inprimis autem filios suos Fridericum in sextante, ita ut ille ob maiora onera in Ducatu ferenda duas partes Ducatus teneat, Wilhelmum natu minorem, in triente, ut ille tertiam partem Ducatus habeat, haeredes instituit, ita tamen ut sine dismembratione feudum eiusve iurisdictionem habeant, teneant, possideant, administrent, quin eo testamentarios perduxit, ut corporale iuramentum super testamento praestiterint, se nimirum et totam posteritatem ea omnia quae in illo continebantur fideliter et sine fraude observaturos.

Demortuo pio Principe Filius natu maior Fridericus possessionem et Regimen Ducatus aditurus, ad comitia Regni proficiscitur, ibidemque per solennem ritum porrecto vexillo feudali pro se et fratre suo Wilhelmo minorenni Ducatus sibi a patre relictos, a Sacra R. M-te et Regno in feudum accipit, Regique homagium debitum praestat.

Fridericus vigore paterni testamenti sub suprema tutela utrumque Ducatum administrat, tutelamque una cum caeteris tutoribus Fratris sui minorennis Wilhelmi gerit per integrum septennium.

Wilhelmus ut primum adolevit, iuxta paternum testamentum haereditatem suam adit, et sic quasi e manu tutoris Fratris sui Friderici capit possessionem, et administrat. Et ut id debite fieret, ad comitia Regni tendit, et quamvis frater Fridericus antea pro se et fratre suo Wilhelmo feudum recognoverit, tamen homagium etiam in persona praestat. Etsi autem nec S. R. M-tas, nec Senatores, nec ullus subditorum huic actui, vel accepto a Wilhelmo regimini contradixit, tamen Magnus Nollius paulo ante praestitum homagium Regi Regnique ordinibus nonnulla gravamina, in quibus duplex Regimen Principum fratrum impugnat, clam suggesserat, ita ut Rege et Senatoribus ea ipsa gravamina in deliberationem trahentibus actus homagii per binas /

*F. 3r* fere horas fuerit dilatus. Tandem Princeps Wilhelmus reiectis praetactis gravaminibus ad homagium praestandum admittitur.

Reversus Princeps ex [a)] Polonia in Ducatum suum cum fratre Friderico, pacta fraterna in quibus forma ratione commodioris regiminis, sustentationis, nec non exercendorum Iudiciorum, describitur, init, et scripto comprehendit.

Pacta ipsa nec consiliarii (hi enim ipsa manibus suis laudarunt), nec Incolarum quisquam improbavit, imo ad Instantiam utriusque Principis Legatorum in publicis Regni comitiis cum subscriptione manus modernae Regiae Maiestatis et omnium Senatorum nec non appressione utriusque tam Regni quam Magni Ducatus Lithuaniae et Senatorum omnium sigilli confirmata sunt, uti autographum penes Duces reservatum latius testatur.

Praeterea cum ob bellum Moschoviticum ingens aes alienum defunctus parens contrahere inque belli sumptus et impensas idipsum vertere coactus, post se insolutum reliquerit; et filii post mortem eius variis bellis et Piltensibus et Suecicis impliciti, indies per crebros militum Polonorum transitus variis modis vexati, devastataque terra illorum fuerat; hisce ut sese extricarent, mirum nemini videri poterit, si boni Principes aes alienum contraxerunt, nonnullaque bona hypothecarunt, et sic paterna debita solverunt, necessitatique suae consulerunt, cum et a moderna S. R. M-te ipsis indultum fuerit, ut sine requisitione et consensu vel Regis vel Regni mutuum quovis modo suppositis bonis contraherent, prout originale huius indulti regii latius infert.

Privilegia, Investituras, caeteraque omnia indulta a tribus Regibus ordinibusque Regni Poloniae concessa et firmissime stabilita, si quis sana cum mente de verbo ad verbum perlegerit, fateri cogitur, nihil in eis praetermissum vel omissum quod fundationem status Principum Curlandiae consolidare queat et debeat.

1. Quippe cum omnibus praeeminentiis, dignitatibus, titulis, insignibus, praerogativis, quae Principis statum, personam, et qualitatem decorant, augent et consolidant, Principes Curlandiae sunt investiti.

2. Ut non minus ius cudendae et argenteae et aureae monetae illis fuerit per singulare diploma concessum.

3. Item immunes hactenus et semper fuerunt a contributionibus et vectigalibus Regni.

4. Haud secus atque Duces Prussiae, ad instar enim (ut verba investiturae sonant) Ducis Prussiae, Duces Curlandiae sunt investiti.

*F. 3 v* 5. Hinc quoad conveniendi ius, si quis vel a subditis propriis, sive qui de sorte Principum non est, sive S. R. M-tas ipsa, Principibus litem moveat, sive e contra, secundum pacta Prutenica, instantiam sive forum sortiri illos omnino necessum est.

6. Quae pacta expresse dicunt: si cum subditis: et active et passive pares esse eligendos, coramque his iure experiendum.

7. Cum Regia Ma-te si ea litem Principibus moveat, vel e contra, duodecim eliguntur, qui remisso iuramento, quo S. R. M-ti Regnoque fuerunt obligati, super causam incidentem de novo iurent, et secundum ius scriptum cognoscant.

8. In recognitione Nobilium antiquus mos Livoniae observatur, qui talis fuit et adhuc est: Ter nimirum flexis genibus Nobilis accedit Principem, his verbis: Peto Illustritatem Vestram, ferat mihi feudum meum paternum. Principe annuente precibus, nobilis surgit et stans fidelitatem iurat.

9. Hic mos ne memoria hominum excideret (uti ob bonum publicum laudatissimi Principes et post hi moderni etiam cum Nobilibus varios recessus condiderunt) recessui totius Nobilitatis consensu inclusus fuit, quemadmodum alia multa ordinem sive statum Ecclesiasticum et Politicum in melius et stabilius reformantia et decorantia.

10. Et sicuti Principes Curlandiae secundum ius commune fuerunt investiti, ita etiam omnes veteres consuetudines, mores antiqui, et laudabiles usus, in primis hic recessus in quo forma praestandi homagii describitur in specie a Divo Stephano Rege confirmatus est.

11. Et quod maximum est, suam Celsitudinem et posteros cum universis subditis confessionis Augustanae usu in perpetuum gavisurum, idem Serenissimus Rex Stephanus cavit.

12. Insuper defunctus Gothardus Dux insigne Privilegium nobilitati concessit, in quo inter caetera eousque alteravit ius super bona Nobilium, addens nimirum iuri feudi ius gratiae, item inibi dedit ius mercandi cauponandique. Quod privilegium etiam a D. Stephano in publicis Regni comitiis solenniter confirmatum est, ut in originali extat.

13. Hisce diplomatibus a tot Regibus Poloniae concessis, repetitis et confirmatis, Curlandiae Duces obfirmati, consolidatique hactenus rexere hanc provinciam Curlandicam et Semigallicam, amboque sine dismembratione Iurisdictionem in subditos suos Nobiles et ignobiles exercuerunt, unicuique ius indilatum reddiderunt, ita ut alternis vicibus, adhibitis semper utriusque Principis ad Iuridicas quaslibet consiliariis iudicia tam Mitobiae quam Goldingae celebrarint.

14. Et cum in privilegiis Ducum contentum sit, ordini equestri licere saltem ad suum /

*F. 4r* Principem appellare, in gravioribus autem ad S. R. M-tem: Principes ne subditi tenuiores praesertim maioribus sumptibus in prosequendis appellationibus in curia regia vexarentur, ita pro occasione causarum et personarum negotia quaelibet domi moderati sunt hactenus, ut nemo subditorum satagat, ad tribunal regium convolare.

15. Et sic sine iniuria ullius hominis Rempublicam suam ambo Principes administrarunt, ut nullus emerserit, qui regimen illorum invaserit, Principes huius nomine interpellarit, vel quovis modo disputarit, Nec R. M-tas ipsa vel Senatores. Quin Illr-mus Dux Wilhelmus iam a praestiti homagii tempore viginti quattuor annos in pacifica possessione et exercitio Iurisdictionis fuit, iusque cuilibet suorum subditorum tribuit, dixitque.

16. Imo in ipso iuramento a S. R. M-te sibi praescripto, quod Dux Wilhelmus S. R. M-te Regnoque corporaliter praestitit, expressis verbis continetur: Principem nempe Wilhelmum, universis subditis, Nobilibus et ignobilibus tam in Curlandia quam Semigallia iustitiam administrare debere. Ex quo nulla dismembratio importatur.

17. Item Sacra Regia M-tas per totum hoc tempus viginti quaternale saepius, imo saepissime, in primis ad preces suorum servitorum vel aliorum quibus de iure in aula huius Principis fuit experiundum, a Principe Wilhelmo requisivit, ut ad commendationem sui eo citius hisce, quos suae Illust-ti commendaverat, ius redderet.

Hisce iam generaliter in medium allatis, quamvis ut dictum est, nemo subditorum Iurisdictionem Principis impugnarit hactenus, tamen Anno 600 et 601 Magnus Noldius una cum fratre Joanne et Jacobo a Suerin, tunc Capitaneo Nobilitatis existente, Bauskenburgi ubi ob praesens periculum hostis Sueci, qui tunc arcem vicinam Curlandiae duodecim saltem milliaribus distantem Kockenhausen obsederat, Nobilitas Curlandica et Semigallica a Principibus erat convocata, eo suis vesanis consiliis totam Nobilitatem distraxit, ut posthabita patriae suarumque coniugum et liberorum

salute ad defensionem Provinciae contra hostes nec prece nec precio a Principibus suis sese induci passi fuerint, nisi prius illorum, nescio quae gravamina abrogarentur.

Et licet Principes instantius egerint, ut posthabitis omnibus quae alias commodiore tempore corrigi possent, saluti propriae consulerent, imminensque /

*F. 4v* periculum, siquidem hostis, prae foribus cursaret, averterent, sed nihil efficere potuerunt, ita ut rebus infectis discesserint, Principesque suos dereliquerint.

Quare cum Principes viderent, hostem ulterius gressum suum indies urgere, terram Principum pede pulsare, militeque suo numeroso ingredi, Principes apud Magnum Cancellarium Regni Zamoscium de petulantia Nobilium praesertim antesignatorum querebantur, qui et rescripsit ut in illos Principes indilate animadverterent.

Hinc occasionem arripiens Magnus Noldius in vivum revocat gravamina ante tempore praestiti homagii a Rege et Regno reiecta, asciscit sibi quosdam Nobiles cognatos et affines, comminiscens indies nova gravamina, prioribus ea addens, eo tandem prorupit, ut viginti quatuor Nobiles, ipsum tanquam plenipotentem constituerint, iniuriosam opinionem ipsius subscripserint, nova gravamina consuerint, nimirum Principes contra iura feudalia feudum divisisse, geminum nec non absolutum imperium affectare Principem Wilhelmum, idque in praeiudicium Regis et Regni.

Praeterea nefarie addunt Principem Wilhelmum cum Carolo Suecorum Duce in perniciem Regis conspirasse, multaque alia gravamina contra conscientiam Principibus affingunt, et iniuriose in eos comminiscuntur, quae omnia licet pura et putida fuerint et sint mendacia, adhuc tamen non enituere in ipsis Regni comitiis ea porrigere.

Illustrissimus Princeps ad cuius manus ea omnia pervenere, et multum suam Celsitudinem affecere, contra perfidos et periuros subscribentes solennissime protestatur, protestationemque talem metricae Regni inscribi curat; quae in originali penes Principem invenitur.

Et ne iuris viam in tantis iniuriis sibi a propriis subditis obiectis intermittere, magisque ad propriam vindictam proclivis videretur, omnes illos subscribentes autores ad publica insequentia comitia citat, graviterque eos omnes et voce et literis apud S. Regiam M-tem incusat, petitque eamdem per misericordiam Christi, ut incontinenti omnes iniurias vel probent vel debitas poenas luant, sed nihil tunc apud S. R. M-tem residere potuit nec voluit. Quod videns Illustr-as sua re infecta e comitiis discedere cogitur.

Ad sequentia vero comitia una cum Fratre Friderico in persona proficiscitur, ad S. R. M-tem Regnique ordines tam publice quam privatim per semetipsos /

*F. 5r* suosque consiliarios innocentiam introducunt, in scriptis apud quosvis aulae et Regni proceres spargunt, testatamque faciunt. Inprimis ad omnes Regni Proceres et districtus tam Regni quam Magni Ducatus Lithuaniae comitiola quolibet tempore comitia generalia praecedentia scribunt, plurima etiam per legatos visitant, instantissime petentes, ut in sequentibus comitiis causam et innocentiam Principum sibi commendatam habeant, et apud S. R. M-tem intercedant, quo licite contra subditos iure suo potiantur.

Interim Noldius videns se alias Principi suo non posse incommodare, nec scopum sibi ab initio propositum assequi, quosdam ex Nobilitate praesertim sibi adherentes, suis nugis et commentis eo inducit, ut S. R. M-ti quasi voluntarium subsidium 50,000 florenorum Polonicalium sponte promittant. Quod ipsum etiam uti gratissimum obsequium Regia M-tas libenter accepit, et quo eo melius a Nobilibus extorqueatur ad instantiam Nolli literae a S.R. M-te eduntur, quibus sub poenis iniungitur Nobilibus, ut aes illud conferant. Sed quibus de hoc ultroneo subsidio nihil constat tributionem denegant. Hinc quamvis partem subsidii nimirum 30,000 florenos Regi solverint, reliquum tamen hactenus in suspenso permansit. Et sic Curetes proprium et naturalem Principem contra iuramentum et conscientiam supremo Domino vendiderunt, aureaque hasta iugularunt. Interim Regia M-tas non solum viginti quatuor illos subscribentes, verum alios etiam quibus cum Principe nullum intercedit negotium extracomitialiter contra iura Regni ex Iurisdictione Principum eximit, nec Principis Friderici tanquam in indiviso Ducatu, sed suae regiae Iurisdictioni ascribit. Et quamvis contra eiusmodi exemptionem Princeps Wilhelmus saepius protestatus fuerit, tamen nihil egit.

Successu temporis et in subsequentibus Comitiis, ubi ambo Principes personaliter adsunt, causa in publicis Regni comitiis tanquam in foro contradictorio proponitur, et cum primum caput controversiae illius de divisione occurreret, ad id respondetur et concluditur, quatuor primariis Senatoribus pro Principibus vota ferentibus. Sed imminente vespera S. R. M-tas surgens a Senatu cum Senatoribus discessit. Altera die etsi petebatur causam pertextam finitum iri, tamen cum ultimus esset dies comitiorum, omnes causae, /

*F. 5v* et sic causa Principum, generaliter per vocem Ministerialis ad sequentia comitia rejiciebantur.

Quamvis autem in hisce prouti dictum est superius comitiis apud S. R. M-tem Regnique ordines Ill. Princeps Wilhelmus et per se et per alios, tum etiam supplices libellos egerit, quo Regem sibi redderet propitium, tamen propter camerales Donhofios, Nollium et alios, qui nocte dieque apud S. R. M-tem commorantur, frustra laboravit. Et sic rebus infectis Principes Varsavia solverunt. Reversi in Ducatum suum omnibus incolis conventum indicunt Mitobiae, ea prorsus intentione, ut omnes controversiae pacificarentur, et quo eo firmior pax foret ab utraque parte e civitate Rigensi Arbitri tres, primarios Senatores eligunt, qui et tempore constituto ibi adfuerunt.

Magnus Nollius et Otto Grotthausen Capitaneus Nobilitatis, quibus semper pax inimica fuit, omnem lapidem moverunt, ne inter Magistratum [b)] et subditos conveniret, hinc inde discurrunt, concordiam dissuadent, et apud omnes asseclas ulterioris processus continuationem affectant urgentque. Et ut eo certius opinionem suam tueantur, in vicinis villis prope Mitobiam delitescunt, et per suos emissarios omnibus et singulis quasi in aures susurrant, ne cum Principibus conveniant, nec ullas pacis conditiones ab illis accipiant. Et quo facilius Nobiles, praesertim timidiores, in suam sententiam traherent, addunt S. R. M-tem Nobilitati Curlandiae et Semigalliae sancte promisisse, perpetuam libertatem Polonicam liberumque usum Augustanae confessionis.

Insuper Nobilitati fas fore iudices quoscumque inter se eligere, relictis Principibus Curlandiae suis redditibus sine Iurisdictione super Nobiles.

Non satiati Noldius et Grotthausius istis clandestinis sugillationibus, ne omnino spe sua seducendi Nobiles exciderent, in propria persona Mitobiam adeunt, hinc inde cursitantes, opinioneque sua omnes obcaecantes. Et ut nihil intactum relinqueret Noldius, Rigenses legatos vel Arbitros sinistre informare coepit [c], qui tamen eum diligenter admonent, ne salutaria consilia, quae ad sedandos hosce motus inter Principes et subditos inituri essent, praepediret, sed ad vitandam omnem perversam opinionem e Mitobia discederet.

At Noldius videns se minime in suam sententiam pertrahere posse Rigenses /

*F. 6r* summis precibus eos defatigat, ut se Commissarium Rigensem testarentur, ut eo tutius adversus quosvis praesentes praesentiam suam colorare, suisque sugillationibus fucum obducere posset, ex illo capite sine omni dubio; Intercessit et adhuc intercedit controversia Rigensibus cum Patribus Jacobinis Jesuitarum ratione Agri, Keller-acker dicti; quae cum nisi in re praesenti definire posset, certi Commissarii autoritate Comitiali fuerunt deputati, qui in rem praesentem sese conferrent, et ad utriusque partis affectationem Iuribus eiusdem invigilarent, eumdemque dislimitarent. Sed constanter idipsum denegarunt Rigenses protestantes se salva conscientia sua, (cum hoc postulatum Nollii et evidentiae causae vel rei, et sic manifestae veritati contrarietur) hoc facere non posse, nec ipsis licere, nec a civitate totaque communitate in mandatis habere.

Admonitum autem se ipsum velle, ut e vestigio Mitobia discederet, nec ansam maioris motus praeberet, sibique ipsi in hoc passu consuleret.

In sequenti nocte a militibus Ducis Wilhelmi, qui eum, ut fertur, de nocte usque dum lucesceret custodiae mancipare voluerunt, reluctans una cum fratre Gotthardo interemptus est, et sic nocens cum innocente periit, quos postmodum in Ecclesia Mitobiensi humus iniecta ceremonialiter contegit.

Quo facto Grotthusius Capitaneus caeterique illius asseclae, de mane convasatis rebus suis omnibus, utpote sibi male conscii, quamvis nec verbo infestarentur, Mitobia insalutatis Principibus abeunt.

Autores milites caedis Noldianae e somno vinoque resuscitati, aeque cum Nobilibus, diversis tamen ut conjicitur semitis fugam capessunt.

Postea Principes ad omnes cathedrales, prouti vocant Kirchspiel districtus, scripto divulgant, carpuntque Nobilium non opinatum discessum e Mitobia, adhortanturque Nobiles ut seposito omni timore magis patriae salutem, quam vanos et inanes rumores prae oculis sibi ponant, ipsisque cordi sit.

Sed omnia frustra. Imo Donhofiani patrueles materni Nolliorum, Capitaneus Grotthausen, et complices illorum, cum innumeris nugis et mendaciis ad S.R. M-tem convolant, et ambos Principes miris modis ibidem in aula regia traducunt et calumniantur.

Otto Schencking Episcopus Vendensis virulentas de caede Nolliana innumerabilibusque mendaciis refertas ad S. R. M.tem scripsit literas, et exosos admo- /

*F. 6v* dum apud Sacram Regiam M-tem reddidit Principes.

Ad horum omnium falsas narrationes decernit Sacra Regia M-tas propria autoritate contra iura Regni commissionem in Curlandiam, cuius etiam Commissarii Anno praeterito 1615 sub festum nativitatis Christi,

Mitobiam multis heiducis armatis stipati intrarunt, Iurisdictionemque suam, cum terribili sua commissione ibidem fundarunt; Quippe Commissarii illi utpote Otto Schencking, Episcopus Ziczinsky et reliqui, capitales inimici Principum fuerunt, quod et exitus probavit. Praeterea non saltem commissionem satis suspectam ad inquirendum habuerunt Commissarii, verum etiam supplementum illius Commissionis tale, nimirum, ut sine exceptionibus, contradictionibus, probationibus, protestationibus, et appellationibus contra ipsius servitores Principis animadvertere deberent.

Convenerant ante adventum Commissariorum inter se Principes se, cum intelligerent Commissionem contra iura Regni extra comitia emanatam, aliisque viciis tam quoad contenta, quam quoad personas obnoxiam, minime illam accepturos, sed decenter contra eandem protestaturos.

At Mitobiam ingressis commissariis Dux Fridericus sese submisit, suosque consiliarios et quosvis de subditis suis passus est ab illis examinari. Quod ipsum praeter omnem expectationem videns Frater Wilhelmus solennem protestationem per Notarium et testes coram Commissariis infert, cunctaque attentata illorum ad S. R. M-tem Regnique comitia rejici flagitat, simulque exceptiones quibus Commissio scatebat, nimirum quosdam Commissarios esse capitales inimicos domus Curlandiae. Episcopum Schenking manifestum delatorem legaliter opponit, idque saepius, quoties causae necessitas postulare videbatur, sua Celsitudo factitat.

Sed hisce omnibus non attentis Domini Commissarii videntes Illustrem Fridericum approbasse Commissionem, pro libitu progrediuntur, et ad cuiusvis Nobilis instantiam importunissimam falsissimamque quidvis decernunt. De quibus tamen Illustris Dux Wilhelmus in quemcunque eventum ad Regem et Regnum appellat. /

*F. 7r* Ne autem Commissarii in inquirenda internecione Nolliorum diutius se fatigarent, publice solenniterque protestando Dux Wilhelmus necem a suis militibus esse factam testatur, allegans Regni constitutionem Casimiri Magni Vislie Anno 1368 his verbis:

> Quotiescunque in Iudicio in causis criminalibus, seu quibuscunque aliis magnis et parvis quispiam conventus fuerit; qui Dominum aut criminis autorem nominaverit; aut socium; eiusque mandato se fecisse affirmaverit, Et ille tunc principalis veniens ad iudicium ipsum liberabit, ipsum id fecisse suo mandato, Statuimus: quod ille citatus libere a Iudicio discedere poterit, actioque huiusmodi dirigi debebit, contra Dominum et criminis autorem: qui protinus et incontinenti respondere tenetur, alias primus ille qui citatus respondere compellatur.

Praeterea S. R. M-ti ratione huius privatae caedis talem commissionem ad inquirendum adornare de iure Regni minime fas esse, et quidem extracomitialiter, licet Noldius, quod tamen omnino negatur, Commissarius regius fuisset, nec enim per hoc crimen Maiestas regia laesa fuit, nec secundum iura Regni hoc in passu laedi potuit, secundum constitutionem Sigismundi, Cracoviae Anno 1510 et 1539:

> Crimen laesae maiestatis in postulantibus terrarum nostrarum nunciis volumus ipsi in persona nostra locum habere, et non in

alios, quantumvis publicas personas gerentes, extendi. Si quod autem per quempiam facinus vel homicidium in his fuerit commissum, qui extra personam nostram, vel Senatoria vel aliqua publica dignitate, loco, et officio fungerentur, in eum secundum statutum animadvertetur.

Commissarii autem contra Ducem Wilhelmum non saltem stricte, verum etiam contra Fridericum fratrem aeque procedunt: Subditos Wilhelmi quamvis in indiviso Ducatu existentes usque ad ulteriorem declarationem R. M-tis illi ascribunt, conventum autem indicendi potestatem omnino interdicunt, prouti protestationes a Duce Wilhelmo interpositae, et Dominorum Commissariorum Duci Friderico datum responsum, fusius de hisce omnibus loquuntur.

Et ita discedunt, seseque ad S. R. M-tem quidam illorum conferunt. Interim Dux Wilhelmus ab Instigatore Regni, quod feudum cum fratre divisisset, quod Noldios interfici curasset, quod cum Gustavo Sueciae Duce singularem

*F. 7v* cointelligentiam habuisset, recitatur. Aeque etiam a Noldiorum Fratre Friderico ratione caedis fraternae ad comitia citatur primo. Elapsis sex septimanis ab Instigatore secunda citatio ad eadem comitia editur, Principique Wilhelmo per secretarium Zalesky legitime insinuatur.

Dux Wilhelmus cum plena et sufficienti Instructione, necessariisque documentis et privilegiis causae inservientibus, simul ac fiduciariis ad S. Regiam Reginalemque M-tes, Senatores et quosvis aulae dignitarios literis, consiliarios suos Christophorum a Lippe Rostochiensem Doctorem, et Davidem Andreae, suppeditatis necessariis sumptibus ad comitia ablegat, cum potestate respondendi, contradicendi, validisque exceptionibus et responsionibus contra Instigatorem et alios actores utendi, quemadmodum latius instructio dictitat.

Taliter instructi praedicti Legati Goldinga solvunt, comitiaque adire accelerant, sed quatuor miliaribus cis Varsoviam vecti, (nescitur quis malus genius eos invaserit, vel quo terrore perculsi fuerint), turpiter aufugiunt, retrocedunt, Principique alter Lippius Soldaviae, alter David Andreae Regiomonti Borussorum se substitisse aperiunt, ibidemque quid illis sit faciendum ulterius expectant.

Dux Wilhelmus numquam talem retrocessionem opinatus stomachose admodum ad praetactos legatos scribit, animadversionemque condignam minatur.

Sed qui minime expectabant responsum a Principe unus illorum D. Lippe relicta Soldavia in patriam Rostochium proficiscitur, alter Andreas Goldingam ad coniugem placide sese confert.

Interea dum Legati hi terga verterunt Princeps in contumaciam quamvis ad primam citationem tanquam in termino peremptorio, uti verba ibidem in Decreto sonant, in amissionem Ducatus, Ducalisque tituli condemnatur, sicuti latius ex subsequentibus Decretis (A) et (B) apparet.

Princeps igitur ut primum intellexit inopinatam suorum legatorum fugam, (nam de condemnatione nondum illi quicquam constabat) ne rebus suis deesse videretur, illico sese in viam conjicit, Varsaviamque versus quasi per posta properat. Soror suae Celsitudinis Ill-ma Ducissa Radziviliana tunc in comitiis Varsaviae vel legatos vel ipsum fratrem Wilhelmum in ipsis /

*F. 8r* comitiis praestolans, ut intellexit fratris adventum septem miliaribus cis Varsaviam suam Celsitudinem de condemnatione in contumaciam edocendam duxit, prouti peculari scripto eam edocuit, quod contra omnia iura in contumaciam sit condemnata, nec Sac. Regiam M-tem quamvis sese pro sua Cels - ne quasi ad pedes illius devoluerit, vel prece vel precio se ad mitigationem erga suam Cels. flecti passam fuisse, illisque pro salute suae Cels. qui nec supplicatione nec alloquio digni fuerint, supplicaverit, tamen nihil effecisse sancte affirmavit. Intellecta igitur tam iniqua condemnatione Princeps Ill-ma sorore salutata (quae suam Cels. in propinquo Ortelsburgi invisit) iter in Curlandiam vertit, quo veniens omnia cum fratre quam fraterne communicat, et quid [d)] hisce rebus consulendum consultat.

Interim S. R. M-tas Nobilitati Curlandiae ad iniqua sua petita respondet, (literae C) nec non Universales ad Regentes Prussiae (lit. D), Rigenses (E), Piltenses (F), ut et avocatorium mandatum (G) edit, in quo omnes subditi tam Nobiles quam ignobiles et civitatenses a fide et obedientia nec non iuramento Principi praestito avocantur eliberanturque. Curlandi quidem ex Iurisdictione Wilhelmi in perpetuum eximuntur, Semigalli ex Friderici Ducis ad tempus suspenduntur, usque dum nimirum sua Cels. conditionibus in Decreto expressis coram Commissariis in totum satisfecerit.

Princeps Fridericus contra omnium hominum consilia, praesertim illorum qui bene in foro Polonico sunt versati, non saltem non protestatur contra Cancellariam, utpote quae Decretum eiusmodi aliter conceperat, quam latum vel publice pronunciatum fuerat. Verum et hoc ipsum sine dubio suasu suorum ablegatorum approbat, in eo, quod sua Cels. postmodum per suum Camerarium scripto apud S. R. M-tem pro Commissariis in Curlandiam mittendis sollicite instet.

Dux Wilhelmus vero, uti contra quem in contumaciam latum est Decretum, iura Polonica sibi in memoriam revocat, nimirum eiusmodi Decreta contumaciae nec prodesse, nec obesse, sed per citationem ad reponendum posse, et quidem intra annum et diem pensari et tolli. /

*F. 8v* Et quamvis S. R. M-tas (uti narravit Legatus Ill-mae Ducissae Radzivilianae sororis Principum Curlandiae) ad omnes Palatinatus perscripserit, ne a Duce Wilhelmo contra Decretum contumaciae admitterent protestationem, tamen sua Cels. per suos ablegatos adiit Vicecancellarium Regni, Reverendissimum Heinricum Firlei, citationemque ad reponendum praetactum Decretum petiit. Sed illo eandem denegante, solenniter contra dictum D. Cancellarium protestatus est (lit. H) aliasque protestationes contra suos legatos, qui per fugam causam Principis in praeteritis Regni comitiis deseruerant, interponi curavit (I, K,).

Et cum iura Regni velint, quod eum in casum ubi S. R. M-tas licita iuris media, inprimis citationes adversus contumaciam, quae nemini de iure Regni deneganda est, deneget, pro extradendis citationibus eiusmodi iudicia Palatinatus licite quis adire possi.t Ideo et Ill-ris Dux Wilhelmus in iudicio Palatinatus Cracoviensis citationem contra Regni Instigatorem adinvenit (L) eandemque eidem solenni ritu insinuari curavit, prouti executio illius latius infert (M).

Hisce praesuppositis Ill-mus Princeps non videt, quomodo S. R. M-tas contra iura Regni, vel mandata avocatoria, vel Decretum in contumaciam

contra Ill-tem suam exequi possit, quin magis de iure tenetur omnia vigore citationis ad futura comitia rejicere.

a) et *Ms.*
b) Magratum *Ms.*
c) cupit *Ms?*
d) qui *Ms.*

*N. 2.*

*Varsaviae, 5 Maii, 1616.*

*Sigismundus III rex Poloniae universis;*
*Fridericum et Wilhelmum duces Curlandiae, occisores Magni Noldii privat ducatu, quem a rege in feudum habuerunt.*
*(exemplar) Adnexus A ad « Discursus ». (v. N. 1)*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 9r* [Sigismundus] Dei Gratia Rex Poloniae, Mag[nus Dux Li]thuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogi[tiae Livon]iaeque, Nec non Suecorum, Gottorum, Vanda[lorumque] haereditarius Rex.

Significamus presentibus literis nostris quorum interest univ[ersis] et singulis, vocatum fuisse in ius ad nos e conventu [generali] Regni, in qualem ab Instigatore nostro et Reipublicae Iur[ ] Guilhelmum Curlandiae et Semigalliae in Livonia Ducem, Vasallum et feudatarium nostrum, ad Decernendum su[per] Illustr. suae [a] privationem feudi Curlandiae, et Semigalliae eidem per nos in solidum una cum Ill. Friderico Duce fratre indivisim concessi, id ab [b] propterea quod praedictus Ill-ris Guilhelmus Dux contra pacta cum Serenissimis Antecessoribus nostris et nobiscum inita, tum et contra dispositionem et praescriptum Juris feudalis, feudum praefatum cum Ill. Friderico Duce fratre germano divisisset, velandeque eiusmodi divisionis causa geminum quoddam una cum eodem fratre in universos Curlandiae et Semigalliae incolas contra naturam feudi imperium usurpasset, et instituisset; Deinde quod arces aliaque bona feudo suprascripto subiecta sine consensu hypothecae nomine obligasset, et oppignorasset: Praeterea, quod appellationes in controversiis inter subditos et Nobiles intercedentibus in prima subiectione nobis reservatas ad nos denegasset. Ad haec quod vassallagium nobis et Reipublicae debitum requisita, Illrtas. sua contra Reipublicae hostes praestare recusasset, contra autem militem nostrum per Curlandiam euntem nullo praevio conventu et tripla servitia equestria imperasset; Suum quoque Vassallagium ex nobilium servitiis contra pacta cum Republica celebrata constituisset, et confecisset; Insuper quod novissime Generosum Magnum Noldium, aulicum nostrum a Jurisdictione Ill. suae Decreto nostro exemptum, ac literis salvi conductus munitum, dum per Mitaviam tanquam commissarius noster Rigam tenderet, in vilipendium M-tis nostrae regiae [c] interemisset, et occidisset, atque literas nostras immunitatis et protectionis /

*F. 9v* nostrae violasset. Denique quod ta[m per internuncios] suos sibi de nomine melius notos [quam per literas cum Gustavo] Sudermanniae

Duce, hoste nostro et Rei[publicae certam] cointelligentiam habuisset et consilia [contra nos] quemadmodum citatione praemissa omnia hucus [ ] plectitur, Adveniente itaque termino in [citatione] ab Instigatore nostro edita prefixo, et quo ad eam [citatio]nem peremptorio, cum praefatus Ill-ris Guilhelmus [Curlandiae] et Semigalliae Dux, ter, et ultra solitum quater, [per]sonaliter [d] Ministerialis Terrestris, Generalis Nobilis [ ] Jaresowski accitus et acclamatus, coram nobis et [senatoribus] Regni in presenti conventu Regni generali congregatis, [lateri] nostro assidentibus nec per se nec per plenipotentem comparuisset, et Instigator noster contumaciam suae Ill. accusasset, Nos cum iisdem senatoribus nostris in conventu Regni generali, lateri nostro assidentibus, attenta contumacia rei conventi in termino peremptorio non comparentis, ad ultimam vero partis actoreae affectationem eundum reum conventum in causa succubuisse adinvenimus, atque Ill. suam titulo Ducali Curlandiae et Semigalliae, tum et beneficio feudi Ducatus Curlandiae et Semigalliae contra pacta conventa divisi et alienati, Arcibusque civitatibus, oppidis, pagis ac omnibus et singulis attinentiis ad predictos Ducatus ex antiquo pertinentibus, praetextu divisionis et dismembrationis cum fratre initae hactenus possessis, tum et iurisdictione in Nobiles et incolas Curlandiae et Semigalliae nullo iure usurpata, nec non [et alio] quovis Dominio, et omni iure feudi quodcunque illi vigore Investiturae competebat, abiudicamus et privamus, Nobilesque et incolas omnes Curlandiae et Semigalliae ab obedientia et subiectione eidem praestanda absolvimus, et liberos pronunciamus praesentis Decreti in vigore.

In cuius rei fidem sigilla Regni nostri et Magni Ducatus Lithuaniae sunt appressa.

Datum Varsaviae in conventu Regni generali feria quarta post festum Inventionis Sanctae Crucis proxima, Anno Domini MDCXVI, Regnorum nostrorum Polonici XXIX, Suecici XXIII.

Rdn. Rndi. Henrici Firlii de Dambrowica Episcopi nominati Luceoriensis, Plocensis, Michoviensis, ac S. Michaelis in arce Cracoviensi prepositi Regni Pol. Vicecancellarii.

a) sua *Ms.*
b) *sic Ms.*
c) nostra Regia *Ms.*
d) *lectio incerta;* sonara *Ms.*

*N. 3.*

*S.l., s.d.*

*Ignotus, nomine Sigismundi III regis Poloniae,*
*ad ordines et nobilitatem Curlandiae et Semigalliae amotis ducibus Curlandiae conventum sub commissariis regis celebrandum indicit.*

*(exemplar) Adnexus B ad « Discursus ». (V. N. 1).*

*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 10r* [Litter]ae Reg. M-tis Internunciis Nobili[tatis] Curlandiae et Semigalliae.

Sacra Regia M-tas Dominus noster Clementi[ssimus] Clementer ea intellexit quae Generosi Nobilitatis [Ducatus] Curlandiae et Semigalliae Internuncii M-ti suae v[oce]tenus de afflicto patriae suae statu deque nece [Nold]iana in conventu publico Mitoviae atroci[ter] perpetrata et quae demum in scriptis de qui[bus]dam viris Nobilibus Goldingae partim occi[sis] partim gravissime vulneratis exposuerunt. [Sacra Regia M-tas] tam atroce facinus graviter molesteque tulit, Noldios, namque Sacrae Regiae M-tis Aulicos et Commissarios literis exemptionis munitos, ac fide publica fretos, media nocte [a)] ex lecto tractos, crudeliter trucidatos fuisse, corpora eorum spectaculo publico exposita, etiam [am]icis potentibus denegata. Quae omnia, postquam S. R. M. ex relatione commissariorum suorum quos in Curlandiam, ut de singulis ibidem gestis diligentissimam inquisitionem facerent, miserat, in conventu Regni generali sufficienter cognovisset, tam causam gravaminum contra utrumque Principem per Instigatorem Regni propositam, quam ratione internecionis Noldiorum, perpensa facti qualitate et delicti magnitudine, Ex praescripto Juris communis determinavit: ac Duces quidem Guilhelmum, attenta ipsius [b)] contumacia, Ducali titulo Curlandiae et Semigalliae, tum etiam [c)] beneficio feudi eiusdem Ducatus, abiudicavit, totamque Nobilitatem a iurisdictione illius exemit, omnesque incolas a subiectione ipsi praestanda [d)] liberos pronunciavit. Ducem vero Fridericum etsi Sac. R. M-tas ex gratia /

*F. 10v* ac benignitate sua circa [usum feudi reliquerit, certis cum] conditionibus ita circumscrip[sit, ut si non fuerit satis-] factum, poenis in eodem Decreto [specificatis subiaceat].

Caeterum quo deinceps Nobilitatis [securitati melius] prospiciatur, illaque ad adventum Commiss[ariorum S. R. M-tis] secura esse possit, indicit S. R. M. iisdem C[ommissariis celebrandum] in eo loco, ubi ipsis commodum visum fuerit, [generalem] conventum, ea consilia easque rationes inibunt qu[ae tranquillitati] Provincialium erunt accommodatae et qu[ae ad] repellendam vim uniuscuiusque, ad coercend[os poenis condignos] privatores bonorum pertinebunt. Interim cu[ratura est] S. R. M. ut primo quoque tempore Commissarii [in Cur]landiam expediantur, qui gravamina Nobili[tatis] nondum satis examinata [e)] ac definita ulterius cognoscant ac definiant, ordinationemque Jurium ac Judiciorum constituant, criminum reos ac pacis publicae turbatores puniant, ac condignis poenis afficiant, eaque praestent quae ad bonum ordinem, tranquillitatem et pacem in ea provincia constituendam [f)] spectare videbuntur.

Quibus quidem Commissariis nostris, ubi de illorum adventu intellexerunt, eos denique in Ducatum Curlandiae et Semigalliae conventi numero comitabuntur, atque peragent quod illis Commissaris [visum fuerit].

S. R. M. omnibus ordinibus totique Nobilitati Ducatus Curlandiae et Semigalliae gratiam et benignitatem suam Regiam clementer defert.

a) noste *Ms.*
b) ipi *Ms.*
c) est *Ms.*
d) praestans *Ms.*
e) exomniata *Ms.*
f) constituent *Ms.*

*N. 4.*

*S.l., s.d.*

*[Sigismundus III rex Poloniae]*
*ad burgrabium aliosque cives civitatis Rigensis*
*de Wilhelmi et Friderici ducum Curlandiae destitutione et suspensione.*
*(exempl.) Adnexus C. ad « Discursus » (V. N. 1.)*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 11r* [ ] ad Rigenses.

[Specta]bilibus et Famatis Burgrabio, Proconsulibus, Consulibus, totl-que Communitati Civitatis nostrae Rigensis fidelibus nobis dilectis gratiam nostram regiam.

Spectabiles et famati Fideles nobis dilecti. In causa et [ac]tione nomine gravaminum Nobilitatis Curlandiae et Semigalliae [ab] Instigatore Regni nostri in publicis comitiis contra Illustres F[ridericum] et Vilhelmum Duces proposita tum et caedis Noldianae [Mita]viae perpetratae aliorumque excessum ius supremi nostri Dom[inii peten]cium ex praescripto iuris communis decretum tulimus; ac quidem Vilhelmum attenta ipsius contumacia Ducali titulo Curlandiae et Semigalliae tum et beneficio feudi eiusdem Ducatus abiudicavimus, omnesque incolas a subiectione ipsi praestanda liberos pronunciavimus. Ducem vero Fridericum, etsi ex gratia benignitateque nostra Regia circa usum feudi reliquerimus, certis tamen conditionibus c[ircum]scripsimus, quibus si non satis factum fuerit poenis in eo Decreto specificatis subiaceat prout ipsa Decreta de praemissis latius testantur. Cum vero Ducem Wilhelmum eo prorumpere intelligamus, ut pleraque violenta consilia suscipere militemque ad devastandam eam provinciam cogere velit, ac atrocia queque ipsi Nobilitati minetur, sic vestris mandandum esse duximus, prout praeter mandamus, ut non solum a societate Ducis Vilhelmi sese abstineant, verum etiam nulli milicie sine scitu ac voluntate nostra in Curlandia et Semigallia transitum praestent eorumque collectionem quantum fieri potest impediant, grassatores manifestos ac pacis publicae turbatores communicato cum Nobilitate Curlandiae et Semigalliae consilio coniunctisque viribus ab eadem provincia propulsent, ac si quos caedis Noldianae autores et cooperatores in potestatem eorumdem venire contigerit, eos custodiae mancipent nobisque significent pro gracia nostra.

*N. 5.*

*S.l., s.d.*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad dignitarios aliosque ducatus Pultensis*
*de Wilhelmo duce Curlandiae destituto.*
*(exemplar) Adnexus D. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 12r* [Ad Pult]enses.

[Univer]sis et singulis dignitariis, Consiliariis, Iudicibus, Officialibus

totique in universum Nobilitati Ducatus Pultensis, necnon civitati, ordini caeterisque in genere omnibus ad quos literae nostrae [perven]erint. Fidelibus nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Fideles nobis dilecti, Delatum est ad nos Ducem Vilhelmum per n[onnullos] suos satellites Nobilitatem Curlandicam et Semi[gallicam] non solum gravibus iniuriis damnisque afficere, verum [etiam] a cedibus non abstinere, ac de provincia illa devast[anda] consilia suscipere. Quod cum indigne feramus munerisque [a] [nostri] regii esse existimemus subditos nostros a iurisdictione praefati Ducis exemptos arceri, et iniuria tutari, mandandum Fid. V. esse duximus, (uti quidem praesentibus literis nostris mandamus), ut requisiti a Nobilitate Curlandica et Semigallica, iisdem adversus quosvis invasores bonorum suorum expillatores opem ferant [b]: si quos vero authores et cooperatores caedis Noldianae in eorum potestatem delabi contigerit, compraehendant, et custodiae mancipent, Nosque de ea re certiores reddant pro gratia nostra.

a) munusque *Ms.*
b) ferat *Ms.*

*N. 6.*

*S.l., s.d.*

[*Sigismundus III rex Poloniae*]
*universis in ducatu Curlandiae et Semigalliae*
*de destitutione et suspensione ducum Wilhelmi et Friderici, deque conventu per commissarios convocando.*
*(exemplar) Adnexus E. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 13r* [Universis] et singulis Capitaneis, Vicecapitaneis, Iudicibus, Subiudicibus, [officiali]busque [a] iurisdicendi potestate fungentibus totique in universum Nobilitati nec non civitati, ordini caeterisque omnibus in Ducatu Curlandiae et Semigalliae commorantibus [b], Fidelibus nobis dilectis gratiam nostram regiam.

Fideles nobis dilecti, Cum in causa et actione ratione nonnullorum gravaminum nobilitatis Curlandicae et Semigallicae aliorumque excessuum tam et caedis Noldianae Mitoviae perpetratae, Illustres [Duces] Curlandiae ab Investigatore nostro in conventu generali [Warsoviae] habito conventi fuissent, et partes utrinque coram nobis se[ ]liter disceptassent, auditis ac bene perpensis earundem controversiis, ex consilio Senatorum nostrorum Ducem quidem Vilhelmum attenta eius contumacia in causa succubuisse ac Ducali titulo et iurisdictione ipsoque Ducatu privandum, Ducem vero Fridericum ex benignitate nostra regia certis conditionibus [c] in Decreto a nobis specificatis ac coram Commissariis a nobis deputatis explendis circa feudum conservandum adinvenimus, Decretis ipsis de praemissis latius testantibus. Ut autem interim securitati Fid. V. ante adventum Commissariorum melius prospici possit, conventum iisdem generalem in eo loco ubi ipsis commodum visum fuerit celebrandum indi-

cimus, ac Generosis Ottono Otthmaris filio Grothusio et Henrico de Pletenberg aulicis et secretario nostro injungimus, ut nomine nostro literas conventus publicent, ac in eodem conventu totam Nobilitatem ac civium ordinem caeterosque omnes a iurisdictione Ducis Vilhelmi totaliter avocent, iuramentoque ipsis praestito eliberent; Ducis vero Friderici iuxta praescriptum decreti suspensam esse in Nobiles potestatem, tantisper donec praescriptis in Decreto conditionibus coram commissariis nostris in Curlandiam expediendis plene ab eo non fuerit satisfactum significent.

Quod ad notitiam Fid. vestrae deducendam /

*F. 13v* iisdem serio mandamus, ut huic volunt[ ] conventui indicto adsint pacate, tran[quilleque omnia] illius tranquillitatem concernentia tractent eaque [ ] quibusvis et injuriae grassatorum ac pacis turb[atorum] reprimi, et a capitibus fortunisque vestris propelli.

Nos interim curaturi sumus, ut commissarii nostri [primo] quoque tempore ad perficienda caetera in eam Provinciam [perveniant] pro gratia nostra officiumque debito Fid. V. sec[ ] factum.

a) *lectio incerta*
b) cum morentibus *Ms.*
c) contionibus *Ms.*

## *N. 7.*

[*Sochaczów*] *26 Maii, 1616*

*Sebastianus Kivalsky nomine Wilhelmi ducis Curlandiae et Semigalliae ad capitaneatum Sochaczeviensem;*
*obtulit protestationem de absentia missorum ducis in comitiis Varsoviae.*
*(exemplar) Adnex. F. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 14r* [Acta] Chracoviensia Feria quinta post festa solenn[ia Pentecho]stes proxima, Anno Domini Millesimo sexcentesimo decimo sexto.

[Veni]ens personaliter ad officium et acta presentia capitanealia Castrensia Sochaczeviensia sub celebrationem comitiorum Regni generalium Varsaviensium [Nob]ilis Sebastianus Kivalsky, nomine Illus-mi Guilhelmi Ducis [Cur]landiae et Semigalliae hanc protestationem et manifestationem fecit: [nempe]: Quod cum Varsaviam paulo superiori tempore advenisset, et [ ]Secretariis et internunciis prefati Ill-mi Ducis Guilhelmi ad [comitia] presentia Varsoviensia, videlicet Christophoro Lippe, iuris doctore, et Bernardo Vieting capitaneo, Davide Andreae, ac Henrico Bu[ ] pro expediendis causis et actionibus cum Instigatore S. R. M-tis et aliis certis personis tam citati quam actoris intercedentibus aliisque negotiis et publicis et privatis Varsoviae procedendis, missis, sciscitaretur, et percunctatus a) esset, ut de hospicio illorum accuratius perquireret, nullibi locorum illos pervenire, et de praesentia illorum a quopiam discere potuit; atque cum compertum habeat praefatus protestans quanta exinde incommoda et pericula causarum praecedentium evenire, praefato Ill-mo Duci

Guilhelmo ab absentia[b] praefatorum secretariorum (qui munimenta ad causas pertinentia ac alias literas et privilegia penes se sibi concredita habuerunt et habent) possent, ignorans quid causae intersit, qui hucusque sese non praesentaverunt, ut si forte aut dispersi et in fugam redacti a quopiam, vel ubi locorum detenti aut et vita privati aut metu aliquo perculsi, hic sese sistere, vel ipsi mala fide nolunt, vel non potuerunt. Ne haec absentia illorum aliquo damno et incommodo ac iactura causarum praefati Ill-mi Ducis Guilhelmi [esset] iterum atque iterum protestatus est, offerens eo in negotio tam per se quam per praefatum Dominum suum, quid ex iure intercedat et lateat, diligentem inquisitionem peracturum et in veritatem indagaturum, protestatione et manifestatione praemissa mediante.

Ex Actis Castrens' Sochaczovien'
Rescriptum contra Dziedzic ....
Joannes Kliemiewsky Notarius
Castrensis Sochaczoviensis

Andreas Petrus Zaboklicki vice capitaneus et iudex causarum officii Castren' Sochaczoviensis

a) penontatus *Ms.*
b) absentiam *Ms.*

*N. 8.*

*Cracoviae, 17 Augusti, 1616.*

*Ioannes Borka a Skała nomine Wilhelmi ducis Curlandiae ad capitaneatum Cracoviensem; obtulit protestationem contra Henricum Firley vicecancellarium Regni.*
*(exemplar) Adnex. G. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 15r* [Minister]ialis Regni Providus Joannes Borka de Skala [ ], [Ad officium] et acta praesentia Castrensia Capitanealia Cracoviens[ia person]aliter veniens, publice recognovit, Quia sibi feria quinta post festum Sancti Laurentii Martyris pro [ ] praeteriti proxima, nomine et ex parte Ill-ris [Guilhelmi] Curlandiae et Semigalliae in Livonia Ducis, feudatar[ii S. R.] M-tis, in et contra Ill-mum et Rnd-mum Dominum [Heinri]cum Firley Vicecancellarium Regis hic Cracoviae [persona]liter obductum et protestatum est, eo quod ipse ad [protestatio]nem officiosam praefati Ducis Curlandiae [ ]nis ex parte Ducis Curlandiae contra Generosum Martinum Laczkowsky Instigatorem S. R. M-tis et Reipublicae ad reponendam contumaciam in vim cuiusdam Decreti abiudicationis tituli Ducalis Curlandiae et Semigalliae, tum et feudi Ducatus eiusdem super eodem Duce obtenti, ad conventum Regni generalem proxime celebrandum editas, sigillo Regni sigillare noluit, de quo suam expressam relationem is idem Ministerialis ad acta praesentia fecit.

Actum in Castro Cracoviensi feria tertia post festum Assumptionis beatissime Virginis Mariae in coelum proxima Anno Domini Milesimo sexcentesimo decimo sexto.

Laurentius Domaniewsky, Vicegerens et Iudex causarum officii Cracoviensis.

*N. 9.*

*Stericen.? 29 Iulii, 1616.*

*Sebastianus Kivalsky nomine Wilhelmi ducis Curlandiae ad capitaneatum Stericensem.*
*Protestatur contra sententiam contumaciae in se latam.*
*(exemplar) Adnex. H. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 16r* [Acta Castr.'] Stericens' feria sexta ante festum sancti [Petri in V]inculis proxima, Anno Domini Milesimo sexcentesimo decimo sexto [Veniens] personaliter ad officium et acta presentia Capitanealia Cast[rens'] Stericens' Nobilis Sebastianus Kivalsky, Ill-mi Guil[helmi D]ucis Curlandiae et Semigalliae famulus, coram eodem off[iciali] Capitaneali Castrens' Stericens' protestatus est, quod ipse [post]quam accepisset in contumaciam eiusdem Ill-mi [Guilhelmi Ducis Curlandiae] [in conven]tu proxime praeterito Varsavien' in causa certa ex parte [Insti]gatoris Sac. R. M-tis contra eum protestationem [a] e[ ]: reassumendo in primis tam de internunciorum et sec[retariorum] eiusdem Ill-ris absentia, quod sese in eodem conventu abs[ ]uerint, nec sese ad defendendam causam praesentaverint; qua eorum fuga, ad quam sive metus, sive mala fides, (de quibus hucusque nihil certi ubi terrarum et gentium sint constat) illos adegerit, manifestare iteratis vicibus facit, nec quippiam hic processus in contumaciam [b] ex parte praefati Generosi Instigatoris obtentus Ill-ti suae praeiudicet; praesertim quod eandem contumaciam absque quovis delatore super primam citacionem extraditam, secunda citatione seu mandato post posita [c] contumaciae, nec expectato termino ex eodem proveniente in duabus septimanis prefixo, ac aliis ex causis tempore et loco suis verificandis, minus iuridice, ac non servatis gradibus et solemnitatibus iuris, et requisitis ad ea necessariis omissis, magis precipitanter quam iuris communis praescriptum et usus habet, super sua Ill-te praefatus Instigator obtinuit; quia parata erat Ill-tas sua iuramento confirmare nuncios suos sive ob metum sive traditores forte ab adversariis conductos fugisse, et contumaciam non attentasse; Praecavendo itaque indemnitati eiusdem Ill-ris principis tam contra eosdem Internuncios et secretarios, quam de temerario et iniuridico eiusmodi processu in contumaciam suae Ill. per eumdem Instigatorem Sac. R. M-tis obtento, et atque etiam pro tunc offeren' eandem Ill-rem Dom. suam, ratione praemissorum in foro fori iure mediante acta [fuisse null]iter, incompetenter, illegitime ac [iniuridice, cum] iuris remediis, ex rationibus certis, in termin[o prefixo] sublaturam, et de eius nullitate, invaliditate [et praecipitanti] processu, iure mediante cum

eodem Instigatore [ ] venerit experturum, protestatione ad praemissa mediante.

Ex actis Capitanealibus Castrens' Sted[ ] Extractum.

Meranovasky, Capitaneus Steritensis, manu propria.

Woitanowsky [ ] Woitanowsky

a) processissem *Ms.*
b) contumiam *Ms.*
c) *lectio incerta*

*N. 10.*

*Varsaviae, 27 Iulii, 1616.*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Martinum Laskowski instigatorem;*
*mandat ut compareat in causa ducis Curlandiae.*
*(exemplar) Adnex. I. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 17r* [Sigismundus] Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae Livoniaeque, Nec non [Suecorum] Gottorum Vandalorumque haereditarius Rex.

Generoso Martino Lazkowsky Instigatori M-tis nostrae Regiae et [Reipublicae] de bonis tuis omnibus ac munere et officio praefato tuo mandamus a M-te nostra regia et consiliariis M-ti nostrae assidentibus in conventu [Regni] generali proximo Varsaviensi aut ubi eundem feliciter celebraverint [sex]ta die ab inchoatione eiusdem conventus prima tamen exclusa ad ins[tantiam] Ill-ris Guilhelmi Curlandiae et Semigalliae in Livonia Ducis, [feudatar]ii M-tis nostrae Regiae et Reipublicae, ac Magni Ducatus Lithuaniae, per[sonaliter] et peremptorie compareas: Qui recitat pro eo, quia tu extra[dita] secunda citatione seu mandato nostro ratione cuiusdam per actorem modernum Ill-rem Guilhelmum Ducem contra pacta cum Serenissimis antecessoribus nostris et nobiscum inita, et contra iuramentum fidelitatis nobis uti supremo et directo feudi Domino praestitum, nec non contra dispositionem et praescriptum iuris feudalis Feudi praefati cum Ill-ri Duce Friderico fratre germano divisionis velandeque eiusmodi divisionis causa, gemini cuiusdam una cum eodem fratre in universos Curlandiae et Semigalliae incolas, contra naturam feudi, imperii cuiusdam usurpationis et institutionis, tum ratione arcium aliorumque bonorum feudo suprascripto subiectorum sine consensu nostro hypothecae nomine cuiusdam obligationis et oppignorationis, Praeterea, appellationum in controversiis inter subditos et nobiles intercedentium in prima subiectione

nobis reservatarum ad M-tem nostram denegationis: Ad haec vasallagii nobis et Reipublicae debiti per actorem contra Reipublicae hostes praestare, itidem cuiusdam recusationis, contra autem militem nostrum per Curlandiam euntem nullo praevio conventu et triplorum servitiorum equestrium, ut praetenditur, iussionis: sui quoque vasallagii ex Nobilium servitiis contra pacta cum Republica celebrata constitutionis et confectionis: Insuper, novissime Generosi Magni Noldii aulici nostri, a iurisdictione Actoris decreto nostro exempti, ac literis salvi conductus muniti, dum per Mitaviam tanquam Commissarius noster Rigam tenderet, in vilipendium M-tis nostrae Regie interemptionis et occisionis, atque literarum immunitatis et protectionis nostrae eiusdem violationis. Denique ratione per internuncios Ill-ris actoris sibi de nomine et cognomine notos tum per literas cum Gustavo Sudermanniae Duce, hoste nostro et Reipublicae certae cuiusdam cointelligentiae quasi commissionis /

*F. 17v* et consiliorum contra nos initorum [decernend' super Ill.] actore privationem feudi Curlandiae et [Semigalliae Ducatus] eiusdem per Regem [in]solidum una cum Ill-ri Friderico Duce [fratre germano indivisim concessi], prout citatio seu mandatum ad instan[tiam Instigatoris Regni extraditum] latius ex praemissa obloquitur, cum praefixione termini [a positione] citationis seu mandati nostri in duabus septimanis, non [expectato termino] ex eodem mandato proveniente absque quovis delatore [super primam] quandam citationem, cuius secundam, ut praemissum est, posuisti, et Ill-m actorem attraxisti, sub quo tempore Secretarii et Internuntii eius pro expediendis negotiis eiusdem Ill-tis missi, sive metu perculsi, [sive ma]lla fide agentes in conventu Regni generali sese non praesentarunt, [quare] protestationes sunt officiose nomine Ill-is suae factae minus iuridice et non [ser]vatis gradibus et solennitatibus iuris, et requisitis ad eam rem ne[ecessariis] obmissis, temere, praecipitanter ac contra iuris communis praescriptum et a[liis] nonnullis causis suo tempore et loco assignato probandis et declarandis, abiudicationem tituli Ducalis Curlandiae et Semigalliae, tum et feudi Ducatus eiusdem et bonorum omnium Ducalium ac iurisdictionis cuiusvis in contumaciam suae M-tis in termino quem ipse et non fuisse peremptorium citatione secunda praefata confirmasti et approbasti in conventu proxime praeterito Varsaviensi obtinuisti. Quapropter citaris ad reponendum eandem contumaciam in vim cuiusdam Decreti obtentam ac ad attentandum de eadem per M-tem nostram Regiam in conventu proxime futuro cognitionem fieri, eamque iustis et legitimis ac iuridicis rationibus impugnari, ac iuris remediis eandem contumaciam nulliter, incompetenter, illegitime ac iniuridice esse obtentam probari et declarari, de eiusque condemnationis invaliditate, et praecipitanti quin potius temerario et iniuridico tuo processu coram M-te nostra Regia experiri, quin potius iuris et aequitatis ratio in praemissis exegerit et poposcerit statui, decerni, et sententiari, his praemissa attentius; Et si quid tibi de iure competerit [ ]

Datum Varsaviae feria quarta post festum sancti Jacobi Apostoli proxima, Anno Domini Milesimo sexcentesimo decimo sexto.

*N. 11.*

*Cracoviae, 13 Augusti, 1616.*

*Ioannes Rostrieczky* [a] *cum sociis, nomine Wilhelmi Curlandiae ducis ad capitaneatum Cracoviensem;*
*recognitio in causa ducum Curlandiae*
[*exemplar*] *Adnex. K. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*F. 18r* [Ministeri]alis Regni providus Joannes Rostrieczky cum [ ] Petro Niemceta et Stephano Wilszkowsky ad officium et acta praesentia Castrensia Capitanealia Cracoviensia personaliter veniens pu[blice] recognovit, Quia die hesterna literas mandati S. R. M-tis seu lit[era]lem citacionem ad conventum Regni generalem Varsoviensem proxime [Var]soviae celebrandum pertinentem, Terminum in se sexta die ad inch[oationem] eiusdem conventus prima tamen exclusa continentem, nomine et ex [parte] Ill-ris Guilhelmi Curlandiae et Semigalliae in Livonia Ducis, [feudat]arii S. R. M-tis et Reipublicae, ac Magni Ducatus Lithuaniae act[oris] in et super Generosum Martinum Laszkowsky Instigatorem S. M-tis regiae et Reipublicae ex officio praefato ipsique citatum, pro eo quod ipse extradita secunda citatione seu mandato regio, ratione cuiusdam per actorem, modernum Ill. Guilhelmum Ducem contra pacta cum Serenissimis Antecessoribus Regis, et cum moderno Rege inita, et contra iuramentum fidelitatis S. R. M-ti praestitum, nec non contra dispositionem et praescriptum iuris feudalis, cum Ill. Duce Friderico, fratre germano, divisionis velandeque eiusmodi divisionis causa, gemini cuiusdam una cum eodem fratre in universos Curlandiae et Semigalliae incolas contra naturam feudi, imperii eiusdem usurpationis, tum ratione arcium, aliorumque bonorum feudo eodem subiectorum sine consensu R. M-tis hypothecae nomine cuiusdam. Praeterea appellationum in controversiis inter subditos et Nobiles intercedentibus in prima subiectione S. R. M-ti reservatarum ad M-tem Regiam denegationis, Ad haec vasallagii Regibus et Reipublicae debiti per actorem contra Reipublicae hostes praestare itidem cuiusdam recusationis; contra autem militem S. R. M-tis per Curlandiam euntem nullo praevio conventu et triplorum servitiorum equestrium, ut praetenditur, iussionis: Insuper, novissime Generosi Magni Noldii aulici S. R. M-tis exempti ac literis salvi conductus muniti in vilipendium M-tis regiae interemptionis, atque literarum immunitatis violationis; Denique ratione per internuncios Ill-ris actoris, tum per literas, cum /

*F. 18v* Gustavo Sudermanniae Duce, hoste [nostro et Reipublicae certae co-] intelligentiae, quasi Commissionis et [consiliorum contra nos initorum] decernen' super Ill. actore privationem feudi [Curlandiae et Semigalliae Ducatus] eiusdem per Regem, in solidum una cum Ill. Frid[erico fratre indivi]sim concessi, prout citatio seu mandatum ad instan[tiam Instigatoris Regni] extraditum latius praemissa obloquitur, Cum praefix[ione termi]ni a positione citationis in duabus septimanis, non expectato [termino ex] eodem mandato proveniente, absque quodam delatore sup[er] primam quandam citationem, cuius secundam, ut praemissum [est] posuit,

et eundem actorem attraxit minus iuridice et non [ser]vatis gradibus et solemnitatibus iuris, et requisitis ad eam rem necessariis obmissis, temere, praecipitanter ac contra iuris communis praescriptum, et aliis nonnullis causis tempore et loco assignatis probandis; abiudicationem tituli Ducalis Curlandiae et Semigalliae, tum et feudi Ducatus eiusdem et bonorum omnium Ducatus ac Jurisdictionis cuiusvis, in contumaciam Ill.-tis suae in termino quem ipsum [a], et non fuisse peremptorium citatione praefata secunda confirmavit et approbavit, in conventu proxime praeterito Varsoviae obtinuit; ad reponendum eandem contumaciam in vim cuiusdam decreti obtentam, ac ad attentandum de eadem, per M-tem Regiam in conventu proxime venturo, cognitionem fieri, eandemque iustis et iuridicis rationibus impugnari, ac iuris remediis eamdem contumaciam nulliter et iniuridice esse obtentam probari, de condemnationisque invaliditate et praecipitanti processu coram M-te Regia experiri, tolli, cassari et annihilari literis eiusdem mandati eiusdem S. R. M-tis, et citationem eamdem de praemissis latius cavendis in curia villae Rachwalowicze posuit, et positionem eiusdem citationis familiae ibidem praeventae publicavit et notificavit de forma Juris.

Actum in Castro Cracoviensi sabato in vigilia Festi Assumptionis beatissimae Virginis Mariae in coelum Anno Domini 1616.

Laurentius Domaniewsky Vicegerens Iudex causarum officii Cracoviensis.

Cons. Fabieis manu propria.

a) *sic Ms.*

*N. 12.*

*Londini, 14 Decembris, 1558*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad universos;*
*Christophorum Mont commendat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

Litterae Patentes D. Christophori Montii

*F. 2 v* Elizabetha etc. Universis ac singulis Regibus, presulibus ecclesiasticis et secularibus, Archiepiscopis, episcopis, Dominis et Consulibus liberis Sacri Romani Imperii Statibus ac Civitatum praefectis etc. salutem, et S. dil. aff. Serenissimi, Excellentissimi etc. Cum prudentia, rerum gerendarum usus, fides, ac diligentia dilecti et fidelis famuli nostri D. Ch. Montii legum doctoris, quam Serenissimis illustrissimae memoriae principibus D. Henrico $8^0$ et D. Edwardo $6^0$ patri et fratri, nostris longe charissimis longo tempore, et multis obeundis eorum negociis sedulo magnaque cum integritatis suae laude praestitit, nobis cognita, perspecta, multumque probata existat:

Significamus per presentes vestris Serenitatibus, Excellentiis et humanitatibus eumdem Ch. Montium propter easdem probitatis rationes, nobis quoque valde acceptum, gratum, et percharum esse.

Eum itaque libenter, ut fidelem rerum nostrarum actorem, vobis universis ac singulis commendamus/

*F. 3 r* impense vos rogantes, ut hunc nostrum Actorem benigne, nostra causa, tractetis, et cum omni benevolentiae officio prosequamini. Quam vestram humanitatem, nostro nomine, huic nostro declaratam, nos vicissim vestris, pari vestro rogatu, et in simili rerum vestrarum usu, libenter reponemus, et cumulate compensabimus. In cuius rei testimonium etc.

Londini, 14 Decembris 1558.

*N. 13.*

*Londini, 26 Decembris, 1558*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*pro libero transitu mercatorum.*
*(concept.)* *)
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 3 r* D. Sigismundo Augusto Regi Poloniae etc.

Elizabetha etc. Quum mutua voluntate atque consensu, omnium Regum et principum, inter quos Amicitia constat, concedi solet, ut suis utrinque Mercatoribus liberum, tutum, et expeditum iter, quaquaversuscumque ire, negotiationis exercendae causa velint, semper per eorum regna atque ditiones pateret, petimus nos a vestra Serenitate ut, quoties posthac nostri mercatores Angli, negotiationis nomine, occasionem habituri sint transeundi per ulla/

*F. 3 v* vestrae ditionis loca, id eis, cum bona Serenitatis vestrae gratia atque favore, sine ullo vestrorum impedimento aut molestia, et si opus fuerit, sub praesidio quoque vestrae auctoritatis, salvi conductus, et publicae fidei, libere facere concedatur.

Quam vestrae Serenitatis erga nostros humanitatem, nos vicissim pari in vestros studio, mutuaque benevolentia, libenter subsequemur. Deus etc.

Londini, 26 Decembris 1558.

*) *CAL. STATE PAPERS, Foreign, 1558-59, no. 125. Aliud exemplar in B.M. Sloane, 4144, f. 3b.*

*N. 14.*

*Londini, 26 Decembris, 1558*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Albertum gubernatorem Vilnae*
*pro libero transitu mercatorum*
*(concept.)* *)
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 3 v* Illustri et Magnifico Domino D. Locumtenenti Serenissimi Regis Poloniae, in Lituania, D. deputato Capitaneo et Supremo Vilnae gubernatori, **) Amico nostro charissimo.

Illustris et magnifice Domine, Amice charissime. Mercatores nostri Angli, negociandi causa, per varias orbis plagas permeandi saepenumero occasionem habent.

Et quoniam facultas et opportunitas libere eundi transeundique/

*F. 4 r* per omnia regna atque ditiones eorum principum, inter quos amicitia constat mutua voluntate et consensu eorumdem principum suis utrinque mercatoribus facile ac benigne concedi solet, postulamus a vestra humanitate, ut quando nostri posthac per ulla vestrae jurisdictionis loca, negotiationis causa, eundi redeundique occasionem habeant, id libere eis, ac sine impedimento facere liceat.

Quam benevolentiae rationem, nos vestri Principis mercatoribus, ad parem eorum usum, in simili re libenter ostendemus. Et hanc vestram quoque humanitatem, cum opportunitas feret, memori animo, compensaturae sumus. Petimus etiam ut huic fideli nostro subdito Thomae Alcock, mercatori Londini, qui has nostras perfert, quique negotiationis causa hoc iter suscepit, hanc per vestra loca eundi redeundique facultatem humaniter concedatis. Quae res nobis accepta admodum et pergrata erit.

Bene valete.

Londini, 26 Decembris 1558.

*) *C.S.P. 1558-59, no. 127: aliud exemplar, Sloane Ms. 4144, f. 4.*

**) *Sic in ms. Palatinus Vilnensis Albertus (Wojciech) Gasztold obiit 1539; post eum palatinatum habebat Ioannes Hlebowicz (ob. 1546) et Nicolaus Radziwiłł (ob. 1565). Castellanuns Vilnensis 1558 erat Hieronymus Chodkiewicz (ob. 1562).*

*N. 15.*

*Westmonasterii, 8 Februarii, 1560*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae;*
*intercedit pro tribus mercatoribus Anglis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 39 v* Domino Sigismundo Augusto Regi Poloniae etc.

Elizabetha etc. Allatum est ad nos, tres Anglos, cives Gedanenses, Guilelmum Dickenson, Humfridum Carr et Rogerum Watson sponsionis condemnari in Polonia, quoniam Cuthbertus Blunt, mercator Novi Castrensis sese non sisteret coram vestris Iudicibus in Regno vestro Polonico./

*F. 40 r* Intelligimus etiam vestram Serenitatem pro bonitate suae naturae misericorditer commotam fuisse hoc calamitoso casu horum trium Anglorum, et propterea scripsisse iam ante triennium in illorum gratiam ad

D. Philippum Hispaniarum regem, fratrem nostrum charissimum, quatenus ipse Cuthbertus Blunt, cuius solummodo res agebatur, in Poloniam mitteretur, ne eius causa detrimentum caperent tres illi innocentes, a quo beneficium potius expectare debuerant.

Causam, cur Cuthbertus Blunt sese non potuerit ad diem statutum sistere in Polonia, hanc exploratam habemus, quod, eo ipso tempore, certis publicis negociis gerendis, a Domina Regina Maria, charissimae memoriae principe, Sorore nostra charissima, preficiebatur, quorum functionem deserere non licuerat. Ex hac vita iam decessit ipse Blunt. Verum cum certae rationes et ad fidem faciendam firmissimae possunt in medium proferri, quibus plane constat res illas, quae Gerardus Inninghfelde Gedanensis, eiusque socii, tanquam bona sua vendicabant, non illorum, sed Scotorum hostium bona fuisse, et propterea iure tum belli capta, tum fori empta esse, rogandam vestram Serenitatem esse duximus, pro bonitate suae naturae, pro aequitate ipsius causae, et pro calamitate horum innocentium virorum, ut dignetur novam commissionem concedere, cuius aucthoritate haec integra causa denuo ad cognitionem Senatus Gedanensis referatur.

Nisi enim palam convincatur, bona illa non Gerardi Inninghfelde illiusve sociorum/

*F. 40 v* sed manifestorum hostium fuisse, tres illi Angli non recusant, quominus quidvis extremi patiantur.

Si huic nostro rogatui vestra satisfaciat Serenitas, sedulo curabimus, cum similis vestrorum subditorum causa in hoc regno nostro agatur, ut par, non solum aequitas, sed etiam humanitas, vestris vicissim ostendatur.

Deus etc.

Westmonasterii, 8 Februarii 1560.

*N. 16.*

*Westmonasterii, 8 Februarii, 1560*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*intercedit pro tribus mercatoribus Anglis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 40 v* Civitati Gedanensi.

Magnifici Domini, Amici charissimi. Intelligimus causam quandam, olim apud vos, inter Cuthbertum Blunt Anglum, et quosdam cives vestros diligenter actam, et rite explicatam, ad vestri consilii cognitionem denuo esse revocatam.

Huius litis molestiam omnem, G. Dickenson, Humfridus Carr, et Rogerus Watson, viri Angli, et vestri nunc cives, sponsores facti pro Cuthberto Blunt, iam hac vita functo, sustinere compelluntur.

Verum enimvero, cum illi possunt proferre certa scripta testimonialia, quibus plane constet, eas ipsas res, de quibus tota haec controversia suscipitur, non fuisse bona Gerardi Inninghfelde, eiusve sociorum, sed hominum Scotorum, qui huic regno tunc temporum aperti hostes extiterunt, a vobis itaque petimus, ut his tribus Anglis, in hac iusta illorum causa, praesidio esse velitis.

Rem enim, hoc modo, et vestre superiori aequitati, admodum consentaneam, et nostre, de vestro erga nos studio atque voluntate expectationi congruentem facietis.

Quam nos vicissim, cum par opportunitas postulat in simili vestrorum causa libenter compensabimus.

Bene valete.

Westmonasterii, 8 Februarii 1560.

*N. 17.*

*Westmonasterii, 8 Februarii, 1560*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses,*
*ut auctoritatem scriptorum confirment.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.* *)

*F. 41 r* Civitati Gedanensi.

Magnifici Domini, Amici charissimi.

Controversia quaedam inter duos Anglos Henricum Saxeye et Gulielmum Hudson ad supremum Regis nostri Judicem delata est: quam causam intelligimus, apud vestrum Senatum ante aliquot iam annos actam fuisse.

Inter disceptandum, Henricus Saxeye, profert duo scripta Testimonialia a vestro, uti ille ait, Senatu confecta, publicoque vestre Civitatis sigillo communita. Judicibus nostris penitus considerantibus hec scripta, non levis injicitur scrupulus ipsa sigilla falso esse affixa. Quae res, cum non solum ad turbandam aequitatis causam, sed etiam ad violandam vestre Civitatis dignitatem spectet, consultum nobis fuit, hec ipsa scripta ad vos mittere, ut quid de hoc facto statuendum sentiatis, quam primum fieri potest, literis vestris nobis significare velitis.

Hoc enim modo vos et ipsi aequitati opportune subvenire, et vestre dignitati recte consulere, et nobis etiam rem gratam facere potueritis.

Bene valete, etc.

Westmonasterii, Octavo Februarii 1560.

*) *Responsio ad hanc epistolam, C.S.P. 1561-62, no. 529, ubi datum est 6 Feb. 1561.*

*N. 18.*

*Westmonasterii s.d., [1561-1562]*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*Thomae et Guilelmi Martin causam Gedani actam commendat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.* *)

*F. 71 v* Serenissimo Principi Domino Sigismundo Augusto Regi Poloniae etc.

Elizabetha etc. Aliquot iam sunt anni, tempore parentum utriusque nostrum, charissimae memoriae principum, cum Thomas Martin, Anglus, Nicholaum Barker, et Bernardum Thule, cives Gedanenses, nomine grandis pecuniae sibi debitae, Gedani apud Scabinos in Jus vocaverit. Sententia, pro aequitate causae, lata est secundum nostratem, Gedanenses tamen, domestica sua et potentia, et opportunitate freti, ad superiores istic magistratus, Consules et Senatum Gedanensem, provocant.

Res denuo secundum Thomam Martyn dijudicata est. Adversarii, gemina iam sententia domi superati, alienum ab omni aequitatis ratione, frustrandae justitiae consilium ineunt. Et causam, et hominem, in Poloniam usque protrahunt, apud Judices istic, qui nominantur terrestres; non bonitate causae fisi, nec de iniuria, sibi a suis, domi imposita conquesturi, sed hoc solum consilio, ut homo alienigena, in regione tam dissita, legibus et moribus prorsus illi incognitis, vel longo litis tractu, vel longinqui itineris molestia, vel intolerabili sumptus magnitudine, tandem defatigatus, a persequendo suo iure omnino desisteret./

*F. 72 r* Cum tertia iam sententia, secundum nostratem istic quoque lata esset, Gedanenses illi, ut nullum sibi iniuriae faciendae locum reliquum facerent, ad Regem ipsum Poloniae provocant, parentem vestrum, charissimae memoriae principem. Sed justitia apud justissimum principem tantum valuit, ut, non solum pro nostro sententiam ipse tulerit, sed mandatum quoque suum ad magistratus Gedanenses perscripserit, ut ipsi executionem iustitiae, pro tot latis sententiis, in hac causa, quamprimum expediri curarent. Cursus tamen iustitiae tot morarum diverticulis impeditus Gedani fuit, ut Thomas Martin prius e vita sua discesserit quam ad ius suum pervenire potuerit.

Guilelmus Martin, Thomae filius, parvulus quidem tunc cum pater moriebatur, famulus nunc noster fidelis et perdilectus, haec paterna debita iure et hereditario, et testamentario repetit.

Huic famulo nostro, suppliciter saepe opem imploranti nostram, in causa tam iusta, et in re tam manifesta deesse non possumus.

Nam quo tota res exploratior nobis esset, negotium dedimus/

*F. 72 v* certis nostris Jurisconsultis, ut illi causae huius rationem, ab initio, omnem, litis progressum universum, et sententiarum singularium unumquemque exitum, considerata deliberatione cognoscerent, qui rem, tam explicatam et apertam ad nos deferunt, ut plane constet nobis, causam et iustam et necessariam, nostrum famulum habere omnem iustam sequendi viam, qua Jus suum consequi et obtinere queat.

Nos itaque admodum rogamus Vestram Serenitatem, ut dignetur suis

litteris atque iussu mandare Magistratibus Gedanensibus, ut haec causa famuli nostri, omni legitimo processu apud eos tam manifesto evicta, sic mature expediatur, ut debita pecunia integre illi persolvatur. Atque si aequitatis cursus, antea nobilissimi patris vestri iustissima sententia rite terminata, nunc similiter vestra authoritate, ad iustum exitum perducatur, curabimus nos vicissim, ut a vestris itidem subditis, in nostris ditionibus, cum par occasio ferat, iniuria omnis atque molestia similiter prohibeatur.

Deus etc.

Westmonasterii. Regni vero nostri Quarto *).

*) *Invenitur haec epistola inter Opera ROGERI ASCHAM, ed. GILES*, II, pp. 80-81, London, 1864

*N. 19.*

*Westmonasterii, 27 Martii, 1562*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*Thomae et Guilelmi Martin causam commendat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.* *)

*F. 73 r* Magnificis Dominis Consulibus ac Senatoribus Civitatis Gedanensis.

Magnifici Domini, Amici charissimi. Intelligimus causam quandam debitae pecuniae, ante aliquot annos, inter Thomam Martin Anglum et Nicholaum Barker ac Bernardum Tule, cives vestros, in illa vestra urbe fuisse disceptatam. Et cum ea ipsa causa et apud vos, et in Regno itidem Poloniae, omnibus, et legum processubus rite explicata et adversariorum appellationibus, quoad fieri potuit, impedita, et cunctis semper Judicum sententiis, secundum nostratem fuerit dijudicata, executioni tamen Juris, tot repagula sunt obiecta, et frustrandae justitiae, tot sunt quaesitae morae, ut Thomas Martin e vita prius excesserit, quam ad Jus suum pervenire potuerit.

Guilelmus Martin, Thomae filius, parvulus quidem tum, cum pater moriebatur, haec ipsa paterna debita, iure nunc et hereditario et testamentario repetit. Cumque hic Guilelmus, fidelis noster famulus, saepe nostram gratiam atque opem ad consequendum Jus suum, suppliciter imploraverit, Nos, ut de causae aequitate,/

*F. 73 v* quid certum et exploratum esset cognosceremus, certis nostris Jurisconsultis mandatum dedimus, ut litis progressionem omnem, et sententiarum exitum unumquemque accurate excuterent; qui rem sic ad nos deferunt, ut nos aequitate rei magis quam hominis misericordia commotae, scribendum ad vos esse duceremus, et a vobis petendum, ut, quod Leges vestrae iusserunt, quod Judices omnes, cum vestrates, tum Poloni, consentientibus sententiis statuerunt, id vos iam huic nostro famulo integre expediri, pleneque confici quamprimum curetis. Nos enim vel aequitatis ipsius nomine, in causa tam iusta, in re tam aperta, in iniuria tam eminenti, famulo nostro deesse non possumus. Malumus tamen, ut hoc modo,

nostro rogatu atque literis, quam ullis aliis iuris remediis, indemnitati nostri famuli prospiceretur.

Si igitur vos, aequitatis ipsius respectu, et nostro etiam hortatu, ius suum famulo nostro representari efficiatis, rationem vos, et iustitiae rectam, et nostri quoque gratam habuisse iudicabimus. Quod vestrum officium, nos etiam grata memoria retinebimus.

Bene valete etc.

Westmonasterii, Anno Domini 1562, Regni vero nostri quarto.

*) *GILES* II, pp. 82-83

*N. 20.*

*Windsoriae, 25 Aprilis, 1564*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de interventu regis in causa Guilelmi Martin gratias agit.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 116 r* Serenissimo D. Sigismundo Augusto Regi Poloniae etc.

Gratum fuit nobis intelligere, ex literis vestris, superiori anno ad nos datis, quam libenter et studiose, cum aequitatis nomine, tum nostro rogatu, Vestrae Serenitatis authoritas praesto fuit perdilecto nostro famulo Guilelmo Martin, in causa quadam pecuniae sibi debitae, et multis iam annis in Civitate Vestra Gedanensi sumptuosis litibus agitatae.

Quae causa, licet omnibus Legum processibus sit explicata, et tribus iam conformibus diffinitivis sententiis secundum nostrum famulum dijudicata, licet speciali vestrae Serenitatis superiori anno mandato, iniunctum fuerat Magistratibus Gedanensibus, ut omnem causam amoveant, quo minus predictus Guilelmus Martin et fratres eius, ad integrum ius suum, quam primum possint pervenire, tamen eadem ipsa causa adhuc sic reiecta est, ut ab his Magistratibus, nec aequi et boni, nec vestri etiam mandati, iusta ratio habita esse videatur.

Sed cum Vestra Serenitas, sponte sua, et perbenigne pollicetur literis suis ad nos scriptis, si quid deinceps praeter mandatum vestrum et voluntatem, in hac subditorum nostrorum causa acciderit, se velle tam severioribus etiam mandatis illis adesse/

*F. 116 v* primum, pro tanta benevolentia erga nostros, et tam grato studio erga nos, magnas, uti par est, gratias Vestrae Serenitati agimus, et praeterea rogamus, ut vestra gratia atque authoritate, noster famulus eiusque fratres, sic suum ius mature obtineant, ut mutuam nostram benevolentiam, non literis solum declarandam, sed officiis etiam certatim representandam, aliquando in vestrorum causis, pari studio ac libenter exhibeamus.

Deus Serenitatem vestram etc.

Windsoriae, xxv Aprilis 1564.

*N. 21.*

*Windsoriae, 25 Aprilis, 1564*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses,*
*ut sententia in causa Guilelmi Martin exsequatur.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 116 v* Magnificis Dominis Consulibus, Scabinis et Magistratibus Gedanensibus.

Magnifici Domini spectabiles, Amici charissimi.

Certa fuimus in expectatione, eam habitam esse rationem nostrarum litterarum, quibus, ad respectum ipsius aequitatis, causam dilecti et fidelis nostri famuli Gulielmi Martin, vobis ante iam biennium commendavimus, ut post tres conformes diffinitivas sententias in ea causa latas, presens iustitiae executio, prout ius et aequum postulat, consequeretur. Verum, cum intelligamus, post omnes Legum processus, rite et legitimo ordine explicatos, moras adhuc ipsis quaeri frustrandae iustitiae in hac causa, licet ipsa aequitas a vobis iam iure postulet, cum iustae nostrae postulationes parum possunt, ut aliis iuris remediis, famuli nostri iustis querelis, primo quoque tempore, consuleremus, tamen/

*F. 117 r* antequam ad extrema illa deveniamus, denuo ad vos scribendum esse duximus, a vobisque postulandum, ut huic famuli nostri causae, tot Judicum sententiis iam diiudicatae, tot modis semper evictae, plene tandem satisfiat, tam in bonis reorum ac fideiussorum ipsorumque heredum, quam in bonis aliorum quorumcunque, qui rei iudicatae nomine tenentur.

Cuius nostri postulati, si intelligamus, vestras prudentias, cum favore, et sine mora eam habituras rationem, quam aequitas postulat, et nos etiam plane expectamus, curabimus sedulo, ut in vestrorum causis, cum par aequitas a nobis postuletur, similis favor, pro nostra parte, libenter itidem adhibeatur.

Deus Serenitatem vestram etc.

Windsoriae, xxv Aprilis, Anno Domine 1564

*N. 22.*

*Londini, 25 Novembris, 1564*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae;*
*de recuperanda pecunia quam Ioannes Cop Thomae Allen solvere debet.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 123 v* D. Sigismundo Augusto Regi Poloniae etc.

Elizabetha etc. Quidam Joannes Cop, qui parandis mercibus in usum Vestrae Serenitatis praeest, per famulum suum Joannem Epte egit cum Procuratoribus Thomae Allen fidelis subditi et dilecti etiam famuli nostri,

de pannis laneis in usum Vestrae Serenitatis ex Anglia Gedanum transmittendis. Panni, igitur, pro constituto et pacto, numero multi, materie, opere, et colore varii, ad varios usus Vestrae Serenitatis comparati, eidem Joanni Epte per Blasium Frema Procuratorem Thomae Allen, in manus eius traduntur. Pecuniae pars aliqua pro his pannis, recte soluta est: Reliqua pars multo amplior, ad summan quater [a] millie, centum, quatuordecim Marcarum, adhuc debetur. Ille enim Joannes Cop, relicto Gedano, et deserta omni eius pristina istic negotiatione, in intimam Poloniam (uti ferunt) secessit. Famulus noster Thomas Allen, incertus qua via pecuniam sibi debitam recuperet, humillime nobis supplicavit, ut dignaremur literis nostris, a vestra Serenitate hoc petere, ut vestro iussu atque Authoritate ille Joannes Cop adigatur ad solvendum iuste, integre, et primo quoque tempore pro illis pannis, quos noster /

*F. 124 r* famulus [b] eius Procuratori tradidit et quos potissimum [c] pro sua in Vestram Serenitatem observantia, libenter ac studiose in vestrum usum comparavit.

Rem hoc modo faciet Vestra Serenitas gratam nobis, peroptatam nostro dilecto famulo. Et nos parem voluntatem [d] atque studium in tuendo itidem vestrorum tam iustas causas, in omni opportuna occasione sedulo ostendemus. Famulus vero noster Thomas Allen, gratia et benignitate vestra Regia, in tantis rerum suarum angustiis sublevatus, ad omne gratum officium, et opportunum usum Vestrae Serenitatis se, ac suas facultates et fortunas omnes, paratissime deinceps est addicturus.

Deus etc.

D. D. Jacob. 25$^{0}$ Novembris 1564

a) quatuor *expunctum*
b) libenter et studiose *expunctum*
c) et quos potissimum *add. s. l.*
d) par officium *expunctum*

*N. 23.*

*Grenvici, 17 Iulii, 1565*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae;*
*in causa Guilelmi Martin intercedit.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 132 r* Regi Poloniae

Elizabetha etc. Quemadmodum fuit gratum nobis ante, intelligere ex ipsis literis Vestrae Serenitatis ad nos scriptis, quam studiose V. Serenitas, et aequitatis nomine, et nostro etiam rogatu, mandaverit Senatui Gedanensi, ut integra et matura executio Juris, fideli et dilecto famulo nostro Gulielmo Martino, eiusque procuratoribus, in causa quadam pecuniae, ei diu iam debitae, exhiberetur: quae quidem causa, tribus iam conformibus diffinitivis sententiis secundum nostrum famulum diiudicata est, ita nunc nobis molestum est intelligere, mandatum exiisse hoc anno, vestro quidem nomine, sed an vestra etiam voluntate, nostri istic nonnihil ambigunt, quo mandato, sub gravi poena iniunctum est Gedanensibus, ut Joannem Martin, dilecti famuli nostri fratrem atque factorem ab omni

processu Judiciario excludant, nisi ante, idem Joannes Martinus cautionem fideiussoriam de litis expensis tam prioribus quam posterioribus adversario suo solvendis praestiterit. Quae res ab adversario ad hunc solum finem excogitata est, ut factores nostri famuli, homines istic alienigenae, in regione tam remota, huius litis tandem, vel nimis longo/

*F. 132 v* tractu vel intolerabili cum sumptu tum molestia defatigati, a persequendo iure suo prorsus desistunt, ut sic cursus Iustitiae omnibus morarum diverticulis impeditus, nostris hominibus omnino occludatur. Praeterea, nec rationi consonum, nec aequitati congruum videri potest, ut huiusmodi cautio fideiussoria ab eo exigatur, cuius causa tribus conformibus sententiis evicta, in rem iudicatam iam processit: cum potius omni iure expensae illi persolvendae, non ab eo exigendae sunt. Itaque cum Gedanenses antea referebant totam hanc causam ad Vestram Serenitatem, nos impense rogamus, ut eam in gratiam suam recipiat, et iudicio etiam suo expediat, ut aequitas ipsa postulat, ut leges omnes iubent, ut Judices tot consentientibus sententiis iam statuerunt; ne frustra toties, vel famulus noster nostram imploravisse opem, vel nos tot scripsisse literas videamur. Et propterea nos plane expectamus, ut in hac causa tam exploratae aequitatis, is favor nostro famulo in Polonia Vestrae Serenitatis gratia et mandato ostendatur, quem nos vestris semper subditis, in pari aequitatis ratione exhiberi libenter procuramus.

Deus Vestram Serenitatem in omni florenti foelicitate diutissime conservet incolumem.

Ex Regia nostra Grenovici, 17$^{0}$ Julii 1565.

*N. 24.*

*Grenvici, 8 Martii, 1565*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*gratias pro intercessione in negotio Thomae Allen agit, ulteriorem intercessionem expostulat.*

*(concept.)*

*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 155 v* D. Sigismundo Augusto Regi Poloniae et caet.

Elizabetha etc. Fecit Vestra Serenitas anno superiori, et nobis valde gratam rem et per se admodum praedicabilem: quod tam benigne, ad nostrarum literarum rogatum, et tam iuste, ad ipsius aequitatis respectum, expressis verbis mandaverit, ut plene satisfieret dilecto nostro famulo Thomae Allen, mercatori Londinensi, qui libenter ac sedulo, sua pecunia curaverat, bene magnum numerum pannorum Anglicorum ad proprium usum Vestrae Serenitatis et eos omnes pannos, per suos factores, in manus tradiderat Procuratoribus Joannis Cop, qui mercibus parandis in usum Vestrae Serenitatis praeerat. Pars pretii ex pacto constituti recte solvitur. Reliqua pecunia, ad summam quater millie, centum, quatuordecim marcarum hactenus non solvitur. Vestra Serenitas quidem, de tota hac re, et nostrorum sermone, et nostris literis facta certior, aequissima ratione, iniquum esse censuit, ut famulus noster, pro humanitate

fraudem, et pro tam studiosa sua in Vestram Serenitatem observantia, tam apertam a vestris iniuriam reportaret. Vestri vero, quibus mandatum fuit, ut nostro famulo recte et integre quam primum satisfieret, uti nos accepimus, cursum Vestrae aequitatis minime secuti, in eas moras et dilationes sic factores famuli nostri rejiciunt, ut illi non solum iure suo et fructu mandati Vestrae Serenitatis fraudati, sed sumptu intolerabili indies ingravescenti defatigati/

*F. 156 r* sentientes se inani ali quotidie spe, et falsa illudi expectatione, re infecta redeunt. Et cum haec aperte strui videantur, non solum contra omnem, et aequitatis et humanitatis rationem, sed contra ipsam etiam Serenitatis Vestrae voluntatem atque sententiam, scribendum denuo nobis esse duximus, et summopere etiam petendum, ut quam benigne ante Serenitas Vestra iusserit, ut nostro famulo plene satisfieret, tanta cum authoritate nunc dignetur, expresso suo verbo, et certis suis hominibus mandare, uti illi quamprimum et curent et videant, ut sine fraude, et sine mora, nostri famuli factoribus, omnis illa pecunia debita, recte et integre persolvatur. Vestra Serenitas in expedienda hoc modo hac tam iusta causa, et ipsius aequitatis, et nostrarum literarum, et observantiae nostri famuli ad serviendum Vestrae Serenitati hoc beneficio deinceps futuri paratissimi, iustam rationem habuisse iure videri poterit.

Deus et caet.

Ex Regia nostra Grenovici octavo die Martii 1565.

*N. 25.*

*Westmonasterii, 8 Decembris, 1566*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*pro subdito suo Egidio Graye incarcerato intercedit.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 166 v* Magnifici Domini viri spectabiles, et amici perdilecti.

De afflicta conditione vitae in quam istic iniuste compingitur fidelis et dilectus noster subditus Egidius Graye, fusa quidem multorum explicatione, et magna nostra illius cum commiseratione, nobis declaratur.

Is vir nobis, non solum probe notus, sed suo merito valde charus existit. Cuius et fides explorata, et usus opportunus, et opera pernecessaria Henrico patri, Edwardo fratri, Mariae sorori, nobilissimae memoriae principibus, et nobis itidem ipsis, in multis magnis maritimis negotiis, saepe quidem fuit.

Mirari satis non possumus, sic tam duriter agi, praesertim Gedani, cum hoc nostro perdilecto subdito, quod is homo Anglus ad eam gentem profectus sit, quacum gente nobis, et bona pax, et firma intercedit amicitia. Est haec nostris quidem magna imposita vis, et nobis ipsis etiam non minima oblata iniuria, quam ut nos non ferre cogitamus, ita nostros nimium illa premi, pati quidem non possumus. Atque si quid ex illo eius facto vobis incommodi accidit, domi potius in vestrates, quam in hunc nostrum subditum iure animadvertendum habetis. Hoc ita esse, Serenissimi Principis, et fratris nostri/

*F. 167 r* charissimi D. Sigismundi Poloniae Regis officiarii [a] plane sentiunt: hoc ipsi intelligitis: hoc nobis compertum habemus. Aequum igitur et bonum, et nobis valde gratum officium facietis, si hunc nostrum Egidium Graye, e carcerum tenebris, ubi inedia et frigore prope evectus est, luci et libertati quamprimum restituatis, restituta illi etiam nave sua cum bonis et armamentis eius universis, una cum iusta compensatione omnium illorum damnorum et iacturarum, quas illi haec apportavit miseria.

Quo quidem modo, et ipsi rite satisfacietis aequitati, et nostrae plene respondebitis expectationi, qua nos plane tenemur, vos velle pro vestra prudentia quamprimum de hac causa ita statuere, ut ipse Egidius Graye reipsa sentire, nos ex eius sermone intelligere possimus, opus posthac non fore, vel eius amicis amplius conqueri, vel nobis denuo scribere de hac eius causa.

Feliciter valeatis, et caet.

Westmonasterii octavo Decembris 1566

a) *sic in ms.*

*N. 26.*

*Westmonasterii, 6 Decembris, 1566*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*pro subdito suo Roberto Nayler, cuius navis a Gedanensibus capta est, intercedit.*

*(concept.)*

*B.M. Royal 13 B. I.* *)

Gedanensibus et caet.

*F. 170 r* Magnifici Domini, viri Spectabiles, Amici dilecti.

Graves ad nos querelae delatae sunt, de facto certorum hominum Gedanensium, qui hac superiori aestate, navem fidelis et dilecti nostri subditi Roberti Nayler, civis et mercatoris Hullensis, negotiatum proficiscentem ad ea loca, quibuscum nobis et bona pax et firma intercedit amicitia, ac redeuntem nuper ab illa profectione, hostiliter invadentes, vi Gedani abducunt: ubi eiectis mercatoribus ac nautis, et ad extremam miseriam compulsis, ipsam Navem tanquam piraticam, et omnia bona, veluti praedam, occupant atque detinent. Atque ut nos ferre non possumus, ut fideles nostri subditi, tanta premantur iniuria, ita eam de vestra etiam prudentia et aequitate existimationem habemus, ut non solum statuamus, inscientibus vobis, hoc a vestris fuisse admissum, sed plane expectamus, ut primo quoque tempore, ea iustitiae ratio, in hac causa, a vobis habenda sit, ut nec vestri impune hoc perpetrasse, nec nostri frustra apud nos conqueri videantur.

Itaque rem facietis et nostrae expectationi, et vestrae aequitati valde consentaneam, si fidelis noster subditus Robertus Nayler, navem suam cum bonis universis, hac literarum nostrarum commendatione, et vestra authoritate recuperet.

Et nos parem aequitatis rationem, in vestrorum negotiis cum usus et occasio tulerit, libenter ostendemus.

Foeliciter valeatis, et caet.

Westmonasterii, 6 Decembris 1566.

*) *Edita, GILES* II, pp. 79-80

*N. 27.*

*Westmonasterii, 20 Martii, 1566*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*de qualitate mercium conqueritur.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.* *)

*F. 180 r* Gedanensibus.

Magnifici Domini, Illustres, spectabiles, Amici charissimi.

Varii nostri subditi, probi, et exploratae fidei viri, graviter conqueruntur, quod merces illae, quas tam nostri quam vestri mercatores istic Gedani de more comparant, et in Angliam apportant, ut linum, canabis, Pix et id genus aliae, cum aridae, tum fluidae merces, iam veteri vestrarum mercium nec bonitati nec mensurae quidem respondeant.

Quae res, non solum detrimentosa nostrorum fortunis, sed perincommoda nostrae classi, propter fallacem atque inhabilem hoc modo omnem funestrem apparatum et nimis etiam periculosa, eadem ipsa de causa, omnibus nostris existit, qui vitam suam navigationi, et venti marisque discrimini addixerunt. Hanc non vestrae inclytae urbis communem culpam, sed certorum vestrorum vel negligentem incuriam, vel dedita opera admissam fraudem, nostri nobis plane esse asseverant: et nominatim eorum hominum, qui mercium examinatores, et fabri vasarii apud vos designantur.

Atque licet, uti plane iudicamus, inscientibus vobis et invitis etiam, hae iniuriosae imposturae et excogitatae et exercitae sint, ipsa tamen aequitas postulet, et vestrae item erit prudentiae, diligenter et imprimis videre, ne haec nova paucorum hominum fraus ad privatum structa quaestum, communi vestrae urbis nomini et dignitati, quae prisca et praecipua iusti commercii exercendi laude multis iam seculis floruit, graviorem aliquam notam inurat. Sed quia persuasum habemus, vos, prudenter et opportune, maturum remedium huic malo adhibituros, volumus itaque, ut haec, quae scribimus, non graviter expostulandi, sed amice commonefaciendi nomine, a vobis accipiantur. Atque quo melius statuatis, de nostrorum detrimento, et vestrorum iniuria, mandavimus, ut omnes illae damnosae fraudes, de quibus/

*F. 180 v* nostri conqueruntur, in separato seorsum scripto, communi Civitatis nostrae Londini sigillo consignato, fusius et explicatius perscribantur.

Praeterea, pergratum est nobis intelligere ex sermone Thomae Allen dilecti famuli nostri, nostrique mercatoris, quod superiori anno, factores eius, in parandis istic, istincque transportandis multis rebus, nostro iussu,

nostraque pecunia ad [a] nostrae Classis usum comparatis, praecipuam quandam vestrum, in nostram quandam gratiam, et benevolentiam et humanitatem sunt experti.

Quam gratificandi nobis rationem si similem, hoc anno, eisdem famuli nostri factoribus, persimile nostrum negotium iam obeuntibus, pari benevolentiae, studio, declaraveritis, officium nobis, ut ipsa re pergratum sic mutuo vicissim officio in omni commoda opportunitate, a nobis compensandum facietis.

Foeliciter valeatis.

Westmonasterii, XX Martii 1566.

a) *in ms loco « ad »*: de

*) *Edita, GILES* II, pp. 68-69

*N. 28.*

*Westmonasterii, 18 Aprilis, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*de iniuria mercatoribus suis illata conqueritur, pro iisdem intercedit.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

Civitati Gedanensi.

*F. 182 r* Magnifici Domini, Spectabiles, Amici charissimi.

Thomas Bowes, Antonius Gammage, Thomas Walker, Cives Londinenses, spectabiles mercatores [a], exploratae probitatis viri, unacum aliis sociis suis, querelas quidem graves de gravibus vestrorum iniuriis, ad nos detulerunt.

Sustinuimus diu, nec his nostris, viris licet spectatae fidei, fidem facilem tribuimus. Sed mandatum nos nostris Consiliariis dedimus, ut-ut ipsi de hac re considerate deliberarent. Qui, singulis rerum momentis rite excussis, et more legittimo examinatis, invenerunt, non simplices et leves, sed multiplices et intolerabiles iniurias et eas non uno tempore, non uni navi impositas, sed variis et vicibus repetitas, et navibus inflictas, nec latenter et timide ab obscuris et privatis admissas, sed consulto et audacter in oculis hominum, in conspectu urbis vestrae, a vestris militaribus praefectis, et civilibus Magistratibus, primum minaciter cum crudelitate, dein nimium duriter cum omni inhumanitate, ab initio institutas, et exitu perpetratas fuisse. Et quanquam iniuriae vestrorum, et omnes magnae, et multis nostris sunt illatae, exstat tamen illa inter reliquas perinsignis, quam Thomas Bowes, mercator [a] celebris, in nave, in bonis, in famulis, est perpessus.

Cum navis eius per vestrorum repertam vim et iniuriam tempestate fracta sit et summersa, bona omnia, vel fluctibus absorpta, vel a furibus ablata: Nautae et famuli, pars in ipsa vestra urbe in carceres et vincula coniecti; pars, ad duriorem, et Custodiam, et miseriam, in Prussiam usque amandati. Sed harum omnium, et iniuriarum fusa explicatio, et damnorum certa ratio, plene et plane constabit, ex illo scripto, quod Consiliarii

nostri nostro iussu, Aldermanno Societatis hic vestrae Stiliardiae, ut is ad/

*F. 182 v* vos illud perferendum curet, tradiderunt.

Nos expectamus, ut nostris integre et recte istic a vestris satisfiat: ut suum ius, nostrorumque cuique eorumque procuratoribus, Thomae Chapman, et Joanni Chappell restituatur. Expectamus etiam, ut his nostrorum mercatorum procuratores sic accipiantur, ut sine iuris tractu, morarum molestia, et expensarum magnitudine, negotia sua expediant. Si enim illi quovis modo fatigati, inanes domum et illusi re infecta redeant, plane sequitur, ut nostri Mercatores, ad novas denuo querelas, ad alia querenda remedia sese necessario referant. Quo, si nostri adigantur, nos illis deesse nec possumus nec volumus: quia id a nobis, et ipsa ratio, et leges omnes, cum nostri Regni propriae, tum omnium gentium communes, praescripto postulant, et suo quasi imperio exigunt.

At nos speramus vos, pro vestra prudentia, eam, quam par est et ipsius aequitatis rationem, et nostrarum literarum respectum habituros; atque imprimis curaturos, ut res, quae male se habent, alio, quam extremo, remedio sanentur. Dedimus literas ad vos octavo proximi superioris Decembris in gratiam dilecti nostri subditi Egidii Graie: confidimus illum iam liberum esse factum. Sin aliter, seorsum et studiose mandari curavimus his, qui has perferunt, ut de illius restitutione diligenter vobiscum agant. Sunt enim periustae causae, cur illius hominis salus nobis perchara existat.

Bene valeatis et caet.

Westmonasterii, 18 Aprilis 1567.

a) *in ms*: marcatores

*N. 29.*

*Windsoriae, 29 Septembris, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de navigatione Anglorum in Moscoviam, deque Gedanensium in eos abusu.*

*(concept. v. exemplar ff. 198 r.v.)*

*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 194 v* D. Sigismundo Augusto Regi Poloniae et caet.

Elizabetha etc. Literas Vestrae Serenitatis xiii⁰ superioris Julii, Knissini datas, per certum vestrum nuntium, qui has nostras etiam perfert, accepimus.

Duplici de causa Serenitatis Vestrae sunt scriptae literae, de navigatione nostrorum in Moscoviam: et de iniuria, quam certi nostri subditi a Gedanensibus se accepisse graviter sunt conquesti. Utrique causae, brevius hoc tempore respondebimus, ne hic Nuntius vester diutius quam par est detineretur.

Primum, plane apparebit, neminem nostrorum, quorum fortunae a Gedanensibus ita sunt exagitatae, quicquam, quovis in loco, vestrarum

ditionum admisisse, quod non communi iure, et amicabili ratione, ab eis suscipi potuerat.

Dein certo constabit, ipsos Cives Gedanenses, ut ut sese apud Vestram Serenitatem speciosis verbis purgaverint, nostros subditos, non ordine iudiciario, ut amicos, sed armata vi, ut hostes, palam tractavisse.

Haec pro tempore, hoc modo leniter attingimus. Eadem, pro rei, cum magnitudine, tum necessitate, et alias, ac aliter, cum Vestra Serenitate in nostrorum gratiam, acturae sumus. Nec dubitamus quin nostri apud Vestram Serenitatem/

*F. 195 r* aequissimum principem omne aequitatis subsidium (quod ultro etiam Vestra Serenitas nostris benigne offert) sint experturi.

Deus Vestram Serenitatem in omni florenti foelicitate diu conservet.

Windsoriae, xxix$^{0}$ Septembris 1567.

*N. 30.*

*Hamptoniae, 1 Novembris, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de bello inter reges Daniae et Sueciae, de speculatoribus maris, de iniuriis quas Gedanenses mercatoribus Anglis intulerunt.*

*(concept.)*

*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 198 v* D. Sigismundo Augusto Regi Poloniae etc.

Elizabetha etc. Vestrae Serenitatis literis xiii$^{0}$ Julii datis, et per certum nuntium nobis traditis, nos nostris, xxix$^{0}$ Septembris, parce et paucis respondimus. Nunc vero eisdem literis vestris, fusius et pluribus, misso item hoc nuntio, rem omnem plenius si opus fuerit explicaturo, sumus responsurae.

In hoc bello, longo et luctuoso, inter Serenissimos Principes, Daniae et Sueciae Reges, gesto, iniuriae, et numero variae, et magnitudine graves, nostris mercatoribus sunt impositae: ab aliis quidem magnae, sed a nullis maiores quam a vestris subditis, Civibus Gedanensibus. Quas iniurias, vel eo nomine, cum graviores nostris, tum intolerabiliores nobis, esse ducimus, quia, ab eo genere hominum, Anglis offeruntur, qui apud nos, in quavis Angliae parte, conditione hodie, et pari cum nostris et/

*F. 199 r* meliori quam ulli alii exteri, accipiuntur: et id plane eo modo, ut ne Gedani quidem, intra urbis suae muros, vel securius ipsi vivant, vel tutius sua possideant: Nostri autem contra, nullibi durius quam Gedani, nec ulli exteri acerbius quam Angli, istic tractantur. Illis enim iam aliquandiu fuere nostri, mari praedae, terra spolio, in captivitatem tanquam hostes abducti, in carceres tanquam fures coniecti, ab omni, et privata humanitate, et communi iustitia, prorsus exclusi. Sed iniuriarum, quas fecere isti vestri, et damnorum, quae pertulere certi nostri, explicatior ratio constabit ex scripto quodam, quod is Nuntius exhibendum

habet. Cui, ut Vestra Serenitas fidem tribuat, admodum rogamus. Harum rerum culpam omnem Gedanenses a se removere, et in vestros speculatores maris rejicere, summopere laborant; cum certo constet, certos cives Gedanenses, Gedani natos, Gedani iam habitantes, harum iniuriarum authores et actores fuisse: neque hoc procul in alto, sed intra ripas ipsius fluminis Gedanensis, intra Jurisdictionem ipsius urbis, propalam commisisse. Imo, si quid benevolentiae, si quid humanitatis, nostri istic aliquando experti sunt, id certis vestris Commissariis nostri acceptum referunt.

Quod attinet vero ad vestrum edictum/

*F. 199 v* videlicet, ne quis per vestras ditiones, in terras hostiles et caetera, hoc certe constabit, nihil prorsus, quod pugnet cum illo decreto, a quoquam istorum nostrorum, qui sic misere tractantur a Gedanensibus, vel facto admissum, vel animo susceptum fuisse. Primum enim nos ipsae, bello istic nimis infoeliciter exardescenti, non novas faces adjicere, sed quaevis fomenta subtrahere, et totum illud incendium, omni nostro studio et consilio, quovis nostro labore et sumptu extinguere, diu iam et saepe connixae sumus. Et eam ipsam ob causam, nos ipsae omnibus nostris mercatoribus severe mandari curavimus, ut in omni sua quaquaversus profectione, non aliud quicquam, praeter consuetas merces, navalem apparatum, et comeatum suis necessarium, secum exportent; ut ubicumque fuerint, suas res gerant, suis negotiationibus, non Principum negotiis, sese applicent: ut cuiusque Nationis legibus, moribus, Jurisdictioni, studiose obtemperent, ac plene satisfaciant. Id quod, vel eo facimus studiosius, quia nos, nihil antiquius esse ducimus, quam ut sub toto Imperio et nomine Christiano, omnia mutua, cum inter nos Principes, gratae amicitiae studia, tum inter nostros subditos, commodae humanitatis officia, et ubivis intercedant, et perpetuo conserventur.

*F. 200 r* Dein, cum omnibus naturaliter insitum sit mercatoribus, non vitae discrimen libenter subire, sed vivendi quaestum solummodo sequi, rationi consentaneum non est, nostros, hoc belli praesertim tempore, Sueciam cogitasse, ubi, cum incerta lucri spe, certum vitae periculum, illis adeundum fuisset. Nam sibi minime tutum, suis rebus minime commodum fuerat, ut ipsi terra marique, nudi mercatores, armatis militibus, et his quidem egenis, se suasque fortunas projicerent. Quibus in manu fuisset, pro cuiusque libidine, pro cuiusque egestate, rapere quidem quodcumque placuerat, solvere vero, et quantum, et quando, illi ipsi voluerant. Quanquam si qui nostri mercatores, negociandi causa, ad eas Regiones se conferant, quibuscum nobis firma pax et amicitia constat, nos non videmus ullam iustam subesse causam, cur ullus Princeps hoc factum nostrorum, aut iure impediat, aut merito reprehendat, non magis quidem, quam si quisquam aegre ferat, quod nostri cum vestris subditis tam frequenter commercia exercent. Hoc certo constat, inique cum multis nostris utrobique actum esse: et illud imprimis perduriter accidisse; quod ad nos allatum est de nave Thomae Bowes, fidelis nostri subditi, et spectabilis mercatoris Londinensis, quae, cum Londini onusta fuerat, ut Rigam Vestrae Serenitatis emporium/

*F. 200 v* peteret, caeli et maris inclementia, a certo curso abrepta, ac Suecorum invasione et vi, in Portum Stokholmiae abducta est: ubi, cum misere exagitata, cursum institutum perficere non potuerat, Gedani se recipere, ut ibi se reficeret, est coacta. Atque istic, hospitalitatis receptaculum, et humanitatis domicilium expectans, in immanitatis sedem, et iniuriarum

latibulum incidit. Nam vix ingressa flumen, a certis civibus Gedanensibus, hostili more invaditur, homines in vincula conjiciuntur: Navis tempestati et salo permissa, fracta et summersa est: bona, vel a furibus abrepta, vel fluctibus sunt absorpta. Sunt haec, et certiora, quam negari possint, et intolerabiliora, quam ferri queant. At Gedanenses, omnia haec iniuste vestris imponunt, et nostros ad forum usque Polonicum, nimis doloso consilio, rejiciunt: ut, cum illi domi primum, per se extrema iniuria, summa inhumanitate, indicta causa, negato iure, nostros pro sua libidine vexaverint, deinde etiam foris, itineris longinquitate, morarum difficultate, rerum nimio dispendio, et vitae vario discrimine, vel fatigare, vel terrere, vel illudere per alios etiam possint. Sed cum aliud, et aequitas postulat, et iubent omnes ubique leges, nos admodum rogamus Vestram Serenitatem, ut Magistratui Gedanensi mandet/

*F. 201 r* cum nostris amicius et iustius ut agatur; et e custodia liberentur; ut bona sua illis integre restituantur. Nec in alios culpam referant, cum ipsi sunt authores; nec ad aliud forum nostros rejiciant, cum ratio vult, et leges iubent, ut ibi ius dicatur, ubi delictum committitur.

Et quanquam tum temporis, quidam ex his Gedanensibus, qui sic nostros tractavere, vel vestris stipendiis militaverint, vel vestri Commissarii constituti fuerint, hoc tamen illis non proficit, quominus ipsi istic, non alibi, et iuri et nostris respondeant, cum ortu et domicilio Gedanenses sunt: cum in ipso flumine, sub ipsa Jurisdictione Civitatis Gedanensis iniuriae factae sunt. Atque cum culpam a se in vestros transferunt, cum vestros non excusant sed aperte criminantur (scribunt enim his verbis ad nos: Per Regios Speculatores per fas et nefas quaecumque admissa narrantur, nihil prorsus neque ad nos [neque] ad Jurisdictionem huius Civitatis pertinere), tamen illi ipsi Magistratus, duos Anglos Gedani commorantes, Joannem Chappell et T. Dickenson pro nave Angla e Suecia redeunte, sponsionem inire mille dalerorum adigunt: cum, neque aequitatis neque amicitiae ratio vult, ut nostri huiusmodi onere Gedani premerentur. Ab hoc nexu igitur ut nostri, vestro mandato, solvantur, admodum rogamus. Dolorem nonnullum prae se ferre videntur Gedanenses, quod nostram offensionem inciderint, quod aliquam Gratiae nostrae partem amiserint, et in eam denuo, Vestrae Serenitatis/

*F. 201 v* intercessu redire laborant. Reditus quidem illis facilis patet, modo nostri ab illis sic redeant, ut non inanes, nec nostri querelas fecisse, nec nos literas scripsisse videamur. Sin autem ipsi Gedanenses nec iuris et aequitatis, nec tot nostrarum literarum, nec vestri mandati et authoritatis rationem habere visi fuerint, tum significamus Vestrae Serenitati nos non amplius scribendo literas, non denuo mittendo nuntios, non in longinquo foro, sed eo propinquo remedio, nostrorum subditorum indemnitati prospecturas, quod ipsa aequitas, quod omnes leges, et caeterarum Gentium communes, et nostri Regni propriae a nobis plane exigunt. Verum, ut nos confidimus, Vestra Serenitas diligenter videbit, et sedulo curabit, ac Magistratui Gedanensi severe mandabit, ut res nostrorum male et misere istic afflictae, hac salutari potius nunc scribendi medicina, quam illo post extremi Juris persequendi remedio, sanentur. Id quod, si perfecerit Vestra Serenitas, erit res, non magis commoda nostris, quam grata nobis, et honorifica imprimis Vestrae Serenitati. Quae etiam, ad omnem mutuam deinceps et avitam amicitiam inter nos, et priscam negotiationem inter nostros, perpetuo continuandam, peraccommodata erit.

Deus et caet.

Hamptoniae primo Novembris Anno M⁰ D⁰ LXVII⁰ Regni vero nostri IX⁰

*N. 31.*

*Hamptoniae, 1 Novembris, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*causam se contra eos regi Poloniae commisisse nuntiat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.* *)

*F. 202 r* Magnifici, Spectabiles, Amici perdilecti.

Accepimus literas vestras xxx⁰ Julii Gedani datas. Quae vestrae literae, si, quantam observantiam erga nos ipsae prae se ferunt, tantam aequitatem erga nostros vos ipsi representaretis, multo acceptiores nobis fuissent. Sed speciosa verba factis iniuriosis, nec belle respondent, nec certe satisfaciunt. Cum haec dicitis, alia facitis; rebus non verbis, nos fidem adiungimus. Scribendo nihil proficimus, agendo aliquid tentabimus. Quod ratio non impetrat, ius obtinebit.

Sed, cum Serenissimi Regis Vestri, Justissimi Principis, charissimi fratris nostri, eam, quam par est, rationem habemus, quid ille de hoc negotio statuerit, prius explorare volumus. Quanquam nos malumus, atque adeo optamus, ut vos, vestra potius sponte, quam alterius iussu, certe faceretis a). Id quod, si adhuc faciatis, et nobis satis, et vobis utiliter facietis.

Bene valeatis, et caetera.

Hamptoniae, primo Novembris Anno M⁰ D⁰ LXVII⁰
Regni vero nostri IX⁰

*) *Edita, GILES* II, pp. 163-164

a) *sic in ms.*

*N. 32.*

*Westmonasterii, 4 Martii, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*commendans Jacobum Spencer.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 209 v* D. Sigismundo Regi Poloniae et caet.

Elizabetha etc. Jacobus Spenser, qui has literas perfert, fidelis noster

perdilectus subditus, cum nostra bona gratia, et facultate, varias merces, hoc tempore, ex hoc/

*F. 210 r* nostro Regno exportat, quas, cum vestra bona gratia et favore, in Vestrae Serenitatis dominio, vestris subditis divendere cogitat. Cogitat itidem in Polonia certas merces istic parabiles et quibus illa abundat Regio [a] ad nostros quidem usus cum Vestrae Serenitatis facultate coemere.

Itaque si in hoc mutuo exercendo Commercio, hic fidelis noster subditus, vestrae bonae gratiae praesidio, et vestrae item authoritatis ope, si opus fuerit, possit uti, pro hoc ipso humanitatis officio, nostro huic subdito, nostro rogatu, inque nostram gratiam, favorabiliter impartito, et gratias, ut par est, Vestrae Serenitati libenter habebimus, et parem humanitatis vicissitudinem, cum par opportunitas dabitur, studiose ostendemus.

Deus, et caetera.

Westmonasterii, 4 die Martii, 1567

a) vel praesenti sua pecunia, vel aequabili suarum mercium permutatione coemere, quas deinde ipse domum reversus, nostris in Anglia subditis, ad opportunos eorum usus, et cum aliquo suo compendio, commode possit vendere *expunctum.*

*N. 33.*

*Westmonasterii, 2 Martii, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*de Thoma Allen mercatore.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

Civitati Gedanensi.

*F. 212 v* Magnifici, Illustres, Spectabiles, amici charissimi.

Pergratum fuit nobis illud vestrum officium, quod vos, superiori anno, Thomae Alano, famulo et mercatori nostro, perhumaniter praestitistis, dum is, nostro mandato, in vestra urbe, malos, asseres, rem funestrem, picem et aridam et liquidam, et alias res ad Classem nostram instruendam coemit.

Persimile ut obeat hoc etiam anno negotium ei dedimus, ad quod perficiendum, si parem illi eiusque Procuratori favorem hoc etiam tempore ostendatis, id in memori quidem mente reponemus, et grato etiam officio libenter compensabimus.

Bene valeatis.

2[0] die Marti, Westmonasterii, 1567.

*N. 34.*

*Grenvici, 20 Maii, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*Jacobum Spencer commendat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 222 v* Magistratui Gedanensi.

Magnifici, Illustres, Spectabiles, Amici charissimi.

Negocium dedimus fideli ac dilecto nostro famulo Jacobo Spencer, ut is nostra pecunia, ad nostros usus, certas res, in vestra Urbe, vestraque Ditione, ac aliis Germaniae locis parabiles, coemeret. Petimus itaque a vobis, ut illi, in hoc obeundo nostro mandato, eum vestrum favorem ostendatis/

*F. 223 r* quo has res commodius parare, paratas tutius per vestras iurisdictiones deportare, et liberius per portus etiam vestros trajicere possit.

Et vestram omnem humanitatem, illi, in nostram gratiam, nostroque rogatu, benevole impertitam, libenter quidem nos, cum similis rerum vestrarum usus postulet, cumulate compensabimus.

Bene valeatis.

Grenwich, xx$^{0}$ Maii 1568

*N. 35.*

*Grenvici, 20 Maii, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*intercedit pro Egidio Greie [Graye a)] Gedani incarcerato.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 223 v* Regi Poloniae.

Elizabetha etc. Graviter apud nos conquaestus est fidelis noster, et nobis suo merito percharus subditus, Egidius Greie, de iniuria, qua illum Gedanenses Vestrae Serenitatis subditi, inique et inhumaniter affecerunt. Bis iam litteris nostris egimus cum Gedanensibus, pro hoc nostro subdito, postulantes, ut eius navis ab illis detenta, ut bona eius ad aestimationem sexcentarum et plus eo librarum ab illis occupata, restituantur. Sed Gedanenses nec /

*F. 223 r* nobis pro nostra expectatione recte respondent, nec nostro subdito pro causae aequitate rite satisfaciunt. Rem enim omnem a se in Vestrae Serenitatis Commissarios rejiciunt. Itaque cum navis et bonorum iactura gravior sit, quam subditus noster ferre queat, cumque ipsa vis imposita nostris, et iniuria etiam una oblata nobis, maior sit, quam nos nimium diu tollerare velimus, scribendum etiam de eadem causa, et de eodem homine, ad Vestram itidem Serenitatem esse duximus, ut omnem prius sanandi haec mala placidam rationem experiamur, quam ad extremum illud, necessarium tamen, cum extrema offeruntur, iuris remedium compellamur. Causam huius viri, ut de ea certe et explorate statueremus, certis nostris Consiliariis cognoscendam commisimus. Hi singulis rebus diligenter excussis, et accurate perpensis, rem, ad hunc modum se habere, plane et plene intelligunt.

Hic Egidius Greye, Anno 1566, mense Maio, cum nave sua, mercibus Anglicis onusta, Gedanum venit. Omnibus suis mercibus istic brevi divenditis, Hans Miller/

*F. 224 r* Gedanensis agit cum hoc nostro subdito, nomine quidem Joannis Pruyte et Joannis Brande, qui praecipui et imprimis spectabiles mercatores Gedani habentur, de conducenda hac nave, certo pretio, ut illa, horum Gedanensium bonis, vino nimirum et sale, onusta, in Sueciam proficisceretur. Hac inita pactione, hic noster, una cum factore Gedanensium, iter suscipit. Capitaneus vero Castelli Gedanensis eorum profectionem prohibet. Sed libera eundi potestate per litteras Joanni Pruyt ab ipso Capitaneo impetrata, hoc pacto et hoc modo Sueciam adeunt. Et mercibus Stokholmiae divenditis, Egidius Greye cum sua nave Gedanum repetit, litterasque ad Joannem Pruyte, praecipuum tum temporis Gedani magistratum, a suo factore Hans Miller adfert: qui amice et humaniter illum redeuntem accipit. Non ita multo post, quidam Vestrae Serenitatis officiarius, Georgius Clenfelde, hunc nostrum pro hac profectione comprehendit, ac detenta nave, ablatis bonis, ereptis etiam illi, quas habuit, salvi conductus litteris, in carcerum tenebras, ubi multis mensibus misere inedia et frigore/

*F. 224 v* adflictus est, compingi iubet.

Sed non dubitamus, quin Vestra Serenitas plane videat, nec aequum nec humanum esse, ut culpam, si qua est, Gedanensium, subditus noster sua poena luat: aut ut, pro officio illis praestito, supplicium apud illos subeat.

Petimus igitur a Vestra Serenitate, ut mandet suis qui Gedani presunt, nostro subdito quamprimum ut sua navis cum bonis universis, cumque iusta compensatione omnium illorum damnorum atque iacturarum, quas illi haec apportavit miseria, recte et integre restituatur.

Optamus enim ut aequitate potius a Vestra Serenitate quam iure a vestris subditis, huius incommodi remedium obtineamus. Quod ius nostris subditis, si illis aliter non prospiciatur, nec iure possumus, nec diu volumus denegare.

Deus et caet.

Grenwich, 1568, xx$^{0}$ Maii.

a) *v. supra N. 14.*

*N. 36.*

*Grenvici, 3 Iulii, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de navibus mercatorum Anglorum a classe regis Poloniae captis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 230 r* D. Sigismundo Regi Poloniae etc.

Elizabetha etc. Allatum est ad nos, certas mercatorum nostrorum naves, ab armata classe Vestrae Serenitatis hostili more captas et detentas esse. Quorsum vero, et, cur ista a vestris acta sunt, nec nos satis intelligimus, nec ullis rumoribus/

*F. 230 v* adduci volumus, ut de Vestra Serenitate aliter, quam de optimo nostro fratre, et certissimo nostro amico cogitemus, priusquam certius aliquid de vestro instituto, per vestras quidem literas, nobis significatum fuerit. Nos, Dei benignitate, pacem hoc tempore cum omnibus hominibus libenter habemus, et studiose deinceps conservare statuimus. Aliorum etiam animos, malis consiliis distractos, concordia coniungere studemus. Odia vero alere, aut partes ullas fovere, in animo non habemus. Itaque, cur hostile quicquam a quaquam Gente, nostri subditi paterentur, causam esse non videmus.

At quemadmodum ex animo cupimus, ut inter omnes Principes, omnia amicitiae grata studia, et humanitatis etiam mutua officia benevole intercedant, atque inter omnes subditos, ut negotiationis libera commercia, et quasi grata hospitalitatis pia iura, amice et tuto constituantur, ita nimium diu pati non possumus, ut nimia vel iniuria nobis, vel vis nostris, ab ullo, vel principe, vel populo, imponatur.

Accidit igitur res, quae maiorem molestiam nostris, quam admirationem nobis/

*F. 231 r* apportat, quod vestri subditi (si verum est quod ad nos adfertur), primi omnium sunt inventi, qui hostile aliquid in nos et nostros moliri hactenus attentarunt. Nam cum nostri subditi, vestra, nec mari portoria impediverint, nec terra Jurisdictionem interturbaverint; cum nullam nec gentem vestram vexaverint, nec hostem vestrum iuverint, tamen a vestris subditis ferro et igne, et omni hostili more, miserrime adfliguntur. Haec, aut non hoc modo, aut Vestra Serenitate inscia et invita, gesta esse plane iudicamus. Nec nos aliter sentiemus, donec aliud ad nos, certiori aliquo modo, perlatum fuerit.

Interim, impense et fraterne rogamus, ut vestri, quicumque fuerint, qui hoc admiserunt, Vestrae Serenitatis iussu, et naves, et bona nostris mercatoribus [a] quamprimum recte integreque restituant.

Nos enim malumus, ut his malis, modus aliquis, amabili potius literarum rogatu, quam finis ullus, ullo molesto iure, imponeretur.

Deus, etc.

Grenovici, 3 Julii 1568.

a) subditis *expunctum.*

*N. 37.*

*Grenvici, 3 Iulii, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*rogat, ut naves mercatorum Anglorum, quae in navigatione Narvica a subditis regis Poloniae captae sunt, iisdem mercatoribus reddantur.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 231 v* Magnifici Domini, Spectabiles, amici charissimi.

Referunt ad nos nostri Mercatores [a)], certas naves, quas ipsi hoc superiori anno ad Narvense Emporium miserunt, a certis vestris subditis hostili more captas, et misero modo adflictas esse. Eo minus horum sermoni tribuimus, quo certius scimus, vobis imprimis exploratum esse, nullam esse gentem, neminem esse Principem, cui vel levis occasio a nostra quidem parte data est, qua, hostile aliquid, vel hinc metui, vel inde expectari, ulla ratione debeat. At vero, quemadmodum domi a nobis ipsis, pacis studia studiose culta sunt, ita nos foris a nostris amicis, non hostilitatis aperta indicia, sed humanitatis certa officia, iure expectamus.

Ad nos tamen perlatum est certo sermone, et bonis Authoribus, quinam apparatus Gedani, instructus a vestris Civibus, et institutus contra nostros subditos, hoc ipso anno fuit. Verum, quomodocumque res accidit, erit nobis officium valde gratum, et vobis consilium non inutile/

*F. 232 r* si vestra opera et prudentia, hae naves cum bonis universis, quamprimum recte et integre nostris mercatoribus restituantur.

Res igitur in hoc discrimine versatur, ut omnibus iam perspicuum fiat, vosne malitis, ut nos nostra ducamur potius natura ad referendas vobis gratias, quam ulla compellamur necessitate ad nostrorum persequendas iniurias. E quibus duobus, aut hoc libenter, aut illud necessario, nobis faciendum erit. Ratio enim vult, et aequitas postulat, ut nos, et dignitatis nostri status iustam rationem, et indemnitatis nostrorum subditorum debitam curam, in hoc negocio habeamus.

Foeliciter valeatis, etc.

3 Julii Grenovici, 1568.

a) Subditi *expunctum*

*N. 38.*

*Windsoriae, 3 Octobris, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de negotio Guilelmi Martin cum Gedanensibus, deque navibus Anglis a rege Poloniae captis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 250 r* D. Sigismundo Augusto Regi Poloniae et cet.

Elizabetha etc. Binas literas Vestrae Serenitatis nuper accepimus: has, tertio Martii, illas vicesimo septimo Aprilis Knissini datas. Priores

vestrae respondebant nostris Hamptoniae datis 1 Novembris 1567 de negotio Thomae Bowes et certorum aliorum mercatorum nostrorum, qui gravibus iniuriis et damnis a vestris subditis, Civibus Gedanensibus, sunt affecti.

Vestrae recentiores ad causam spectant G. Martini perdilecti nostri famuli. His posterioribus prius respondebimus. Graves fuere, et periustae rationes, quibus nos commovebamur, ut illud Edictum nostrum, de/

*F. 250 v* bonis Gedanensium arresto detinendis, Gulielmo Martino concederemus; via tamen qua potuimus levissima, in eo negocio procedi curavimus. Curavimus enim ut omnia bona, quae sub hoc arresto venirent, a publico ministro, ad hanc rem deputato, tuto conservarentur: utque minime licitum esset G. Martino, ullam partem horum bonorum arresto detentorum, in proprium usum convertere.

Mens namque nostra non fuit, ut hoc Edicto, universorum utrobique subditorum negotiatio interturbaretur, sed illud, hoc solum consilio fecimus, ut Gedanenses, ad quos seorsum haec causa spectabat, aliquando curam susciperent, quomodo G. Martino, famulo nostro, ut aequitas postulabat, tandem satisfactum esset.

Hanc totam G. Martini causam, hoc loco, altius repeteremus, et fusius explicaremus, si nos nuper quicquid in ea causa, sive ad veritatem facti, sive ad/

*F. 251 r* aequitatem iuris spectet, ipsorum Gedanensium literis, decimo superioris Martii datis, quibus ipsi apud nos conqueruntur, de Edicti illius severitate, ex consilio et matura deliberatione prudentissimorum nostrorum Jurisconsultorum, non plene responderi curavissemus.

Itaque mandavimus ut ipsae literae Gedanensium exscriberentur, utque in earum margine, Postillationis more, responsa nostrorum Jurisconsultorum, iniustis Gedanensium allegationibus, convenienter apponerentur. Quas literas unacum his nostris coniunctas ad Vestram Serenitatem iam mittimus, ut inde plane appareat Vestrae Serenitatis prudentiae et aequitati, quomodo Gedanenses sese torquent, rationes sine ratione quaerendo, et causas huic causae impertinentes miscendo, et omnibus modis moliendo, ut nostro famulo, iuris sui obtinendi cursus prorsus obstrueretur. Id quod facile intelliget Vestra Serenitas si hoc scriptum mature exam-/

*F. 251 v* -inandum commiserit certis suis Consiliariis, qui ad honorem Vestrae Serenitatis spectare iudicabunt, ut ipsius aequitatis, quam Gedanensium voluntatis, ratio potius habeatur. Satis enim exploratum nos habemus, non Vestrae Serenitatis voluntate, sed Gedanensium opera, has omnes cieri turbas. Qui, prudenter satis non faciunt (ne quid gravius dicam) quod in paucorum suorum privato negocio, publicam multorum negotiationem permiscent: quodque ex subditorum litibus, distractiones principum struere moliantur. Hoc periculose multis, hoc inutiliter sibi ipsis instituunt. Itaque rogamus Vestram Serenitatem, ut Gedanenses, vestra cum prudentia, tum authoritate, et se noscant, et in suum redigantur ordinem.

Interea tamen, quo Vestra Serenitas rectius intelligat, quam proposito animo nos sumus, ut inter nos principes omnis prisca amicitia firme et sancte continuetur, ut inter nostros subditos omnia negocia-/

*F. 252 r* tionis libera commercia, et humanitatis grata officia benevole in-

tercedant, ad respectum Vestrae Serenitatis iussimus, ut Edictum illud G. Martino concessum abrogetur: ut Gedanensium naves, bona, nomina denique omnia, quae arresto sunt constricta relaxentur et liberentur, utque ipsis etiam Gedanensibus licitum et integrum sit, eadem securitate, cum navibus, bonis, atque hominibus in Anglia esse, morari, et negociari, qua fuere ipsi, et sua negocia fecere, pridie illius diei, quo die Edictum illud G. Martino concessimus. Itaque non dubitamus, quin Vestra Serenitas, ut aequum postulat, primo quoque tempore curaverit, ut consimili vestro iussu, et pari favore, ac gratia vestra, nostrorum subditorum naves, merces, bona, nomina denique omnia, quae vel Gedani, vel alio quovis vestri Dominii loco, arresto detinentur, statim relaxentur et liberentur; utque nostris subditis licitum et/

*F. 252 v.* integrum sit, eadem securitate, cum navibus, bonis, atque hominibus, in quavis parte vestri Dominii, esse, morari et negociari, qua fuere, et sua negocia fecere, antequam hoc arresto nostrorum naves et bona sunt detenta: Nec aliam contentionem residere inter nos, nos quidem pro nostra parte libenter patiemur, quam ut sedulo operam demus, ne, in ulla pacis alendae ratione, a Vestra Serenitate ullo modo superemur.

Praeterea, ut tollantur omnes hae controversiae, ut iniuriarum resarciendarum debita ratio ineatur, postulamus a Vestra Serenitate ut aequi Judices, ut locus commodus a Vestra Serenitate designetur, ubi, et haec causa G. Martini, et illa etiam Thomae Bowes atque aliorum nostrorum mercatorum, et recte recognoscatur, et mature expediatur. Hamburgus civitas idoneus locus videri possit, si ita visum fuerit Vestrae Serenitati. Nam nostri subditi exigua ducuntur spe, ut Gedani ius suum obtineant, ubi frater G. Martini in/

ipso iudicio, ipsis Magistratibus et inspectantibus et conniventibus contumeliose admodum a suo adversario percussus fuerit. Et quanquam ratio postulare videatur, ut ibi ius dicatur, ubi delictum committitur, tamen ipsi Gedanenses in causa sunt, cur nostri alium iuris dicendi locum iure requirant. Agunt enim Gedanenses consilio nimis doloso, cum culpam suam aliis imponunt: cum subditos nostros ad forum usque Polonicum rejiciunt: faciunt enim quod in eadem re, eisdem verbis, nos eos fecisse antea scripsimus: nimirum, cum ipsi nostros primum domi per se extrema iniuria, summa inhumanitate, negato iure, pro sua libidine vexaverint, deinde etiam ut foris, itineris longinquitate, morarum difficultate, rerum nimio dispendio, et vitae vario discrimine, vel fatigare, vel terrere possint, per alios etiam quaerunt. Sed nos plane confidimus, Vestram Serenitatem eam huius rei rationem habituram, et/

*F. 253 r* omnes has causas ea commoda ratione expediri curaturam, ut Gedanenses Vestrae Serenitatis bonitatem subsequentes, prudenter etiam ipsi et veterem suam, cum observantiam erga nos, tum humanitatem erga nostros, libenter et aperte sint declaraturi. Quod eorum officium, et nobis pergratum, et illis non incommodum futurum est.

Postremo rogamus Vestram Serenitatem ut responsum ad has literas nostras, quam primum poterit, ad nos curet transmitti.

Deus, etc.

Windsoriae, 3 Octobris 1568.

*N. 39.*

*Windsoriae, 3 Octobris, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*de Guilelmi Martin negotio, deque navibus Anglis Gedani retentis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*F. 253 v* Magnifici, Spectabiles, amici perdilecti.

Curavimus, ut certi nostri Consiliarii, rerum usu instructi, et iurisprudentiae imprimis docti viri, mature et deliberate literas vestras decimo superioris mensis Martii datas considerarent.

Hi nostri, sua responsa, in margine vestrarum literarum, postillationis more scripta, et vestrorum allegationibus convenienter apposita, nobis/

*F. 254 r* tradiderunt. Hoc scriptum tradi mandavimus Aldermanno Societatis hic Anzae Teuthonicae; ut is primo quoque tempore ad vos perferri curaret. Nec dubitamus, quin iste, hoc officio, pro sua erga vos observantia, rite perfunctus fuerit.

Et cum in illo scripto, omnia, quae vel ad veritatem facti, vel ad aequitatem iuris spectent, fuse declarantur, vestris illis literis satis ex eo scripto responsum esse existimamus.

Hoc vero significandum vobis hoc tempore esse duximus, nos ad respectum Serenissimi Principis Regis Poloniae, fratris nostri charissimi, Edictum illud Gulielmo Martino concessum abrogavisse: sic, ut iam vestrorum naves, merces, bona, nomina denique omnia, quae arresto fuere constricta, plane relaxata liberataque sint. Vestris item iam integrum et liberum est, eadem securitate, cum navibus, bonis, atque hominibus huc appellere, in Anglia esse, morari, et negociari, qua fuere, et sua negocia fecere, pridie illius diei, quo/

*F. 254 v.* die Edictum illud Gulielmo Martino concessum fuit.

Expectamus igitur ut nostrorum subditorum naves, merces, bona, et nomina omnia, quae vel Gedani, vel alio quovis vestre Ditionis loco, arresto detinentur, quam primum relaxentur, et liberentur: utque nostris subditis licitum et integrum sit, eadem securitate, cum navibus, bonis atque hominibus eo appellere, Gedani esse, morari, atque negociari, qua fuere, et sua negocia fecere, antequam hoc arresto illorum naves et bona sunt detenta.

Praeterea, si vos iam Principum amicitias, longo iam tempore foeliciter et firme coalescentes, studiose deinceps magis ac magis alere, et arctius potius coniungere, quam ullo modo distrahere laboraveritis, officio [a], hominibus vestrae conditionis imprimis debito, et vestrarum rerum rationi maxime necessario, prudenter et utiliter perfungemini.

In quod officium, si plane constiterit vos ex animo libenter et sedulo incumbere, efficietis, ut principes eam vestri rationem sint habituri, quae vobis summopere optata, quae vestris rebus imprimis commoda sit futura.

Foeliciter valeatis etc.

Windsoriae, 3 Octobris 1568.

a) Officia *Ms.*

*N. 40.*

*S.l., s.d., 1574*

*Hieronymus Lippomano*
*ad Senatum Venetiae.*
*Relatio de legatione in Polonia.*
*(exemplar a. 1583 confectum)*
*B.M. Royal 14 A. XIII, f. 121 r-196 r.*

*Relatio haec, in linguam Polonicam versa, apparuit primum in* NIEMCEWICZ J., Zbiór Pamiętników, Lipsk 1839 t. III. p. 15. *Deinde item in versione polonica edidit eandem relationem « ex ms. in Museo Corner Venetiae »* RYKACZEWSKI: Relacje Nuncjuszów Apostolskich i innych osób o Polsce od r. 1548 do 1690. T.I. Poznań 1864 p. 238-287. *Unicam editionem textus originalis in lingua italica habemus sub inscriptione*: Relazione di Polonia di Girolamo Lippomano 1575 (dal Codice N. 81 della Biblioteca del Marchese Gino Capponi (*in* ALBERI E., Raccolte delle relazioni degli Ambasciatori veneti al Senato. Serie I. Vol. VI. Tomo XIV in ordine di pubblicazione. Firenze 1862 p. 271-348). *Textus editus ex bibliotheca Capponi longe superat textum B.M. Royal, in quo multa distorta apparent, etiam nomen auctoris.*

*N. 41.*

*s.l., 1598*

*Relatio de Republica Polona.*
*(orig.)*
*B.M. Royal. 18. B.I. f. 1 r-112 v.*
*Eadem ac relatio iam edita in El. vol. XIII, pp. 3-165.*

*Hic expliciunt documenta ex collectione « Royal » ad Poloniam spectantia. Incipiunt ea quae in collectione « Cotton » inveniuntur.*

## *N. 42.*

*s.l., [1575]*

*Ignotus*
*universis*
*nuntiat regem Henricum e Regno excidisse.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Caligula E. VI. *)*

*F. 286* Notum facimus, quod cum Rex Henricus iuxta sanctionem, superiori anno omnium ordinum consensu Varsoviae in publicis Comitiis factam, non venit in Poloniam ad diem 12$^{m}$ preteriti mensis Maii Stazisium [a], ut ille dies ei erat indictus, in toto Senatu ordineque equestri istius Regni,

Idcirco in istis proximis comitiis venerabilibus, que habita sunt Stazisiis, totus Senatus atque ordo equestris unanimi consensu omne eius fidelitatis et obsequii ei renuntiarunt, nec amplius eum in Regem ac principem habere volunt, atque sententiis omnium istud est constitutum, quod cum ad diem statutum non venerit, excidisse Regno iamque esset integrum: non aliter ac si rite defunctus esset. Ita quod Stazisiis statim per illustres ac magnificos viros Dominos Marescallos, quorum unus Regni et alter aule est, palam proclamatum est, ut omnibus populis innotesceret.

Quare et ego iussu et mandato Comitiorum particularium istius ore et proclamatus Cracoviensis istud omnibus declaro, Regem Henricum non amplius esse Regem ac Principem Regni Poloniae, et expresse

*(explicit imperfecte)*

*) *Cfr. EL. XI. N. 181.*
a) Stężyca

## *N. 43.*

*Westmonasterii, 6 Octobris, [1429]*

*Henricus VI rex Angliae*
*ad thesaurarium;*
*iubet ut pecunia Guilelmo Clynt pro eius ad regem Poloniae legatione solvatur.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 78* Henri par la grace de dieu Roy dengleterre et de France et Seignur dirlande,

As Tresorer Barons et Chamberleins de nostre Escheqer, Saluz.

Nous volons de lassent de nostre Consail et vous mandons qe vous acontez duement avec nostre cher et bien ame mestre William Clynt doc-

teur en Theologie par son serement du viage qil fist alant nadgaires en nostre Ambassiate si bien devers lexcellent et puissant Prince le Roy de Poleyne nostre trescher Cousin, come devers le haut mestre de Pruce et de nos deniers par le susdit William de nous par celle cause receuz daprest a la Receite de nostre dit Eschequier, Fesantz a lui due allouance parmye son dit serement dantieux gages iournalx, du iour qil par celle cause partist de nostre Roiaume dengleterre vers les parties pardela, tanq a son retour en mesme nostre Roiaume come aunt este allouez as autres de son estat envoiez en nostre Ambassiate as parties pardela avant ces heures. Et de ce que par tiele aconte serra troevee par nous due au dit William, vous avantditz Tresorer et Chamberlains lui facez avoir paiement come reson demande.

Donne souz nostre prive seal a Westmoustier le vi iour doctobre lan de nostre regne septisine.

*N. 44.*

*Petricoviae, 9 Ianuarii, 1456*

*Casimirus Jagellonicus, rex Poloniae*
*ad Henricum VI, regem Angliae,*
*de restaurato sibi dominio in terris Prussiae et Pomeraniae deque mercatorum Gedanensium navibus.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*F. 79* Serenissimo principi, domino hynrico Dei gratia Anglie francieque regi, necnon domino hybernie etc fratri nostro carissimo Kasymirus eadem Dei gratia Rex polonie, magnus dux lithuanie, Russie prussieque dominus et heres etc, prosperis ac iocundis abundare successibus.

Serenissime princeps, frater noster carissime. Inestimabilis consolationis et leticie spiritus exultacionis dum de serenitatis vestre votiva sospitate ac aliorum auspiciorum essencia nobis offert se certa relacio, desideramus etenim fragranti animo Serenitatem vestram votiva potiri incolumitate, ac felici regimine dominiorum incremento augeri. Et quia eidem vestre Serenitati gratam placitam rem fieri censuimus, ut de nostris eventibus ac dominiis nova et prospera nunciaremus, Vnde serenitati vestre significatum volumus, quia optime valemus, et felicibus fruimur successibus, quemadmodum illi placuit, qui salutis est auctor et unicuiquam graciam tribuit affluenter, Ipseque Deus, cuius sudore vivimus et in alto versamur, nostri propicius.

Terras nostras prussie, pomeranie etc, ab illicita et iniusta cruciferorum occupacione solutas, que nunquam Iuris et proprietatis regni nostri polonie esse desierant, in subiectionem et obedienciam nostram veluti partes sui toti restituit et co-univit prout quodam naturali instinctu et effectu eisdem nostris auspiciis, ipsam et vestram aggaudere et aspirare plene credimus propter nostram vicissitudinariam amiciciam integra fide et veteri amore prosecutam, et solidatam. Et quia nos divina benignitas Serenitati vestre fecit viciniores, Iamque carior et suavior amor noster futurus est. Ex quo subditi terrarum nostrarum predictarum, marinam

exercitantes negociacionem, sepius nostri ad serenitatem vestram, ac e vestigio Serenitatis vestre ad nos nuncii erunt auspiciorum, eventuum et salutis. De quorum numero famosi hinricus de Staden Consul, Jacobus Wulff, hermannus Rodlinghuwswn, ac Nicolaus Kone, Civitatis nostre Dancsk fideles nostri dilecti, ad nostram nostrorumque consiliariorum venientes presenciam gravi deposuerunt in querela, quod cum quidam Navisrector Johannes Steze nomine quandam navim suam in civitatem Serenitatis vestre aura prospera favente lynne [a] vocatam appulit, Prefatique subditi nostri per providum Symonem pigot dicte civitatis maiorem et alios ipsorum factores certorum pannorum congeries sive compacturas, unam videlicet triginta sex media stamina in se continentem, valoris librarum sterlingorum triginta quatuor, Aliam vero decem octo stamina integra servantem et quadraginta duas libras sterlingorum valentem, duas cistas et duas tonnas cum vastasiis quatuor, octo codicibus, quatuor thoracibus cum armis et pertinenciis conquisitis, Necnon certos pannos rubri et albi coloris, valorem centum decem octo Nobilium excedentes, tali signo [ ] [b] signatos. Alias vero tres /

*F. 80* pannorum congeries cum nonaginta sex staminibus mediis, Westalingsthe [c] vulgariter nuncupatas, valorem nonaginta librarum sterlingorum excrescentes, signo huiusmodi notatas, ac residuas aliorum pannorum compacturas quadraginta quinque media stamina Westerlingsche videlicet et Bustenthe [d] servantes, signo huiusmodi signatas, quadraginta librarum sterlingorum valorem excedentes, In ipsam navim imponere et onerare procurarunt. Castuma sive gabella plenarie iuste et debite officialibus eiusdem Serenitatis vestre, prout referunt, soluta et ad officialium predictorum fidem librorumque et registrorum continenciam pro veritatis effectu se remittunt et submittunt. Interea tamen contigit, dum dicte civitatis portum prefatus rector navis reliquisset et se alto pelago contulisset, certi eiusdem civitatis et ipsius Serenitatis vestre subditi manu armata eumdem Johannem persequentes invaserunt et contumeliis ac violentis iniuriis plectaverunt; Navim prefatam huiusmodi bonis rebus et pannis oneratam vastaverunt et interceperunt, occasione certe lane ibidem, Ipsis et eorum factoribus penitus insciis, et, uti coniecturatur, dolose, imposite, et ab hoc non castumate, de quo fidem suis corporalibus juramentis prestare sunt parati, ac quam placet subire volunt iustificacionem. In et ad Civitates eiusdem serenitatis vestre Herwick [e] et Gebeswig [f] abduxerunt et usibus suis appropriaverunt, prefatos subditos nostros, uti liquet, iniuriose et preter racionis ordinem damnificando signanter ex eo, quia lana huiusmodi in navim prefatam ipsis ignorantibus et, uti opinantur, in fraudem huiusmodi bonorum dolose importate existit. Eatenus ipsam fraternitatem vestram plurimum rogamus, quatenus nostre amicicie contemplacione, qua serenitati vestre fuimus, sumus, danteque Domino amplius erimus confederati in futurum, velit serenitas vestra dictorum subditorum nostrorum gravamina attendere, dampnis compati, et iustificacionem corporalis iuramenti excipere et fraudem hanc qua illusum est illis intelligere atque in hiis primiciis quibus Cruciferorum iugum subieccionis excusserunt et ad nostram obedienciam, unde exciderant, redierunt, hanc benivolenciam exhibere, ut digna ulcione raptoribus, vel illusoribus huiusmodi correctis, prefatis subditis nostris huiusmodi bona, panni et merces plene et integre restituantur. Sic ut ipsam serenitatem vestram nos amore complecti cognoscant, velit ipsos favore et gracia prosequi Regali, atque in hiis et aliis contingenciis nostri intuitu habere recomissos,

pro quo serenitati vestre cum maioribus gratibus omni vicissitudinis studio placere nos offerimus paratos. Atque in similibus vestris et vestrorum subditorum desideriis tempore et loco suis placere non desinemus, magnam amoris pro eo experienciam habitam, quam optime valere desideramus specialissime nostra pro consolacione.

Datum in Pybbikow in parlamento generali die sexta infra octavas Epiphanie Anno domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto.

Casimirus Rex
Per se.

In dorso: Ene koppye of a letter from Casimir of Polonia to K. Henry 6.

a) Kings Lynn, Norfolk.
b) *Hic et alibi signa impressa in rebus mercandis exprimuntur.*
c) *sic in ms.*
d) *sic in ms.*
e) Harwich.
f) Ipswich.

*N. 45.*

*Gedani, 24 Aprilis, 1523*

*Proconsules et consules Gedanenses*
*ad Henricum VIII regem Angliae*
*de damnis sibi illatis a rege Daniae, qui transitum navium per freta vetat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*F. 81-82* Serenissime Princeps, Potentissime Rex, et Domine Domine gratiosissime, Humilem obsequiorum nostrorum commentationem ad quevis Maiestatis vestre optata, animo propensissimo offerimus.

Serenissime Rex et Domine gratiosissime clementissimeque. Presentatis nobis literis sacre Ma.tis vestre eas maxima, qua potuimus veneratione, accepimus, et que a subditis Ma.tis vestre in querela coram deposita sunt, didicimus. Quod autem conqueruntur se ac Naves suas mercibus onustas preter ius et phas hic detineri, magnopere expedit, ut meritum cause vestre sacre Ma.ti, quam semper plurimum observavimus, syncere detegamus. Publica igitur fama apud sacram Ma.tem vestram certo certius nobis persuademus increbuisse, quibus iniuriis, damnis, ac contumeliis, Nos atque confederatos nostros Anse videlicet Alemanice, Serenissimus Dominus Rex Danie, sublatis vetustissimis privilegiis et iuribus, a divis Predecessoribus eius Regie Celsitudinis pro memorato Collegio Civitatum de Ansa emanatis et fulcitis affecerit. Cui licet, prout et antecessoribus suis Regibus, multa offitia et obsequia nostra successive prestitimus, quo uberiorem eius gratiam erga nos, cives et Mercatores nostros experiremur: duriorem tamen in nos cervicem erexit, quoniam nihil festinanti studio obmisit, quatenus Nos et confederatos nostros, quemadmodum et diverso-

rum Regnorum et Dominiorum subditos et mercatores quodammodo deleret, Volens omni nationi prohibere, Cum navigantes Regnum eius attingerent, ut fines suos non transirent, non aliud pretendendo, quam liberos homines in profundissimam servitutem redigere, sibi suisque omnia vendicare. Proinde tacemus infinita alia incommoda et gravamina, quibus nemini pepercit. Nam compertum est, quoties alienas naves mercesque in Regno suo detinuit, recepit atque distraxit, quominus aliquis rebus suis libere potiri posset. Hinc est plerumque Naufragia sequuta sunt, siquidem congruo tempore ab instituto cursu navigationis sue suspendebantur, Anchoris, funibus, hominibusque pro dirigenda navigatione necessariis, ademptis, ad extremum destituebantur. Tum denique insolitis immensisque exactionibus, Theloniorumque Licitationibus nimium emungebantur. Et alia, que non minora estimanda sunt, nisi historiam texere notaremur, hic venirent enumeranda. Ex his quoque cognoscere potest sacra Maiestas quid in causa sit, quod res nostras ac Confederatorum amicorumque nostrorum presenti bello, quod adversus eumdem Serenissimum Dominum Regem Datie gerimus, ob multorum mortalium salutem, quorum Libertas et immunitas indies fluctuare dinoscitur, submisimus. Quapropter vestre sacre Maiestati devotissime obsequentissimeque supplicamus, quatenus nobis, sociis atque complicibus nostris, pro gemina sua Regia clementia et benignitate, ultima suadente necessitate, gratissime deferre dignetur, Quod subditis suis, quemadmodum et civibus et mercatoribus nostris, liberum non sit in navigando, pro querendo victu operam navare. Potissimum tamen nostrum sit, exacta cura respicere, ne quid in vehendis, abducendisque rebus hosti permittatur seu administretur, quo adversus nos animetur, vel illam commoditatem assequatur, Unde et belli fervorem magis atque magis accumularemus. Movebitur itaque Maiestas vestra literis nostris pregnantibus rationibus, quo celerius commodiusque pacem assequamur, Ut nobis et coniunctis sociis belli compatiatur, Cum conducibilius sit pro recuperanda pristina libertate ac iuribus tuendis navigationem ad tempus moderare, quam a manifestissimis privilegiis recedere. Verum posteaquam hanc illibertatem, divina auxiliante clementia, sistemus et trahemus, Ex tunc non solum vestre Maiestatis Regnicolis pristina ad nos veniendi, commorandi, negotiandi, abeundique facultate favebimur, sed etiam illos omni favore et amicitia more solito amplecti iurabimus. Et quemadmodum semper gratiam Maiestatis vestre magnificamus, Ita pro nostra in Maiestatem vestram observantia, eius intuitu, quevis obire obsequia, propensissimo ac deditissimo animo enitemur, Commendantes nos humillime Civesque et mercatores nostros Maiestati vestre, Quam Deo Optimo Maximo incolumem, felicem ac triumphantem, nestoreos in annos committimus.

Datum Gedani 24 Aprilis Anno MDXXIII.
Eiusdem Serenissime Maiestatis vestre
Humiles deditissimi obsequentissimique
Preconsul ac Consules Civitatis Gedanensis.

In dorso: Serenissimo ac Prepotentissimo Principi ac Domino Regi Anglie et Francie, Defensori fidei ac Domino nobis Gratissimo Clementissimoque.

Alia manu: A Consulibus civitatis. XXIIII Aprilis.

*N. 46.*

*Gedani, 15 Maii, 1526*

*Sigismundus I rex Poloniae*
*ad Henricum VIII regem Angliae;*
*pro Ioanne Molenbecke, cive Gedanensi, de haeresi accusato, intercedit.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.* *)

*F. 83* Serenissimo principi domino Henrico Dei gratia Anglie Francieque Regi, et domino Hibernie, fratri et amico nostro charissimo et honorando, Sigismundus eadem gratia Rex Polonie, Magnus dux Lithuanie, Russie Prussieque etc dominus et haeres. Salutem et felicium successuum continuum incrementum. Serenissime princeps et domine frater et amice charissime ac honorande.

Subditus noster Joannes Molenbecke Civis Gedanensis, intelligens se istic in Regno Maiestatis vestre accusatum, quod ex numero esset huius Seculi Censorum et evangelistarum, et quedam adversus relligionem commisisset, confugit ad nos pro intercessione ad vestram Maiestatem, purgans et excusans se constantissime, quod nec probari quidquam possit de aliquibus dictis suis, nec in disquirendis libris aliquid esse apud se Londini in Curia Anse germanice inventum. Nos quidem vehementer commendamus et hoc Maiestatis vestre optimi et christianissimi principis officium, et Magistratus ac optimatum eius tam piam et diligentem operam, in compescendis eiusmodi pestibus, nam et nos, qui et vicini sumus Germanis, et subditos eius nacionis innumeros habemus, que solum, fato nescimus quo, hac lue ac intemperie agitatur, cogimur hiis excessibus corrigendis, et tumultibus harum Civitatum nostrarum sedandis incumbere, cum maxima molestia nostra, et negligentia rei gerende adversus Infideles. Verum cum ipse Ioannes Subditus noster ita asserit se innocentem et immunem, Rogamus M-tem vestram, ut liceat ei tuto negocia, que istic habet, secure tractare, et solita mercimonia obire, Idemque ut Maiestas vestra nobis suis literis indicare dignaretur, pro quo vicissim Maiestati vestre omni officio gratificari curabimus, cuius fraterno amori nos ex corde commendamus, et eam felicissime et quam diutissime valere desideramus.

Datum in Civitate nostra Gedanensi die XV Maii Anno domini MDXXVI° Regni vero nostri anno XX°.

Sigismundus Rex m.p.

In dorso: Serenissimo principi domino Henrico Dei gratia Anglie Francieque regi et domino Hibernie, fratri et amico nostro charissimo ac honorando.

*) *Vide ACTA TOMICIANA, VIII, p. 64.*

*N. 47.*

*Cracoviae, 29 Ianuarii, 1527*

*Christophorus de Szydłowiec*
*ad cardinalem Wolsey, cancellarium Angliae,*
*gratias pro iuvene bene accepto agit, de rebus Hungariae, Turciae et Moscoviae narrat; litteras ad Henricum VIII scriptas commendat.*
*(orig.) *)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 84* Reverendissime in Christo pater et domine domine colendissime. Post sui promptissimorum obsequiorum commendacionem. Mirabitur Reverendissima dominatio vestra, quod ego, homo eidem nunquam de facie notus, ausus sum paternitatem vestram Reverendissimam literis compellare. Mirari desinat; humanitatis est enim, non temeritatis in eorum gratiam se se ingerere, modis tamen honestis, quos omnes viri boni, ydemque sapientes et observent et venerentur. Nuper rediens ex Anglia Nobilis adolescens Felix ab Allen, serenissimi domini mei Cubicularius, narravit mihi, quam humaniter et decenter Rev.ma paternitas vestra eum habuerit et tractaverit; Cuius nomine vestre R.me dominationi in conspectu serenissimi domini mei Regis gratias non vulgares egi comperique gratissimam esse Ma.ti sue regie hanc eius animi erga se propensionem. Ego eciam R.mam dominacionem vestram rogo dignetur me in numerum amicorum suorum vel pocius servitorum adscribere, graciaque sua complecti. Et si quid est quod me facere iubeat, dignetur significare; subito ad mandata d. vestre R.me omnia quecumque virium mearum erunt facturus sum. V.ram interea R.mam dominationem rogo dignetur mea promptissima et perpetua servicia serenissimo et Excellentissimo domino Regi suo, domino meo gratiosissimo, commendare et in illius Maiestatis bonam graciam insinuare.

Nova, que ex Regno Hungarie post illam infelicissimam serenissimi domini Regis Ludovici a Thurcis cladem ad me ab [a] amicis scripta perlataque sunt, ex literarum exemplis his allegatis accipere, deinde mirari ac indolere de tanto casu dignabitur. Quarum copiam aliquando per occasionem V.ra R.ma dominacio serenissimo domino Regi suo perlegere velit. Nova autem, que apud nos sunt: Redierunt oratores Cesarei et serenissimi domini Ferdinandi regis ex Moskovia, facta pace inter serenissimum dominum meum Regem, et magnum Ducem Moskorum in sex annos. Sequ[u]ntur eos etiam insignes oratores ipsius Ducis cum septingentis Equitibus et cum oratore Apostolico. Est enim apud nos orator eiusdem serenissimi domini Regis Ferdinandi, Dominus Mraxii [b], vir sagax et magne probitatis. Nunciavit coronacionem sui Regis celebrandam his diebus ante carnisprivium. Egit magnopere, ut aliquis insignis orator mitteretur pro ista coronacione. Me autem no- /

*F. 84 v* minatim petit, sed ego nimis sum imparatus. Nondum tamen constitutum est, quis iturus erit. Serenissimus Rex Hungarie Strigoni agit; si tempori inter eius Ma.tem et serenissimum dominum Regem Ferdinandum lis et controversia de Regno Hungarie non componetur, video omnia

bellis arsura. Ex quo hostes Christiani nominis non mediocriter letabuntur et prosperabuntur.

Datum Cracovie die vigesima nona Januarii Anno domini MDXXVII.

Eiusdem R.me dominacionis vestre

servitor

Chrystophorus de Schydlovycsz palatinus et capitaneus Cracoviensis, ac regni Polonie summus Cancellarius.

manu sua.

*) *Vide ACTA TOMICIANA, IX, p. 42 sq.*
a) *in ms.*: ad.
b) *sic in ms.*

*N. 48.*

*Cracoviae, 30 Ianuarii, 1527*

*Christophorus de Szydłowiec*
*ad Henricum VIII regem Angliae;*
*gratias pro litteris sibi missis agit.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 85* Sacra et Serenissima Maiestas et Domine Domine Colendissime.

Post sui ac promptissimorum obsequiorum commendationem, Ex literis vestre serenissime Maiestatis, quas ex Regia sua apud Antellis [a], die ultimo Decembris mihi dare dignata est, facile perspexi, quam grata, quamque accepta sit sacre et serenissime Maiestati vestre illa mea devocio, Qua me ei dedi, et plane obligavi, cum superiori estate illos falcones diversi generis eidem transmiserim. Ex eisdem eciam literis cognovi illos ipsos falcones salvos et incolumes in augustissimum conspectum sacre Ma.tis vestre pervenisse. Felices sunt illi, quibus obtigit tanto principi, regi ac domino, orbisque et fidei christiane lumini volatu et vigore in capiendis avibus animum maximi momenti rebus intentum revocare. Gaudeo certe mihi, quod ego tam felix sum, cui tantus Rex tam clementissimam Epistolam scribere dignatus est, Quam ego inter preciosiores reculas meas, loco maximi momenti exemplumque felicitatis mee posteris adservabo, et quociens eam videre licebit, suavissime deosculabor. Quod vero scribit Ma.tas vestra, ut, si quando huius rei gracia huc servitores suos miserit, eos benigne exciperem, Expecto adventum eorum cum summa alacritate; et felicem iucundumque diem illum putabo, quo illi advenient, et sacram Ma.tem vestram salvam et incolumem felicissimamque mihi nunciabunt. Illis ego non solum auxilio et consilio ero, sed modis omnibus curabo, ut cum optimis avibus, quam cicius fieri poterit, ad sacram Ma.tem vestram feliciter redeant. Cuius gracie me diligentissime commendo, et pulvisculum pedum sacratissimorum deosculor.

Nova, que post illam Hungaricam cladem apud nos sunt, ex literis

Re.mi domini Cancellarii intelligere dignabitur. Dominus Deus servet Ma.tem vestram quam diutissime. Datum Cracovie XXX Januarii 1527.

Eiusdem serenissime Maiestatis vestre
servitor

Christoforus de S[chidlovyscz] palatinus et capitaneus Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius.

manu sua

a) Ampthill.

*N. 49.*

*Cracoviae, 7 Maii, 1527*

*Sigismundus I rex Poloniae*
*ad Henricum VIII regem Angliae*
*de oratore regis Angliae a se recepto; de Ludovico Jagellonico apud Mohacs interfecto, de periculo ex parte Tartarorum, Turcarum, Moscorum, deque internis in Hungaria dissensionibus.*

*(orig.)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 86* Serenissimo ac Excellentissimo Principi domino Henrico Dei gratia Regi Anglie et Francie, fidei defensori, ac domino Hibernie, fratri, amico et consanguineo nostro charissimo, Sigismundus eadem gratia Rex Polonie, Magnus Dux Lithuanie, Russie, Prussie, ac Masovie etc. dominus et heres. Salutem ac fraterni amoris atque omnis felicitatis continuum incrementum. Serenissime ac Excellentissime princeps et domine, frater, amice, et consanguinee noster charissime. Fuit apud nos orator serenitatis vestre, exposuitque nobis quamobrem ab illa in Ungariam, et ad nos sit missus, et literas Ser.tis vestre nobis reddidit, ex quibus abunde cognovimus quanto amore et pietate predita sit erga rempublicam Christianam, quem animum et studium Ser.tis vestre licet iam antea fama eius illustri cognoveramus, fuit tamen nobis hec significatio in laboribus, et discriminibus nostris voluptati et solatio non vulgari, Agimusque immensas gratias vestre Ser.ti, quod erga hec nostrum, et Ungarie Regna, que assidue tantam molem infidelium sustinent, utique maiore sollicitudine teneatur, quam hi qui post terga nostra securi degunt, propensiores ad turbas et seditiones intestinas, quibus divina et humana omnia confunduntur, quam ad succurrendum nobis in extremo discrimine constitutis. Iam enim Ser.tas vestra satis intelligere potuit quemadmodum Nepos noster desideratissimus, dominus Ludovicus, Ungarie et Bohemie Rex interierit, quantamque hoc tempore regnum Ungarie cladem acceperit, quantas item Regnum nostrum calamitates et labores sustineat, in reprimendis assidue non solum Turcorum viribus, sed etiam Tartarorum, Moscorum et aliorum infidelium, ac scismaticorum insultibus. Soli enim nos sumus, qui absque ullius alterius auxilio totam illam oram tuemur, ex qua olim Gotti, Vandali, Alani, Hunni proruperant in summam rei christianae perniciem, quorum omnium multitudinem et ferocitatem longe exuperant Tartari.

Quare cum nos suppeciis magis quam calcaribus egeamus, plurimum

rogamus Ser.tem vestram, ut quod animo et officio veri catholici principis facit, et pollicetur, non desit nobis et Regno Ungarie, in tanta calamitate et discrimine constitutis, aliosque principes Christianos ut idem faciant cohortari dignetur, quandoquidem communis res agitur, et perfractis nobis, quid reliqua regna, et nationes utilitatis et solacii consequentur, Ser.tas vestra, ut prudentissimus princeps abunde cognoscere potest. Cum autem ad modernam cladem Ungarie, hoc etiam mali accedat, ut alter in Regem coronatus, statum suum modis omnibus, etiam si extrema tentanda essent, tueri velit, alter illum exturbare, et regno illo potiri summo conatu nititur, nosque hoc iter compendiosissimum esse ad interitum considerantes, operam omnem facimus, ut hoc bellum adeo perniciosum sisti vel averti possit. Etiam atque etiam rogamus Ser.tem vestram, ut hoc studium et laborem nostrum modis et mediis omnibus quibus potest adiuvet, nec minus adniti curet Ser.tas vestra, ut litigantes [a] inter se illos alios summates principes in concordiam reducat, quorum alia ex aliis intestina bella exiciali furore sine fine gliscentia totam rempublicam christianam in perturbacionem et interitum deducunt. Commendamus nos ex corde Ser.ti vestre Regnumque, dominia, gentes, et facultates omnes nostras, quas Ser.ti vestre ad omnem eius necessitatem offerimus, rogamusque illam, ut nos eo amore quem testatur prosequi non desinat, et quicquid de integerrimo fratre, et amico sibi semper persuadeat. Dilectissime frater noster, dominus Deus servet vestram Se.tem diutissime sospitem et semper felicem.

Datum Cracovie die septima Mensis Maii Anno Domini M$^{0}$ D$^{0}$ XXVII$^{0}$ Regni nostri XXI$^{0}$.

Sigismundus Rex
subscripsit.

In Dorso: Serenissimo ac Excellentissimo Principi domino Henrico Dei gratia Regi Anglie, et Francie, fidei defensori, ac domino Hibernie, fratri, amico, et consanguineo charissimo.

a) *Ms.*: digliantes.

## *N. 50.*

*Cracoviae, 15 Maii, 1528*

*Christophorus de Szydłowiec*
*ad Henricum VIII, regem Angliae,*
*Stanislaum Cipser, mercatorem Cracoviensem, commendat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.* *)

*F. 87* Serenissime Rex, et domine domine clementissime. Post perpetuae servitutis commendationem. Cum ad sacrosanctam M.tem vestram is famatus Stanislaus Cipser, Consul et Mercator Cracoviensis, servitor meus, cum pellibus sabellinis esset profecturus, Quas pro Ma.tate vestra ser.ma in Regno serenissimi domini mei coemit, nolui permittere, ut prodeat in conspectum eiusdem vestre Maiestatis absque literis meis, Quibus me in gratiam eiusdem vestre ser.me M.tis duxi commendandum; omni cum hu-

militate supplicans dignetur obsequiis meis uti. Et si quid est, in quo sacratissime Ma.ti in Regno Serenissimi domini mei obsequi possim, modo sit illud virium mearum, iubeat ita audacter, ut uni ex suis addictissimis et fidelissimis servitoribus. Voluptas enim mihi est tanto principi morem gerere. Cui dominus Deus gratiam suam concedat, et augeat in annos Nestoreos.

Commendo eciam hunc servitorem meum Ma.ti vestre serenissime. Et rogo dignetur hominem de me meritum gratia sua regia complecti.

Datum in arce Cracoviensi decima quinta die Maii, Anno Domini M$^{0}$ D$^{0}$ XXVIII$^{0}$

Eiusdem sacratissime Ma.tis deditissimus et humilis servitor
Cristoforus de S. Cast. et C. Cracov. ac R.P. Cancell.

*) *Vide ACTA TOMICIANA, X, p. 242.*

*N. 51.*

*Vilnae, 24 Iulii, 1551*

*Nicolaus Radziwiłł*
*ad Eduardum VI, regem Angliae,*
*Albertum Bischoff commendat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*F. 88* Sacra ac Serenissima Regia Maiestas, domine domine clementissime, etc. Premissa in gratiam Sacrae ac Serenissimae M.tatis vestrae Regiae, mei, servitiorum, studiorumque meorum subiectissimorum humili et sedula com[m]endatione.

Ad Regum com[m]endationes, maxime vero eas, quae a Sacra Regia Polonorum Maiestate domino domino meo clementissimo proficisci in laudem alicuius solent, cum apud nullum Principem aliquid, tum vero apud sacratissimam Maiestatem vestram, Regem scilicet singulari erga omnes pietate celebratissimum, multo minus studiis aut interventu aliorum accedere quemquam posse persuasum mihi plane semper fuit. Quo factum est, ut ego etiam, cum scirem Generosi Alberti Bischoff Sacratissimae M.tatis V.rae servitoris, hominis omnibus sane virtutibus, et iis quae apud illam exercuit militaribus studiis ornatissimum, negotium literis esse sacrae M.tis Regiae domini domini mei clementissimi commendatum, abstinendum mihi esse a prolixa eius viri commendatione putarem, ut ne vel plus quam par sit assumere mihi in ea re videar, vel etiam ne quem merita sua charum atque gratum iampridem M.tati vestre fecerunt, eum me primum commendare velle, existimari possim. Quapropter ea obmissa, sacratissimam M.tem vestram humiliter rogo, ut in negotio Alberti Bischoff, quemadmodum et in ceteris omnibus rebus solet, gratia, clemencia, benignitate atque pietate sua utatur, pro honestis et liberalibus ipsius servitiis, quae ipse unquam alacriter praestare solitus est, hoc munificenciae suae Regiae

esse inditium velit, ut ipsi in suis rebus clemens et optata expeditio possit a M.tate Vestra Sacratissima referri. Factura Sacratissima M.tas Vestra rem imprimis cum Sacrae M.tatis Regiae domini domini mei Clementissimi commendatione dignissima, tum vero ad confirmandam eam quae utrique M.tati mutuo intercedit amicitiam, et ad nominis sui famam perpetuo celebrandam, insignem, quam nos etiam omnes, exteri licet summis laudibus summisque encomiis et prosequemur et praedicabimus.

In reliquo Sacratissimam M.tatem vestram salvam et incolumem omnibus fortunis et Regni sui auspiciis florentem foelicemque quam diutissime esse cupio, in cuius gratiam me et subiectissima mea servitia etiam atque etiam humiliter commendo. Datum Vilnae die XXIII$^{0}$ Julii Anno M$^{0}$ D$^{0}$ L$^{0}$ I$^{0}$

Sacratissimae ac potentissimae M.tatis vestrae
Etsi ignotus obsequentissimus tamen servitor
Nicolaus Radzivil, Dux in Olyka et Nicsvisch, Palatinus Vilnensis, Magni Ducatus Lithuaniae Suppremus Marsalcus et Archicancellarius, Brestensis, Borissoviensis Scharling [a] Capitaneus generalis etc.

manu propria

In dorso: Serenissimo et Potentissimo Principi et Domino Domino Eduardo Sexto, Dei gratia Angliae, Franciae et Hyberniae Regi, fidei defensori, et in terris sub Christo Ecclesiae Anglicanae et Hybernicae suppremo Capiti etc. domino domino clementissimo.

a) Schavlensis (Szawle).

*N. 52.*

*Knissini, 4 Novembris, 1553*

*Sigismundus Augustus, rex Poloniae*
*ad Mariam, reginam Angliae;*
*Laurentium Fentzel Gedanensem commendat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton. Nero, B. II. *)*

*F. 89* SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc dominus et haeres, Serenissimae Principi Dominae Mariae eadem gratia Angliae Franciaeque Reginae, et dominae Hyberniae, Sorori nostrae Charissimae. Salutem et foelicium successuum continuum incrementum.

Serenissima Princeps, domina, soror nostra charissima. Laurentius Fentzel mercator ex Civitate nostra Gedanensi, iis immunitatibus fretus,

quas maritimae Civitates Hansae nuncupatae, in quibus Gedanum quoque est, a Divis Angliae Regibus prolixe et liberaliter datas habent, in Angliam argenti infecti et telae grossioris, quae Cracoviensis dicitur, magnam vim venalem misit. Ac argenti quidem nomine, quod nihil usquam vectigalis exigatur, ne ab ipso quidem quicquam telones poposcerunt. Telae autem nomine, quoniam Gedanensis Civis esset, secundum privilegiorum Hansae concessorum praescriptum Exactoribus portoriorum satisfecit. Ac tametsi hoc modo merces Laurentii in Angliam pervenissent: inventus est tamen quidam, mercede fortassis quae iudicibus proposita esse dicitur, adductus, qui Procuratorem eius fraudati telonei insimulare atque accusare non dubitaret. Ita illae omnes merces Laurentio absente pignorantur: magnum interea illi ea negociationis interruptione damnum datur. Qui cum postea accurrisset, gravemque iniuriam sibi, et in persona sua, Civitatum maritimarum privilegiis illatam esse, Divo Eduardo Angliae Regi proxime mortuo, Ser.tis vestrae fratri, questus esset, effecit ut suae sibi merces integre reddi iuberentur, sed dimidia vix parte recepta, reliqua recuperare non potuit. Qua in re quum nulla sua culpa ingens sibi damnum datum esse Principi denuo questus esset, supplicassetque, ne se propter temerariam iudicis delationem miserum esse vellet, id est assecutus, ut et sperare integram mercium suarum recuperationem, et aliquid praeterea, quo damnum interupta negociatione factum compensari et sarciri posse putaret, petere juberetur. Supplicavit itaque Ser.tis vestrae fratri, libello supplici porrecto, ut sibi quatuor millia alborum omnis generis imparatorum Anglicanorum pannorum, eo vectigali soluto, quod liberi Anglici Londonenses paratorum communium pannorum nomine communiter pendunt, tuto et sine impedimento ex Angliae Regno empto exportare liceret. Ac placide quidem Principem damna praeter culpam facta compensari volentem supplici libello accepto annuisse responderique ut optata expectaret iussisse. Sed postea tamen rem infesto Principis interitu interruptam confici non potuisse. Id quod Ser.tas vestra ex supplici eius libello, quem nobis exhibitum in has literas includendum putavimus, planius intelliget.

Nunc is ipse mercator noster, quum ad nos opem implorans recurrisset: digna nobis res visa est, ut eius hoc negocium per literas Generoso Hieronymo Makowieczki Camerario nostro, non minus huius ipsius rei quam aliarum causa misso traditas, Ser.ti vestrae diligenter commendaremus. A qua et postulamus, ut Michaelem quendam Czimermann, apud quem reliquae eius merces etiamnum sint, sine multa impensarum temporisque iactura, satisfacere cogat; et petimus, ut hunc illi pannorum supradescriptorum numerum, ita ut supplicaverat, exportandi faciat potestatem: quo scilicet miser damnum cum ob interruptam iudicis culpa negociationem, tum ob suas merces magnis impensis frustra repetitas factum, quod decem millium talerorum summam ait excedere, vel hac saltim ratione compensare resarcireque possit. Id et Ser.tas vestra sane non iniquum esse perspicere potest, et nos tamen in simili causa officium hoc Ser.ti vestrae vicissim officiis nostris, et in subditos eius benevolentiam per omnem occasionem libenter compensaturi sumus.

Cupimus Ser.tem vestram esse incolumem, tranquillumque et florentem Regni statum quam diutissime retinere. Datum Knissini IIII Novembris Anno domini M D L III Regni nostri XXIIII

Sigismundus Augustus
Rex subscripsit.

In dorso: Ser.mae Principi Dominae MARIAE Dei gratia Angliae Franciaeque Reginae et dominae Hiberniae etc., sorori nostrae charissimae.

*) *Vide regestum in CSP. 1533-8, p. 23.*

*N. 53.*

*Varsaviae, 8 Iulii, 1554*

*Bona, regina Poloniae*
*ad Mariam, reginam Angliae;*
*de matrimonio cum Philippo, principe Hispaniarum congratulatur, Ioannem Laurentium Pappacoda oratorem accreditat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 90* Serenissimae Principi Dominae Mariae Dei gratia Angliae Franciaeque Reginae, Principi Hispaniarum, Utriusque Siciliae, Jerusalem, Archiducissae Austriae, Ducissae Burgundiae, Comitissae Tyrolis, Sorori nostrae charissimae et honorandae, BONA eadem gratia Regina Poloniae, Suprema Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Salutem plurimam et perpetuam felicitatem optamus, amoremque officia nostra debita in primo deferimus.

Ser.ma Regina, Soror nostra charissima et honoranda. Cum renunciatum nobis est M.tem vestram matrimonii vinculo, quod foelix faustumque sit, Ser.mo et potentissimo Hispaniarum Principi copulatam esse, ingentem ea de re cepimus laeticiam, ac pro nostro erga M.tem Vestram favore et benevolentia singulari praetermittere noluimus, quin statim de hoc foelici statu M.ti Vestrae congratularemur. Itaque mittimus istuc Magnificum Joannem Laurentium Pappacodam Oratorem nostrum, Cui mandavimus, Ut M.tis Vestrae sanitatem in primis nomine nostro inviseret, eique amorem et officia nostra deferret. Deinde ut de isto tam sancto, et M.tis pleno Coniugio M.ti vestrae congratularetur, ac ex eodem optatos fructus et solatia precaretur. Quare a M.te vestra postulamus, ut eum audire eique dicenti plenam fidem habere vellet. Quod reliquum est, nos amori M.tis vestrae debito diligenter commendamus. Dominus Deus servet M.tem vestram diutissime sospitem, ac semper felicem. Datae Varsoviae VIII Julii Anno Domini M D L IIII

Eiusdem M.tis Vestrae Soror
Bona regina.

In dorso: Serenissimae Principi Dominae Mariae, Dei gratia Angliae Franciaeque Reginae, Principi Hispaniarum, Utriusque Siciliae, Jerusalem, Archiducissae Austriae, Ducissae Burgundiae, Comitissae Tirolis, Sorori nostrae Charissimae et honorandae.

Alia manu: The quene of Pole to her quenes highnes VIII$^{0}$ July 1554.

*N. 54.*

*Knissini, 13 Iulii, 1567*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*de periculo, quod universae Christianitati ex parte Moscoviae minatur deque prohibendo cum ea mercatoribus anglicis commercio.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 91* Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae Prussiae, Masoviae, Samogitiae, etc Dominus et Haeres, Ser.mae Principi dominae Helizabethae eadem gratia Angliae Franciae Hiberniae Reginae, fidei defensatrici, sorori et consanguineae nostrae charissimae, Salutem et prosperos rerum omnium successus.

Ser.ma Princeps domina soror et consanguinea nostra char.ma. Cum bellum his temporibus grave admodum et periculosum geramus, cum adversus Sueciae Regem, tum etiam multo magis adversus Principem Moschorum, barbarum et schismaticum hominem, edixeramus superioribus temporibus, ne quis per ditiones nostras in terras hostiles aliquid eiusmodi rerum importare ausit, quibus hostis barbari atque infidelis ferocia posset adversum nos adiuvari. Id autem propterea etiam gravioribus poenis interpositis a nobis edictum ac sancitum extitit, quod facile intelligeremus, omnem Moscicam potentiam, quo maior fuerit, hoc non solum nobis ipsis, verum etiam paulo post universae christianitati ipsi formidolosiorem fore. Nunc cum vicinarum aliquot nationum mercatores, privatorum lucellorum causa, vetitam per nos navigationem vellent nihilominus temerarie usurpare ac saluti et incommoditati regni nostri et totius reipublicae Christianae privata sua compendia anteferre, a speculatoribus nostris, quos ad impediendam eiusmodi navigationem collocavimus, prohibiti, et pignoratione nonnullarum navium in officio retenti sunt, inter quos fieri etiam potest, ut subditis quibusdam Ser. vestrae idem acciderit. Exposuerunt autem nobis Spectabiles Proconsules et Consules Civitatis nostrae Gedanensis, in nonnullam se indignationem Ser.tis V.rae propterea incurrisse. Quod nobis quidem accidit permolestum. Etenim quo magis nobis propositum semper fuit, benevolentiam, cum omnium Divorum antecessorum Ser.tis v.rae, tum ipsius quoque Ser.tis v.rae colligere quoque magis cupimus subditos omnes nostros, in gratia et amicitia vicinorum regum et principum, libertate uti commerciorum suorum, hoc magis acerbum nobis extitit, Gedanensem Civitatem, quam nos charam inprimis habemus, versari in ulla Ser.tis v.rae suspitione, nulla profecto ipsis causa. Quamobrem amanter a Ser.te v.ra postulamus, ut Civitati quidem ipsi Gedanensi, veterem suam benevolentiam Ser.tas v.ra conservet, neque illam propterea in ullam suspitionem apud se adduci patiatur: tum autem praeterea, consideratis diligenter et perpensis rationibus nostris, quibus ad impediendam eiusmodi navigationem in hostiles et barbaras terras, adducti sumus, suis potius subditis Ser.tas v.ra edicat, ut ab instruendo communi omnium christianorum et barbaro atque schismatico hoste, armis, commeatu, artificibus denique ad bellum validius apparandum accommodis, quam ut nos ob impediendam eiusmodi navigationem aliqua ex parte accusandos esse existimet. Nos enim subditis omnibus Ser.tis vestrae, licita et honesta

commercia exercentibus, non minus nunc, quam semper ante, tutos in ditionibus nostris, receptus, commorationes, transitus, discessus, libenter praestamus et semper praestaturi sumus. Quominus autem navigationem Moscoviam permittere possimus, videt nos Ser.tas v.ra gravissimis non solum nostris privatis, sed etiam religionis et reipublicae totius christianae rationibus prohiberi. Instruitur enim hostis, ut diximus, commeatu, instruitur, quod magis est, armis in illa barbaria inusitatis, instruitur, quod nos quidem maximi ducendum esse existimamus, artificibus ipsis, ita ut etiam si ad illum nihil praeterea importetur, tamen opera artificum ipsorum, qui, illi, vigente eiusmodi navigatione, libere summittitur, facile omnia fiant et fabricentur in ipsa illius barbara ditione, quae usus ipse belli requirit, et quae, uti hactenus ipsi ignota fuerunt, ita verendum est magnopere ne citius opinione multorum, in magnam totius christianitatis perniciem facta esse et fabricata videantur. Quae profecto omnia prohiberi aliter non possunt, quam si navigatio eiusmodi omnium principum Christianorum interdictis severissimis prohibita esse videatur. Quod quidem ut ipsa quoque Ser.tas v.ra faciat propter totius reipublicae Christianae commodum maiorem in modum ab ea petimus. Si quid tamen est, in quo se subditorum quispiam Ser.tis v.rae laesum esse et violatum iniuria speculatorum nostrorum queratur, ei nos, pro ea qua Ser.tem v.ram subditosque et ditiones ipsius prosequamur benevolentia, ius sine mora libenter dicturi sumus. Bene valere Ser.tem v.ram cupimus.

Datum Knissini die XIII Julii anno Domini M D L X VII[0] Regni vero nostri XXXVIII[0]

Sigismundus Augustus
Rex

In dorso: Ser.mae Principi dominae Helizabethae Dei gratia Angliae Franciae Hiberniae Reginae Fidei defensatrici sorori et consanguineae char.mae.

Alia manu: 13 July 1567. The King of Pole to ye Quenes Ma.ty. answered

*N. 55.*

*Knissini, 3 Martii, 1568*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*navigationem ad oras Moscoviae a se interdictam declarat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 92* Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc dominus et haeres, Ser.mae Principi dominae Elizabethae, Dei Gratia Angliae, Franciae, Hiberniae Reginae, fidei defensatrici, sorori et consanguineae nostrae charissimae, Salutem et omnium rerum foelix incrementum.

Serenissima Princeps domina soror et consanguinea nostra charissima. Ad literas Ser.tis v.rae Hamptoniae calendis Novembris datas, copiosius paulo post vel per literas, vel per Internuncium nostrum, Ser.ti vestrae

respondebimus. Interea autem, de his, pro quibus Ser.tas v.ra partes suas interponit, primum rem omnem ex commissariis nostris cognoscemus, deinde si quid ipsis gratificari poterimus, non gravate omnia in gratiam Sertis v.rae facturi sumus. Nihil est enim profecto nobis antiquius eorum regum et principum amicitia, cum quibus et nobis ipsis consanguinitas et regno nostro vicinitas, ac mutua et vetusta commerciorum foedera intercedunt. Nunc quod scribit Ser.tas V.ra, civium Gedanensium subditorum nostrorum culpa fieri, ut subditi Ser.tis v.rae in has apud nos difficultates incidant, id sibi persuaderi minime patiatur. Vere enim testimonium illud civibus Gedanensibus dare possumus, neque ad illos quicquam custodiam hanc maris attinere, quae per nos instituta, et non magistratui Civitatis illius, sed uni ex senatoribus regni, ac praeterea Secretario cuidam, atque aulico nostro commissa est: et si quid in hac parte adversi subditis Ser.tis v.rae prohibitam a nobis navigationem exercentibus forte accidit, id fieri non modo non procurantibus, sed etiam omnia quam maxime mitigantibus civibus Gedanensibus subditis nostris: qui se id bonae vicinitati, ac mutuae commerciorum rationi debere profitentur. Itaque non eorum profecto instigationibus, qui Anglorum difficultates omnes in hoc genere pro suis ipsorum difficultatibus propemodum reputant, sed aliis magnis, iustis, necessariis, et non magis ad regnum ipsum vestrum, quam ad omnia vicina et ad hunc septentrionalem atque occidentalem oceanum posita regna atque imperia Christiana pertinentibus rationibus, fieri persuadebit sibi Ser.tas v.ra, ut hanc eiusmodi navigationem omnibus in universum velimus esse interdictam. Cum enim hac navigatione recens admodum instituta, hostem non modo regni nostri temporarium, sed etiam omnium nationum liberarum haereditarium Moscum magnopere instrui et armari videamus, non solum armis, telis, commeatu, quae etsi magna sunt, minime facilius profecto prohiberi possent, sed etiam aliis multo maioribus rebus, quae neque satis ullo consilio provideri, et hostem ipsum magis etiam iuvare possunt, artificibus inquam ipsis, qui arma, qui tela, qui caetera eiusmodi in illa barbarie nec visa nec audita, hosti fabricare non cessant; ac praeterea, quod maxime attendendum est, cognitione omnium, etiam secretissimorum consiliorum nostrorum, quibus ille paulo post ad interitum, quod absit, omnium nostrum abutatur, ferendum profecto nobis esse non existimamus, ut hanc eiusmodi navigationem liberam esse patiamur.

Itaque et dimissis anno superiore circumcirca literis nostris, diligenter ab hac navigatione omnes vicinos populos, ipsamque adeo Ser.tem v.ram dehortati sumus, et in ipso mari custodes eius navigationis posuimus, et si quis illam invitis nobis exercere voluerit, eum cum omnibus mercibus pignerari iussimus. In quo ipso quanquam aliquoties multa ad intercessionem vicinorum et amicorum principum nonnihil condonavimus, tamen quoniam nihilominus navigationem ipsam usurpari videmus temeritate summa mercatorum ipsorum, non videmus profecto, qua ratione nos deinceps faciles his praebere posse videamur. Sed de hoc, et de aliis rebus ad hanc navigationem pertinentibus, brevi Ser.tem v.ram vel per literas, vel per Internuncium, ut diximus nostrum, copiose faciemus certiorem. Interea ne Ser.tas v.ra existimet, nos a commercio populorum suorum in universum abhorrere, scire Ser.tem v.ram voluimus, omnes Prussicos, et omnes qui modo sunt iuris nostri, Livonicos portus nostros, non minus subditis Ser.tis v.rae, quam subditis ipsis nostris liberos patere, eorumque commerciis omnibus expositos esse, dummodo ipsi hanc Suedicam et Narvicam navigationem, cum praeiudicio summo nostro, et certa atque

proxima omnium circumcirca liberarum nationum pernicie coniunctam, interdictam sibi esse et prohibitam meminerint.

Bene valere Ser.tem v.ram cupimus. Datum Cnisini die tertia mensis Martii, Anno Domini M D LX VIII⁰, Regni nostri anno XXXIX

Sigismundus Augustus
Rex

In dorso: Ser.mae Principi dominae Elizabethae Dei gratia Angliae Franciae Hiberniae Reginae fidei defensatrici, sorori et consanguineae nostrae charissimae.

Alia manu: 3 March 1567 [a]. The K. of Pole to the Quenes Ma.ty. A[nswere]d 23 April 1568.

a) *sic in ms.*

*N. 56.*

*s.l. 13 Martii, 1568*

*Versio anglica abbreviata epistolae praecedentis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 93* 13 Martii 1568. Sigismundus August. K. of Polon. to the Q.

Excusing the merchants and Citizens of Elbing [a] not to be the occasion of the trouble that the English are in there, but things were done at his command, and a Conseiller of his appointed there, to restrayne all Merchandise going into Mosco, where he complaineth much of the English misbehavior, not only carrying wares [b] prohibited, as shot, powder, but artificers also, and advise them of his proceedings against them, a thing not to be tolerated, the Mosco being not only enemie to him, but also hereditary unto all Christians.

a) *rectius* Dantzig.
b) as shot *expunctum.*

*N. 57.*

*Gedani, 10 Martii, 1568*

*Proconsules et consules Gedanenses ad Elizabetham reginam Angliae de civium Gedanensium navibus captis.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*F. 94* Serenissima potentissimaque Regina ac Domina, Domina Clementissima, Reginali M.ti vestrae omnis generis paratissima offitia, perpetuo

obsequendi studio atque observantiae singulari coniuncta, ea, qua decet, animorum submissione humiliter deferimus.

Serenissima Regina, Ex literis Reginalis M.tis v.rae, quas ea, qua par fuit, reverentia accepimus, Sane haud parvo cum dolore, preter omnem prorsus opinionem nostram, cognovimus: quod insimulemur, quasi aequitatis iurisque immemores, spetiosa verba factis nostris iniuriosis praetendamus, quae tamen illis nec belle respondeant, nec recte satis faciant. Quam animi consternationem illud quoque edictum non parum adduxit, quo nostratium naves, bona atque merces arresto detineri, atque post sextum mensem eam ob causam subhastari ac divendi iubentur, quod R.lis M.tis v.rae subdito Wilhelmo Martino ius administrare recusavimus. Cuius equidem rei culpa praeter meritum nostrum nobis impingitur, Vt prolixius apud R.lem M.tem V.ram literis iam dudum nos ab omni neglecti officii suspitione purgavimus, quibus praeterea testati sumus, causam illam inter Tomam Martini et Bernhardum Thyle controversam, ad s.ae Regiae M.tis Poloniae, Domini nostri Clementissimi tribunal, e nostra Iurisdictione Appellationis via atque ductu, devolutam fuisse.

Quamobrem vero in promulgando isto severiori edicto R.lis M.tas V.ra ad supplices preces predicti Tomae filii Wilhelmi, veritate et candore laborantes, atque ad quasdam actorum portiunculis magis respexerit, quam nostrarum literarum et innocentiae nostrae rationem habendam esse duxerit, neque prius secun- /

*F. 94 v* dum superiores illius ad nos literas ad Regem nostrum retulerit, quam exequutionem realem permiserit, id equidem suo loco relinquimus.

Exoptassemus profecto, ut priusquam illud acerbius remedium, quo hostiliter dissidentes invicem plerumque uti solent, fuisset adhibitum, Sac.mae Regiae M.tis Poloniae, domini nostri clementissimi, de qua antea scripsit, ratio habita fuisset, et quod eius S.ra Regia M.tas de hoc negotio statuisset, R.lis M.tas v.ra explorari mandasset, priusquam post illas primo Novembris ad nos datas literas, tertio nondum mense elapso, istud in lucem edictum expectatione nostra celerius prodiisset: proculdubio R.lis M.tas V.ra deprehendisset quam maligne interdum, ex virulento plane odio, nullo tamen nostro merito, apud V.ram R.lem M.tem integritas atque innocentia nostra a malevolis oblaedatur.

Caeterum cum inveterato mundi vicio iam non sit novum, ut optimi quique Principes ab altera parte secus interdum quam res sese habeat, informati, aliquid gravius statuant, et melius instructi, illud emendent, atque sanent, Deinde, cum non iuris tantum sit, sed apud plerasque gentes id moris quoque servetur, ut non prius actori a suo Principe concedantur repressaliae, quam is abunde docuerit, tam a Rei conventi iudice inferiori, quum supremo denegatum sibi fuisse iustitiam, Praedictus autem Wilhelmus non modo nihil horum docuerit, sed se sibi aut patri contigisse eiuscemodi quippiam unquam liquido probari poterit, imo ut ex pleniori veriorique actorum serie doceri ac demonstrari potest, litem motam nunquam a nobis tardatam aut contra /

*F. 95* officii nostri fidem protelatam, Sed ab ipso Thoma Martini primum, post etiam ab ipsius filio Joanne, temere desertum fuisse. Quo factum est, ut pars adversa per Sacratissimae memoriae Regem Poloniae, Divum Sigismundum, iam pridem ab omnis litis observantia plane fuerit absoluta, Vti manifeste constat ex Decretoriis literis, cum Consiliariorum harum terrarum Prussiae, tum ipsius Regis Sigismundi Anno XLII et XLIX

emanatis, quarum copiam hisce adiungendam putavimus, numero A B C D E.

Et quanquam Ioannes filius Thomae Martin post multorum annorum intervallum, denuo eandem litem anno Sexagesimo tertio resuscitare conatus, exequutionem contra possessores bonorum ipsius partis adversae iam pridem defunctae petierit: Possessoribus vero in contrarium, litis finitae exceptionem et absolutoriam opponentibus. Neque tamen, quoad de iure tenerentur, respondere recusantibus, quatenus Actor tanquam homo externus et non possessionatus, cautionem fideiussoriam de parendo iuri et iudicato, litisque expensis solvendis praestaret. Id quod etsi iuri et consuetudini maxime congruere nemini non videri potest, Regia quoque M.tas Polonica cognitionem eius rei ad se delatam per sententiam comprobarit Anno LXVI. Postea etiam Anno LXVII. Actor per Regem iussus ad Cautionem praestandam adcitari, et nisi intra septimanas duodecim compareret, Reus non amplius ad respondendum teneri, iniuncto Actori perpetuo silentio. Quae quidem Regiae literae /

*F. 95 v* etsi in locis consuetis ad Ecclesiae valvas fuerunt publicatae, post etiam, pro more huius regionis, in tribus diversis territoriis seu Ditionibus Citationes publicae emissae, Tamen neque Actor ipse, neque quisquam illius nomine ad eum usque diem comparuit. Adeo ut neglectae Iustitiae, sibi ipsi potius culpam omnem, quam cuivis alteri, nedum Nobis ascribere iure possit. Quae ita se re vera habere, neque passos Nos hactenus fuisse quicquam in nobis desiderari, R.lis M.tas V.ra ex adiunctis exemplaribus cognoscere dignabitur.

Neque tamen adhuc repugnamus, Si quo se memorati Actores iure, Iusticiaque causam suam niti putent, quin eis, quantum in nobis est, et aequitatis ratio patitur, praesto simus, ac Ius, et Iusticiam, nullo habito illius personae respectu, intrepide administremus.

Quod vero ad edictum R.lis M.tis V.rae attinet, Cum illud, quod bona M.tis V.rae pace dictum volumus, Iuri Divino, naturali et Legibus scriptis acerrime adversetur, et in primis ac manifeste repugnet Privilegiis, Pactis, Compositionibus, et actibus Parliamentalibus [a)] ab inclitae memoriae Ser.mis Angliae Regibus, M.tis V.rae Divis Antecessoribus concessis, ac toties Regia authoritate confirmatis, quibus expresse perpetuis temporibus cavetur, Ne quisquam aut bona, seu merces infra regnum seu potestatem existentia, pro aliquo debito, pro quo fideiussor aut /

*F. 96* principalis debitor non extiterit, seu pro aliqua transgressione facta vel facienda, arrestetur, detineatur, aut gravetur.

Quantis igitur possumus precibus summississime R.lem M.tem V.ram oramus ac obsecramus, dignetur propter liberiorem uberioremque mercimoniorum communicationem nec non ob ultro citroque commeandi facultatem tutiorem, et gravioris incommodi avertendi gratia, edicto illo abolito, naves, merces, bona, nomina denique omnia, quae Arresto sunt constricta, ex innata benignitate, et plane Regia Augustaque manu, liberare, atque dissolvere. Et Wilhelmo Martino et consortibus iniungere, ut supra dictum est, Si quam erga Nos, nostrosque cives, habere se putent actionem, Iure coram competenti iudice certent. Velit praeterea R.lis M.tas V.ra voluntatem suam atque mentem Clementissimam nobis explicare: qua securitate naves, bona, atque homines nostros in posterum per Angliam esse, moveri, atque eo appellere velit.

Nos vicissim omni genere studii, officii atque observantiae, ita erga R.lem M.tem V.ram Nos comparabimus, ut quanti illud beneficium duxe-

rimus, quantumque sit apud nos R.lis M.tis V.rae nomen atque splendor, re ipsa perpetuo deprehendat.

Immortalis Deus R.lem M.tem V.ram diutissime servet sospitem, illustrissimis dotibus /

*F. 96 v* bonisque fortunae, ad voluntatem fluentibus, foeliciter et aeternum florentem. Datum Gedani decimo die mensis Martii Anno partae Salutis M. D. Sexagesimo Octavo.

R.lis M.tis V.rae
Paratissimi ac deditissimi
Proconsul et Consules
Civitatis Gedanensis.

a) et actis Parliamentalibus *add. in marg.*

*Copiae documentorum A B C D E, de quibus mentio fit in textu, non extant in hac collectione.*

*N. 58.*

*Knissini, 27 Aprilis, 1568*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de iniuria mercatoribus Gedanensibus in Anglia illata.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 98* SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc dominus et haeres, Ser.mae Principi dominae ELIZABETHAE eadem gratia Angliae, Franciae, Hiberniae Reginae, fidei defensatrici, sorori et consanguineae nostrae charissimae. Salutem ef fortunarum omnium accessionem.

Ser.ma Princeps, domina, soror, consanguinea nostra charissima. Exhibitum est nobis nuper exemplum edicti cuiusdam Ser.tis v.rae; quo quidem edicto naves, merces, bona, res et nomina quaecumque ad magistratus, officiales, cives, et homines Gedanenses quoscumque subditos nostros spectantia, et in regno ac dominio Ser.tis v.rae nunc vel deinceps existentia, arrestantur, capiuntur, sequestrantur, donec Wilhelmo Martin, subdito Ser.tis V.rae, de certa quadam pecuniae summa satisfiat.

Equidem quo magis semper dedimus operam, ut, cum in alios omnes reges et principes Christianos, tum in ipsam quoque Ser.tem v.ram constaret nostra omnis benevolentia, tum autem qui magis experti sumus subditorum nostrorum civium Gedanensium optimam erga subditos omnes Ser.tis v.rae voluntatem, de qua proximis etiam literis Ser.ti v.rae nonnihil perscripsimus: hoc magis admirati sumus, quicquam eiusmodi adversus illos a Ser.te v.ra profectum esset, quod et ipsis quidem acerbum, et nobis, nostraque cum Ser.te v.ra coniunctione et vicinitate indignum prorsus esse videatur. Quid enim aut illis acerbius contingere potuit, quam quod, dum illi omnium rerum securi, solita cum subditis Ser.tis V.rae commercia bona fide exercent, res et merces in regnum Ser.tis v.rae im-

portant, usitata vectigalia persolvunt, de repente bonis mercibus eorum manus injiciuntur? aut vero quid nobis etiam ipsis (nobis autem cum dicimus, etiam Ser.tem ipsam v.ram includimus) indignius potuit excogitari, quam et M.tem quidem nostram, qui semper aequitatis non minus Ser.te ipsa v.ra amantes et studiosi fuimus, et porro per Dei gratiam futuri sumus, negata iustitiae suspitione onerari: et Ser.tem vestram, non expectato exitu earum transactionum, quas partim nobiscum, partim cum magistratu ipso nostro Gedanensi de hac haeredum Thomae Martini controversia dirimenda Ser.tas v.ra inchoarat, ad eas res subito decurrisse, qua alioqui non nisi extremum locum in controversiis, idque etiam non inter coniunctos, sed inter alienos principes, et hostiliter inter se dissidentes, tenere consueverunt. Quae quidem omnia considerantibus nobis, non satis profecto credibile videtur, aut Ser.tis v.rae mandato edictum eiusmodi promulgatum extitisse, aut saltem negocii istius rationes omnes adamussim Ser.ti v.rae expositas fuisse. Nos enim de hoc negotio ita compertum habemus, Thomam Martin, cum appellationem prosecutus non esset, causam hanc universam, ante annos amplius triginta deseruisse, Divo tum etiam parente nostro regnante. Postea autem nobis iam ipsis regnantibus, ante annos quinque haeredes ipsius cum causam hanc desertam, et, ut nonnulli arbitrabantur, iam extinctam, excitare iterum voluissent, nos cum literis Ser.tis V.rae adiisse: cumque illis auctoritate nostra in gratiam Ser.tis V.rae non defuissemus, eo denique causam adduxisse, ut de iure suo obsoleto iam, et longo temporum intervallo intermisso, docere tamen, et causam ipsam legitime prosequi possent: praestita modo cautione fideiussoria, quae illis, uti impossessionatis, incumbebat, de litis expensis et damnis solvendis. Ad eam rem ne etiam ipsorum, uti hospitum, non /

*F. 98 v* magna ratio habita fuisse videretur, diem, duodecim non amplius septimanarum, fuisse praestitutam. Ei decreto, cui primum assensi tamen fuisse videbantur, satisfactum ab ipsis non esse: et non modo cautionem eos non praestitisse, sed ne de iure quidem suo docuisse. Nos tamen praeterea iterum eidem magistratui Gedanensi mandavisse, ut literis citationis ipsius publicatis, eos nihilominus edicto publico in iudicium vocaret, et intra duodecim septimanarum spatium causam dicere iuberet. Dies enim advenisse, neminem illorum nomine comparuisse. Ita ab ipsis quoque haeredibus causam destitutam esse: siquidem, ut cum haeredes Martini ex parte sua rem iudicatam, et ad executionem ipsam adductam urgeant, nostri contra pro se desertionem litis et sententiam absolutoriam opponant. Atque nos quidem sic de negotio, uti a memoria pene nostra remoto comperimus. Interea tamen non alienum futurum fuisse existimamus, si Serenitas vestra antequam ad hoc genus pignerationis descendisset, acta omnia et instrumenta, quibus haeredes Martini nituntur, ad nos misisset; ut nos quoque de causa ipsa, nobis ut verum fateamur, non satis cognita, plenius cognoscere, et ad expeditiorem aliquam aliam rationem, ius ipsis dicere potuissemus. Quod quoniam hactenus factum non est, fieri sane adhuc et potest, et debet. Neque enim profecto persuadere nobis possumus Serenitatem vestram, praetermissis legitimis remediis, ad extraordinaria esse recursuram: quorum quis denique exitus, aut quam regnis dominiisque nostris utrisque salutaris futurus esset, id quidem nos prorsus ignoramus: cum plane nobis vitio verti non deberet. Serenitate vestra tam obnixe postulata subditorum suorum defendente, si nos quoque subditorum nostrorum rationem ducendam nobis esse ex adverso existi-

maremus. Qua in re nunc iam etiam ab Ordinibus regni nostri diligenter admonemur. Habuimus quoque atque etiam nunc habemus in manu causam, ut arbitramur, multo maiorem ad concedendas adversus subditos Serenitatis vestrae eiusmodi pignerationes, et ut dicunt, repressalias; non solum quod vim vi repellere licet, sed etiam quod nostrae Prussiae atque omnes Anzeae Teutonicae civitates, negatum sibi esse per Serenitatem vestram propria auctoritate absque legitima cognitione usum privilegiorum suorum, quibus in ditionibus Serenitatis vestrae multis saeculis sunt usae, gravissime conqueruntur. Verum nos ea semper consilia, quae ad pacem sunt, prae iis quae paci et tranquillitati publicae sunt inimica, amplexi sumus; nec facile nos nunc etiam ab instituto nostro abduci patimur. Confidimus autem ipsam quoque Ser. V. bono publico permotam, et eiusmodi animi nostri moderatione excitatam, acerbitatem istius edicti sui adversus Gedanenses instigaturam esse, arrestoque relaxato, haeredes Martini cum actis et instrumentis suis ad forum competens esse relegaturam. Providebimus certe quidem pro officio nostro, ut ius suum sine mora in ditionibus nostris consequantur. Atque id sane et mutuae coniunctioni ac vicinitati nostrae aptius, et rationibus regnorum ac dominiorum nostrorum accommodatius, et personis utriusque nostrum dignius et legibus /

*F. 99* ac iuribus Christianis magis consentaneum esse iudicamus, quam si ad ea, quae ab his omnibus aliena sunt, per alterutrum nostrum decurratur. In quo ut se Ser.tas v.ra tot ac tantis causis per nos adductis accommodet, postulamus. Quam etiam bene valere cupimus. Datum Cnishini die XXVII mensis Aprilis Anno domini M D L XVIII$^{0}$ Regni nostri XXXIX$^{0}$

Sigismundus Augustus
Rex

*In dorso:* Ser.mae Principi, dominae Elizabethae, Dei gratia Angliae Franciae, Hiberniae Reginae, fidei defensatrici, sorori et consanguineae nostrae char.mae.

*Alia manu:* 27 April 1568. The K. of Pole to the Q. Ma.ty, towching the Com. granted to Wm. Martin for recovery of his dett.

*N. 59.*

*Gedani, 8 Novembris, 1568*

*Proconsules et consules Gedanenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*rogant, ut plena libertas mercaturam cum Anglia exercendi eis restituatur.*
*(orig. sigill.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 100* Serenissima Potentissimaque Regina ac Domina Domina Clementissima, R.li M.ti V. paratissima officia cum omnibus obsequendi atque gratificandi studiis, pro eo ac decet promptissime et reverenter deferimus.

Ser. Regina, uti nihil ardentioribus votis exoptavimus, quam ut R.lis M.tas V., Iusticiae et aequitatis amantissima, iustissime considerato eius litis statu, ob quam naves nostratium per Angliam sequestratae fuerunt, non tantum eas una cum mercibus liberaret, sed pristinam etiam nostris civibus et mercatoribus in Anglia commeandi negociandique facultatem restitueret; ita sane illud tandem evenisse ex literis M.tis R.lis V. tertio Octobris Windesoriae datis, et ad tertium Novembris diem nobis redditis, incredibili cum laeticia cupidissime cognovimus, Eoque magis nunc nobis satisfactum putamus, quo maiori desiderio responsum Ma.tis V.rae ad nostras decimo Martii datas literas hactenus expectavimus.

Quando vero M.ti V. R.li ita visum fuit, ut responsa Dominorum Consiliariorum postillationis more annotata, et ad nos per Aldermannum Anzae Teutonicae missa vicem epistolae obtineret, in eo quoque acquiescimus.

*F. 100 v* Neque diffitemur reddita nobis iampridem esse ea ipsa responsa, ad que si res ususque postularet, haberemus, quae optimo iure ad pleraque diluenda opponere possemus.

Sed quoniam Re.lis M.tas V. edictum ad Guilhelmi Martini importunam Instantiam promulgatum, Ser.mi Poloniae Regis Domini nostri Clementissimi respectu sic penitus aboleverit, ut dissoluto arresto, quo naves bonaque nostratium constricta tenebantur, Cives et mercatores nostros in florentissimo Angliae regno ea securitate morari et negociari velit, qua ante istius edicti promulgationem morati sunt, atque merces liberrime commutarunt; nos equidem illud relinquimus, et nunc tantum maximas Re.li M.ti V. agimus gratias, quod ex ingenita bonitate et conservandae per orbem Christianum tranquillitatis praeclara voluntate cuncta pristinae securitati atque libertati restituta esse voluerit. Eandem quantis possumus precibus orantes, ut non modo in eo erga hanc Civitatem affectu liberali planeque regio perseverare, sed etiam benigne concedere dignetur, Vt per Angliam nostris ea libertate, iure, privilegio, atque pacto vivere et mercaturam facere liceat, quo non tantum ante illud arrestationis edictum, Sed ante /

*F. 101* aliquot etiam secula ibidem morati atque sine impedimento aliquo negociati sunt. Nos vicissim naves, merces, bona, nomina denique omnia Anglicae gentis amicissimae, quae hic ad Civium nostrorum instantiam, nullo vindictae studio, detentae fuerant, non modo pro eo ac debemus, promptissime liberabimus, uti et reipsa iam relaxavimus, verum in id quoque omnibus viribus libenter incumbemus, ut quod persapienter nos monet R.lis M.tas V. quoque partium nostrarum necessitudinem arctiori vinculo coniungamus, potius quam dissuamus: non obscure intelligentes ut mutuam communicationem negociationis, tranquillitatem atque pacem publicam ea in re maximopere contineri. Iterum atque iterum R.li M.ti V. gratias agentes pro ista in hanc Civitatem suae propensionis Clementissimae significatione, quam nos paratissimis obsequiis per omnes occasiones demereri summo conatu enitemur, atque eandem R.lem M.tem V.ram salvam incolumem omnibusque fortunae et pacis tranquillae bonis accumulatissimam Deo Opt. Max. reverenter commendamus.

Datum Gedani die Octavo Mensis Novembris Anno Domini M D LXVIII

R.lis M.tis V.rae Paratissimi
Proconsules et Consules
Regiae Civitatis Gedanensis

*In dorso:* Serenissimae ac Potentissimae Principi ac Dominae Dominae Elizabethae, Angliae, Franciae et Hiberniae Reginae, fidei defensori etc, Dominae nostrae Clementissimae.

*N. 60.*

*Cracoviae, 21 Iunii, 1574*

*Senatus Regni Poloniae*
*ad imperatorem Maximilianum II*
*de Henrici regis e Polonia discessu.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 102* Literae Senatus Regni Poloniae ad Imperatorem Romanum.

Sacra Caesarea Maiestas Domine Clementissime. Faciendum putavimus, ut sacram Caesaream Maiestatem vestram, pro ratione vicinitatis et officii nostri, certiorem faceremus de iis, quae proxime praeteritis diebus apud nos acciderunt, Quanquam ea minime ignota sunt sacrae Caesareae Ma.ti vestrae. Quinimo certo scimus Serenissimum Regem nostrum Ditiones Sacrae Caesareae Ma.tis vestrae intrasse, non satis pro regia dignitate, a paucis dumtaxat comitatum. Qua ex re S.C. Ma.tas vestra facile intelligere potest, Serenissimum Regem nostrum praeter scitum et opinionem nostram e Regno Poloniae discessisse. Nam cum S.C. Ma.tas vestra non ignoret, qua fide et observantia nos Principes nostros prosequi soleamus, neque hinc Serenissimum Regem nostrum debito honore privaremus, si cum scitu et consilio nostro eam profectionem instituisset. Subsecuti enim sunt Officiales Regem, et insequendo Psesimum [a)] ultra oppidum Domini Prommetz Ditionis Ma.tis vestrae, processerunt, sed ab instituto suo nulla ratione se revocari passus est. Reliquit quidem sua Ma.tas apud nos literas, quibus nobis hoc Regnum commendat, et causas explicat, quamobrem nos celaverit de profectione sua, nimirum ut Serenissimam Matrem, Patriam et Regnum illud florentissimum ab interitu vindicaret. Sane ut primum de morte Christianissimi Regis Galliarum fama apud nos increbruit, et successionem ad Serenissimum Regem nostrum devolutam esse, Nec in eo quidem, quod illi naturaliter et haereditarie obtigit, Serenissimo Regi obesse nostro voluimus. Nam et de periculis omnibus, de salute et commodis Regni illius non minus quam de nobis ipsis cogitationem susceperamus, communicatisque consiliis de rebus omnibus statueramus providendum, adeo ut nullum Serenissimus /

*F. 102 v* Rex noster fidelium subditorum officium in nobis desideraret. Sed eius rei culpa haeret non tam penes excelsum et vere regalem ipsius animum, sed penes eos, qui eum privato consilio ad hoc factum impulerunt. Ex quibus omnibus S.C. M.tas vestra pro sua prudentia iudicare poterit,

discessum hunc Serenissimi Regis nostri his temporibus accidisse, quo maxime ab hostibus Christiani nominis ex minima occasione metuenda sit omnis periculi suspitio, in hoc Regno potissimum, quod est quasi pro aliquo praesidio Christianis provinciis collocatum. Quae quidem pluribus verbis S.C. Ma.ti vestrae scribimus, Primum ad removendam praetermissi officii erga Serenissimum Regem nostrum culpam, ne quis in nos in eo deliquisse arbitretur. Deinde vero, ut S.C. Ma.tem vestram ad eam foederum et pactorum communionem, quae Ma.ti vestrae cum Regno Poloniae intercedit, invitaremus, Rogantes, ut quemadmodum sancte et inviolate hactenus ea coluit, ita et nunc ea observare non desinat. Porro negotium hoc omne S.C. Ma.ti vestrae ita commendamus, ut nulli unquam magis commendare possimus. Nam ut nollemus invitum quemquam nobis imperare, ita non libenter videremus nos tales existimari, quia nesciamus officio nostro uti, et voluntates Principum moderari. Non deest nobis animus, pro dignitate et libertate nostra quaevis consilia habere. Sed Polonorum semper fuit, Reges et Principes suos colere, revereri, et honestis potius quam externis studiis et officiis eos prosequi. Quod reliquum est, nos studiaque nostra S.C. Ma.ti vestrae commendamus.

Datae Cracoviae die XXI Junii, Anno M D LXXIIII

Eiusdem Caes. Ma.tis Vestrae
Addictissimi servitores
Senatus Regni Poloniae Cracoviae Congregatus.

*In dorso:* 21 June 1574. Literae Senatus Poloniae ad Imperatorem de fuga in Galliam Regis Henrici.

a) *sic in ms.*

*N. 61.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad senatores et nobiles Poloniae*
*de suo consilio statim in Galliam clam proficiscendi.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II. *)*

*F. 104* Reverendissimis, Illustribus et Magnificis Dominis Senatoribus, Nobilibus et Generosis Equitibus Regni nostri Poloniae, et Magni Ducatus Lithuaniae Henricus dei gratia Poloniae Rex, Magnus Dux Lithuaniae etc.

*Sequitur textus eiusdem epistolae iam editae in vol. El. XI N. 143, p. 168-169, in quo parvae variationes habentur.*

*Lectio varia:*

*in El. XI p. 169 epistola subscripta est:* Henricus rex Franciae *in Ms.:* Henricus Rex manu propria.

*) *Eadem epistola iam edita in NOAILLES, III pp. 598-600 et FRANÇOIS, no. 959.*

## *N. 62.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad episcopum Cracoviensem [Franciscum Krasiński];*
*declarat se Regnum Poloniae et Franciae simul retinere velle.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.* *)

*F. 105* Reverendissimo in Christo Patri domino Episcopo Cracoviensi, Syncere nobis dilecto, Henricus Galliarum et Poloniae Rex etc.

Reverendissime Domine Syncere nobis dilecte. Pro mutatione rerum et temporum mutanda quoque esse consilia, Paternitas vestra non ignorat. Quod ipsum viri prudentes fecere semper, et nobis nunc quoque faciendum est necessario; constitueram quidem superioribus diebus, quemadmodum Paternitas vestra de me intellexit, apud vos manere, saltem donec Comitia indicta, coacta et peracta fuissent. Nunc vero cum ex literis Serenissimae Reginae Matris meae, quas hodie sub tempus coenae accepi, intelligam Regnum Galliae in eo statu esse, ut de toto illo amplissimo et nobilissimo Regno nostro plane actum sit, cogor mutare consilium, et in Franciam quam maximis potero itineribus nisi quamprimum incredibili celeritate illuc pervenero. Celare discessum meum aequum est, propter multas causas, quas Paternitas vestra cognoscet a nobili et generoso viro Domino Danzaeo, Consiliario nostro, cui ut fidem /

*F. 105 v* adhibeat, in omnibus rogo. Ego nihil magis cupio, quam utrumque Regnum retinere. Neque enim id novum est, neque legibus vestris obversatur, et erit Poloniae genti perhonorificum et tutissimum, eum habere regem, qui Gallis simul imperet. Verum de toto isto negotio, quod gravissimum est puto, quodque mihi magnopere curae est, ut debet esse, cum Paternitate vestra aget copiose ex animi mei sententia dictus Dominus Danzaeus. Puto me a vobis amari plurimum, quemadmodum quoque vicissim, nihil est certe quod vestri causa nolim. Novi ingenium tuum, novi fidem et integritatem, hoc tantum peto, et a prudentia tua, ingenio et dexteritate illud expecto, quo contendat et efficiat Paternitas vestra, ut Inclyti Senatus Poloniae, et alterius quoque ordinis studia, erga nos eadem maneant, quae hactenus fuere. Incumbe quaeso totis viribus in eam curam et sollicitudinem; nihil nobis gratius potest accidere. Faciam autem ut tu

nec immemorem amasse, nec ingratum Principem dilexisse videare. Bene valeat Paternitas vestra, Syncere nobis dilecta. Regnum nostrum Poloniae, et existimationem nostram vobis commendamus. Datae Cracoviae Die XVIII Junii, Anno M. D. LXXIIII, Sub noctem.

Henricus Rex manu propria

*) *Cfr. FRANÇOIS, no. 961.*

*N. 63.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad palatinum Cracoviensem [Ioannem Firlej] et alios;*
*rationes sui occulti et accelerati in Galliam discessus exponit et rogat, ut Senatus ei fidelis maneat.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II. *)*

*F. 105 v* Illustribus ac Magnificis Dominis, Domino Palatino Cracoviensi et Domino Eborontio [a] Marschalco, Syncere nobis dilectis, et Reverendo Domino Wolsky vicecancellario nostro, Henricus Dei gratia Galliarum et Poloniae Rex, Magnus Dux Lituaniae etc.

Magnifici Domini Syncere nobis dilecti, Cogimur nunc in Galliam proficisci, continuato dierum et noctium itinere. Nam ex literis Serenissimae Reginae Matris nostrae, quas hodie sub tempus coenae accepimus, intelleximus Regnum Galliae in eo statu esse, ut nisi /

*F. 106* incredibili celeritate pervenerimus, Regnum nostrum omnino pereat. Quo quidem nuntio valde commoti fuimus. Nec enim quicquam minus expectabamus, et motus Gallicos aut leves esse arbitrabamur, aut eiusmodi, qui me absente, autoritate Serenissimae Reginae matris nostre sedari possent: Sed postquam aliter esse video, nolo nunc ipse deesse. Itaque nunc in Galliam maxima celeritate proficiscor; Necessario id me facturum, homines prudentes qui Gallica norunt, statuent; Discessum meum celare operae pretium fuit, propter eas causas, quas magnificentiae vestrae a nobili et generoso viro domino Danzaeo, Consiliario nostro, intelligent. Ego vos, totamque familiam vestram amavi semper, et quantum animo licuit, libenter ornavi. A vobis nunc omnia benevolentiae et syncerae amicitiae officia expectans. Illud oro imprimis, ut autoritate vestra (quantum fieri poterit) et omni industria contendatis, ut Inclyti Senatus Studia eadem erga me absentem maneant, quae hactenus fuere. Verum de hac tota re,

aliisque gravissimis multis rebus, dictus Dominus Danzaeus meo nomine vobiscum aget copiose, Cui ut fidem habeatis, vehementer rogo.

Datae Cracoviae Die XVIII Junii Anno M. D. LXXIIII

Henricus Rex manu propria

*) *FRANÇOIS I, no. 962.*
a) Zborowski

*N. 64.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad Ioannem a Tęczyn, castellanum Wojnicensem;*
*excusat se de tacito et celeri in Galliam recessu.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II. *)*

*F. 106* Illustri ac magnifico Domino a Tienszin Castellano Woimensi, Succamerario nostro, Henricus Dei gratia Galliae et Poloniae Rex etc.

Illustris ac Magnifice D.ne, Syncere nobis Dilecte, Non sponte quidem, sed coacti et agente rerum omnium necessitate in Franciam nunc maxima celeritate proficiscimur. Ex literis enim Serenissimae Reginae matris nostrae (quas hodie sub tempus coenae /

*F. 106 v* accepimus) intelleximus in eo statu res Gallicas, ut nisi expeditis equis illuc advolavero, omnino de nostro illo Regno actum sit. Id quoque scriptum est ad me ab omnibus Galliae proceribus ac primariis viris. Quamobrem cunctandum mihi minime putavi, ne mihi ipsi in tanto momento defuisse videar. Discessum vero nostrum tacitum esse operae pretium fuit, propter incommoda itineris. Novit enim Sinceritas vestra ingenia Germanorum et quanto odio prosequantur Catholicos homines. Quid autem a Sinceritate vestra expetam et expectem, Nobilis et Generosus vir Danzaeus, Consiliarius meus, exponet vobis, cui ut fidem habeatis, vehementer rogo. Hoc unum tantum addam hac posteriore Epistolae parte, Te eum esse, quem ego summopere amavi, quem plurimi feci, et cuius vicissim amicitiam et benevolentiam erga me sempiternam esse cupio. Bene valeat illustris Synceritas tua. Datae Cracoviae Die XVIII Junii Anno M D LXXIIII

Henricus manu propria

*) *FRANÇOIS, I, no. 966.*

*N. 65.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad Nicolaum Christophorum Radziwiłł*
*de eadem re.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.* *)

*F. 106 v* Illustri et Magnifico D.no Radsiviell, Duci in Olica, Marschalco Curiae Lituaniae et Syncere nobis Dilecto, Henricus Galliarum et Poloniae Rex etc.

Illustris ac Magnifice D.ne Syncere nobis dilecte, Hoc ad te scribens, necessario iter in Galliam ingredi cogor. Intellexi enim ex literis Serenissimae Reginae Matris meae ad me scriptis, in eo statu esse res Gallicas, ut nisi intra quindecim dies ad fines Franciae appulero, actum penitus esse videatur de toto illo Regno. Id quoque scripserunt ad nos omnes Proceres /

*F. 107* et primarii viri Galliae, fidem meam implorantes. Quamobrem cunctandum et procrastinandum minime putavi, sed dicessum meum dissimulandum putavi, ut securius transirem per Germaniam. Novi enim ingenia Germanorum, et quanto odio Catholicos prosequantur. Quid vero nunc a Sinceritate vestra expectem et expetam, Nobilis et Generosus vir Dominus Danzaeus, Consiliarius noster, exponet meo nomine copiose, qui has literas Sinceritati vestrae tradet, cui ut fidem adhibeat omnino cupio. Bene valeat Synceritas vestra, et me, uti hactenus fecit, diligat.

Datae Cracoviae die XVIII Junii M D LXXIIII

Henricus Rex manu propria.

*In dorso:* 18 June 1574. Literae Henrici Regis Poloniae profugi in Galliam ad Senatores aliquosque Poloniae proceres.

*) *FRANÇOIS, I, no. 964.*

*N. 66.*

*Cracoviae, 29 Maii, 1576*

*Stephanus rex Poloniae*
*ad Henricum Galliarum regem;*
*de acceptato regno Poloniae nuntiat.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 108* Serenissimo Principi D.no Henrico Galliarum Regi, Christianissimo fratri et amico nostro charissimo ac honorandissimo Stephanus eadem gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Rusciae, Prusciae,

Moscoviae [a], Samogitiae, Livoniae etc Dominus, necnon Transylvaniae Princeps, Salutem et omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime Princeps Domine frater et amice noster charissime ac honorandissime. Cum ad nos proxime superioribus temporibus maximis Ordinum studiis deferretur Regnum hoc Poloniae, equidem cum multa alia nobis in mentem venirent, quae in hoc genere necesse est venire ei qui tanti Regni administrationem in se est suscepturus, tum illud sane in primis occurrebat eas fuisse tum temporis rationes, et ita ex omni parte institutas, tum Regni huius, tum ipsius quoque Serenitatis vestrae, ut gubernacula huius imperii diutius a Serenitate vestra teneri nequaquam posse viderentur. Cum igitur de Successore Serenitatis vestrae creando iam ageretur, illud profecto futurum mente et cogitatione nostra iam tum providebamus, nisi nos munus delatum suscepissemus, magnam plane omnium rerum perturbacionem, in hoc ipso Poloniae regno excitatam, etiam ad plerasque alias Christianorum provincias fuisse perventuram, ita sane ut ne ipsius quidem Serenitatis vestrae rationes apertissimis incommodis vacare posse viderentur. Quamobrem quae ad nos huius Regni gubernacula deferebantur, ea in Dei nomine prehendenda esse existimavimus, hoc etiam libentius, quod cum huc atque illuc in omnes partes oculos mentis nostrae circumferremus, non facile alium quemquam inveniebamus, qui Serenitatis vestrae nomini, laudi, gloriae amicior, mutuaeque cum Serenitate vestra benevolentiae, vel veteris illius iam tum in Transylvanico nostro Dominatu constitutae, tuendae ac retinendae, vel recentis etiam istius modis /

*F. 108 v* omnibus augendae ac confirmandae studiosior nobis ipsis esse videatur. Quem quidem nostrum praeclarum erga Serenitatem vestram animum cum non dubitemus Serenitati vestrae hoc etiam tempore fore gratissimum, illud praeterea significandum ipsi esse duximus. Nos qui minime ignoremus nomen Regni Gallicorum cum universo orbi Christiano, tum huic potissimum Regno Poloniae, cui nos hoc tempore Deus praeesse voluit, semper fuisse charissimum et iucundissimum, daturos esse omnem operam pro virili parte nostra, ut eius vinculum amicitiae, vel a multis seculis inter nostros et Serenitatis vestrae antecessores optima fide cultae ac firmatae, vel nuper adeo inter nos ipsos cum Serenitate vestra in Transylvanico nostro Dominatu non minima ex parte inchoatae, etiam deinceps quoad nos Deus vivere voluerit, omni mutuorum consiliorum communicatione, eorumque de communi utriusque nostrum sententia explicatione, et breviter omni studiorum ac officiorum fraternorum genere, quam maxime retentum ac conservatum esse videatur pro bono et commodo totius Christianitatis.

Caeterum Serenitatem vestram ignorare noluimus, nos cum huc venissemus, ac de Serenitatis vestrae supellectili hic relicta audissemus, comperisse illam ex omni parte integram prorsus esse, verum creditorum quoque numerum non deesse, inter quos est praecipue Magnificus Joannes Costea [b] de Stemberg, Palatinus Sendomiriensis, et alii. Constituet igitur Serenitas vestra quid de ea fieri velit, secundum ea quae ex Generoso Johanne Droionoski secretario plenius cognoscet. Bene valere Serenitatem vestram cupimus.

Datum Cracoviae die XXIX Maii Anno Domini M D LXXVI, Regni nostri Anno primo subsignatum

Bonus frater Stephanus Rex.

*In dorso:* 29 May 1576. Literae Stephani Regis Poloniae ad Henricum nuper Regem Poloniae.

a) *rectius* Masoviae.
b) Kostka.

*N. 67.*

*S.l., s.d.*

*Ignotus*
*ad rei memoriam*
*de candidatis ad coronam Poloniae post obitum Sigismundi Augusti.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 110* Sigismundo Augusto Rege defuncto Interregnum huc usque protrahitur, idque tantummodo effectum, ut singuli regnicolae mutuum inter se foedus sanxerint. Foederis hae conditiones latae, ut quilibet violentus legum violator, perduellionis damnandus, honore, opibus, vitaque privandus. Simili poena is, quicumque absque omnium ordinum regni consensu regem aliquem esse voluerit, afficiendus sit. Religionis causa ullas dissensiones, aut seditiones ullas concitare ausit. Omnes ordines propellendis singulis hostium impetibus in armis paratissimi sint. Mercenariorum praeterea militum XX milia conscribantur. Ad quae quidem praestanda mutuo sese iureiurando omnes obstrinxerunt.

Electiones regis quintam Aprilis diem dixerunt. Campum patentem trans Vistulam iuxta Pragam, Podlasiae pagum e regione Varsiniae situm, celebrandis comitiis assignaverunt. De futuro Rege admodum variant sententiae. Quidam enim e medio Nobilium aliquem inaugurari cupiunt, honestissimum esse ducentes priscos Polonos hac in re imitari, et eum qui et amantissimus et tenacissimus morum legumque patriarum sit futurus, Regem habere; alii Moschum, caeteri Sueciae Regem, nonnulli Henricum Andegavensem, reliqui Ernestum Caesaris filium esse volunt. At nulli horum et oratores, et fautores desunt. Caesar quidem, qui regnum hoc omnium cupidissime ambit, eo nititur consilio: singulos proceres tacite prehendit, et ad suas inclinat partes, tantum beneficium eis eorumque posteritati largissime compensari promittit, ita ut quamdiu familiae eorum superstites sint futurae, tamdiu tantum praerogativae supra reliquos nobiles /

*F. 110 v* quantum in Germania Barones vel Comites sint habiturae. Itaque procerum quidem animos devinxit. Verum nobilium mentem grandi odio affecit. Affinitatem cum Jagellonia domo familiae suae, splendorem Silesiae superioris, cum regno copulationem, dotis debitae remissionem, incredibilem suam humanitatem praedicat. Utitur consilii ministris, plurimis legatis suis et horum quibuslibet seorsim missis. Regis item Hispani, Papae atque nonnullorum Germaniae principum Oratores pro Caesare supplicaturi expectantur.

Galliae Regis Oratores Henricum fratrem regium supra omnia aethera extollunt. Haec adjiciunt, omnibus eum virtutibus ad miraculum ornatum tribus proeliis foelicissime confectis triumphasse: vigesies centena millia coronatorum Reipublicae Polonae donaturum, quotannis vero trecenta

millia ex Andegavensi ducatu illaturum; centum nobiles Polonos regio sumptu Parisiis studiorum gratia aliturum; quatuor millia Gasconum propriis impensis commodi Reipublicae servaturum.

Mosco duci ademptas Lituaniae regiones suis item impensis excepturum, cum Turca aeternam pacem, Valachiam Polonis obtenturum, a muneribus Tataricis Polonos immunes redditurum, marinam pacem confecturum. Pro Gallo suffragaturus Turcarum Imperator existimatur. Moscorum Dux imperium suum septingentis miliaribus longum Poloniae se coniuncturum /

*F. 111* abreptum Lituaniae, Novogrodum, Severiam, Smolenscum, Poloscum, amplissimas provincias Livoniaeque plurimas arces redditurum, iura omnia sancte se servaturum: eiusdem cultus, velut gentis et linguae Slavonicae nimirum cum Polonis se futurum: formidinem toti orbi coniunctis viribus illaturum promittit. Poloniae linguae gnarum, acrem et foelicem belli ducem esse affirmant *):

eumdem Evangelicae, uxorem Papisticae religionis esse praedicant: praeterea eandem uxorem Jagelloniam esse: eidem quadrigenta millia aureorum nummum debita et ab ea summa quadraginta millia aureorum quotannis pendi, nuper mortuo regi a rege Hispano solita iure successionis attinere. Ad eandem successiones multas in Masovia Volignia Lituania et Podlasia a defuncto rege comparata spectare, et has Polonis donaturam reginam: posteros habere Sigismundum egregiae indolis puerum et filiam unam, ita ut rege mortuo /

*F. 111 v* dissidium de novo non sit metuendum. Insuper Sueciae Regni gubernacula Regem Carolo fratri fortissimo duci iis legibus mandaturum, ut Annam puellam Sigismundi Augusti ducat, Regis Poloni subditus et Vasallus, veluti Prussiae et Pomeraniae princeps existat, annuatim regno Polono octingenta millia florenorum numeret, omnes Polonorum hostes communes habeat, maris navigationem pacatam reddat, eum et ingenti classe et maximo tormentorum apparatu abundet, denique dotem debitam centum millia aureorum nummum et alia etiam centum commodata Reipublicae donaturum, Livoniae arces occupatas regno addicturum.

Horum omnium competitorum minimas partes Caesar, Gallus aliquantas obtinet, Suecus magnas, Moscus maximas habent, ita ut alter horum cum summo sit Polonorum commodo rex affuturus.

*) *Hic in ms. omissum nomen Ioannis III regis Sueciae.*

*N. 68.*

*Stobniciae, 10 Iunii, 1573*

*Petrus Zborowski palatinus Sendomiriensis ignoto Gallo Conradum Preslausky commendat.*

*(orig.)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 112* Magnifice Domine. Mittimus in Gallias nostro et aliorum huius Regni Primorum qui sunt Reformatae Religionis nomine ad Christianissimum Gallorum et Serenissimum dilectum nostrum Regem praesentium

exhibitorem Generosissimum Conradum Preslausky Reg. Polon. secretarium, familiarem nostrum; qui quidquid nomine nostro Mag. V.rae referet, ut illi in omnibus indubitatam fidem adhibeat, atque pro sua benevolentia in pia causa illi consilio et auxilio suo adsit diligenter rogamus, non dubitantes quin ea in re Mag. V.ra gratum factura sis.

Ser. ac piissimae Reginae Dominae nostrae nos quidem cum nostris, tum omnes pii, plurimum Mag. vestrae debebimus, cui nos nostraque studia diligenter commendamus.

Datae Stobniciae 10 Junii 1573

Mag. V.rae Addictissimi amici
Petrus a Zboroff, Palatinus Sendomiriensis

*N. 69.*

*Gedani, s.d.* [*Oct.-Nov. 1576*]

*Proconsules et consules Gedanenses*
*ad senatores Poloniae Torunii pro Comitiis congregatos;*
*conqueruntur de iurium suorum limitatione, aliisque praeiudiciis; de fidelitate erga regem Poloniae testantur; rogant ut senatores coram rege intercedant.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 113* Reverendissimi, Illustres, magnifici, nobiles et generosi domini domini gratiosissimi, gratiosi et amici plurimum honorandi; Reverendissimis, Illustribus, Magnificis et Generosis Dominis dominis obsequiorum nostrorum studia paratissimis animis perquam reverenter officiosissimis deferimus.

Cum rerum omnium, que superioribus annis unquam huic Civitati acciderunt, adverse nobiscum recordamur, inde ab eo tempore, quo primum maiores nostri ad inclitum Poloniae regnum accesserunt, nullus certe quam nunc est tristior fuit status nec huic Universe civitati periculosior, eo magis quod cum summa Regie Ma.tis (in cuius regiminis auspicio iurium et libertatum conservationem repositam sperabamus) offensione, de iisdem nunc regnum periclitari. Quanquam enim et iusiurandum et subiectionis fidem salvis iuribus et privilegiis abunde contestati sumus, tamen adeo festinanter, dubio procul eorum, qui nobis minus consultum voluerunt impulsu, contra nos processum est, ut contumacie primum decreto proscripti, mox devastationibus agrorum afflicti, tandem etiam ultimo Regie Ma.tis responso pene pro hostibus habiti simus. In eo nimirum omnes actiones nostras non solum ad fastum, contumaciam et temeritatem, sed etiam ad rebellionem et periurii consilia (ad quorum mentionem, uti omnes cogitationes nostre plurimum abhorrent, ita semper a nobis abfuerunt ea longissime) detorqueri videmus quicquid tandem quibuscumque verbis, sincero animo, humillimoque subiectionis studio cogitatum dicimus, scribimus, vel supplicamus. Quod eo maiori cum nostrorum omnium dolore coniunctum est, quod nec ad ipsam regiam Ma.tem liberum habemus aditum, nec intermedium quempiam, qui partes etiam nostras iustis rationibus

tueretur. Proinde cum non modo de libertatibus, vita et fortunis nostris, sed etiam de universe Prussiae tranquillitate agatur, facere non potuimus quin rerum nostrarum rationes Reverendissimis, Illustribus et Magnificis Dominationibus vestris prolixius aliquanto hisce literis perscriberemus, tum ut omnium que nobiscum acta sunt noticiam haberent, tum etiam ut regie Ma.tis animum gravi nostro cum dolore a nobis alienatum pro officio senatorio proque virili sua iis consiliis emollire vel mitigare possent. Que ad civitatis huius incolumitatem maxime pertinent, et cum publica terrarum Prussiae tranquillitate sunt coniuncta, ad quam utramque rem nos ab initio omnia consilia nostra retulisse Deum et conscientias testes habemus. Quo primum enim tempore Serenissima Regia Ma.tas in Prussiam contendit, illud nobis unacum ceteris terrarum consiliariis maximis curae fuit, ut in acceptando novo rege iuribus, privilegiis et libertatibus terrarum publica [a], tum etiam singulorum statuum quam optime prospiceretur. Quam ad rem, quoniam in iuramento fortunarum constanter perstiterit, ipsi temporum annales abunde contestantur. Quamobrem si Serenissimi Reges civitatem hanc pluribus forte quam alias, libertatibus, prerogativis ac immunitatibus donarunt ac condecorarunt, patet ex iisdem, egregia civitatis merita, et operas fideliter prestitas hanc regiam munificentiam et liberalitatem non immerito provocasse. Quod et literis et diplomatibus divi Casimiri et Successorum eius, si necessarium sit, liquido potest /

*F. 113 v* ostendi. Compertum est profecto superioribus annis quibus homines meminerint, cum suo iure Prussie status et civitates viverent, et a presentibus gravaminibus immunes essent, ipsorum iam incolarum regni fortunas, bona cum pace sinceris commerciis simul crevisse; quam primum vero tot difficultatibus obvii ceperunt Polonie simul ac Prussiae conditionem paulatim evasisse deteriorem. In hanc ferme sententiam Dominis consiliariis respondere volebamus, non in contemptum, sed debita cum venerationis observantia, nisi publice fidei locis allatis res omnes ad internuncios iam iam emittendos devenisset.

Que deinde subsecuta sunt in Insula minori, militibus nostris cesis aut profligatis, nemini certe nobis dari non possunt, quantumvis ea calamitas ad nos redierit. Nec enim ideo collocati milites erant in civitatis possessionibus ut Regie Ma.ti se opponerent, quem eo venturum minime speravimus, sed ut Colonis inermibus contra depredantium iniurias essent subsidio, neque fortasse loco moturi se fuerant (quid enim tot milia pauci lacesserent) nisi ab irruptionibus eius cladis factum fuisset initium. Etenim hoc ipsum eius loci possessionibus eo magis timendum erat, quod iam antea pagus noster Prussensis unacum aliis, ubi nullus erat miles, in ipso pene Civitatis conspectu, nocturnam depredationem passus fuerat, quantumvis domini Consiliarii scriberent isthec inscia Regia Ma.te fuisse perpetrata. Caeterum cum Regia M.tas Grebum usque processisset, internuncios habita securitate missos hiis de causis potissimum agere iussimus, ut ceteris que mandata fuerant initio decenter expositis, contumacie decretum adversus civitatem precipiti iuris ordine promulgatum aboleret. Vt quando quidem a Regia Ma.te peculiare toti provinciae Prussiae iuramentum impetrari non posset, saltem publico diplomate nobis caveret iuramentum Cracovie constitutum iuribus, privilegiis et libertatibus civitatis non derogaturum, ut confirmato privilegiorum exemplo Divi Sigismundi conscriberetur. Reliquum saltem erat, ut gravaminum abolendorum equa haberetur ratio. Voluissent quidem Civitatis ordines atque id maxime se decere non ignorabant, ut per internuncios suos hiis de rebus agerent, ac

siquidem fidei posset simul et semel cum Regie Ma.tis equissima benignitate et civitatis universe commodo super iisdem plane convenirent. Verum cum huiusmodi res difficillime nec tam angusto temporis spatio confici possent, nec ordinibus integrum esset internunciis quibusdam alio mittendis rei summam committere, nec omnino nisi presentibus ordinibus possent expediri, Serenissime Regie Ma.tis benignissime subiecimus arbitrio. Nunc ex consiliariis suis quosdam non suspectos pacis et Rempublicam amantes deligere vellet, qui nobiscum pacate ac sufficienter de rebus omnibus tractarent et finem rerum aliquem commodissimum spicerent. Sperabant ordines si benignius et pacatius aliquantulum ageretur, non difficulter quibusdam remediis et ad Regie M.tis dignitatem et civitatis huius incolumitatem omnia posse expediri. Verum adversus hec, que summum humilitatis studium pre se ferrent, eiusmodi nobis propositae sunt conditiones, que cum summa, non solum difficultate, sed etiam iurium, privilegiorum, libertatum preiudicio, vite fortunarumque non levi periculo, communiter videbantur: nimirum ordines militem dimitterent; iuramentum praestarent, extraneos non iuratos urbe pellerent, ad Regni comitia venirent, et supplices veniam deprecarentur; hoc pacto fore ut confirmatio /

*F. 114* privilegiorum daretur, decretum suis modis sublevaretur, gravamina que iniusta videbantur tollerentur. Has conditiones quominus ordines recipere possent, scripto rationes suas adiunxerunt, quas plane malam in partem acceptas ipsum responsum, quo de agimus, manifestius ostendit. Militis enim conscribendi non ea fuit ordinum intentio, quod quempiam offendere vel iniuriis afficere, nedum rebellionis specie affectare vellent, sed quod civitatem in hoc periculosissimo statu rerum ab hostili invasione defendere cuperent, quod et antea factum, et serenissimis Regibus approbatum est, non ad evertendum in Urbe ius regni, sed civitatem Regi conservandam. Non solum autem iam antea varii de bellicis apparatibus passim sparsi sunt [rumores], sed ab aliis etiam, a quibus minime debuit; non horrende solum communicationes de cedibus variis et devastationibus adversus civitatem edite, verumetiam paulo post armata manu publice privateque possessiones direpte; non obscurum est quam atrocia multi misere etiam civitati et incolis minarentur. Qua in re vim et iniuriam a corpore suo, ab uxoribus, liberis et fortunis impune propulsare non solum omnes leges ac mores omnium populorum permittunt, sed naturalis etiam ratio brutis animantibus prescribit. Enimvero si vis metuenda non esset, si more maiorum ageretur, res omnes benignius aliquanto, quam nunc apparet, tractarentur; ad militis etiam nostri dimissionem facilius iampridem potuisset deveniri.

Ad iuramentum prestandum quod attinet, nihil aliud nunc etiam dicere possumus, quam quod sepe dictum est: nos illud nunquam recusasse, neque nunc recusare, modo vicissim nobis de iurium et libertatum indemnitate prospiciatur. Ac quidem maiores nostri, uti bonos viros et fideles subditos decet, in prestando, quod regibus suis deberent, iureiurando nihil unquam equi recusaverunt. Ita nunc etiam civitatis huius ordines a maioribus suis minime degeneres, haud certe quicquam alienum a fide vel officio suo committere, vel in se merito vellent desiderare. Tantum abest, ut ullam hac in parte periurii notam agnoscant, in qua obtundenda summam sibi iniuriam fieri certo sciunt.

Quod ad extraneos non iuratos attinet, ut eos urbe pellamus: non id nunc dicimus quante sit equitatis, sed quante difficultatis, atque adeo quam impossibile antea fuerit in superioris Commissionis negocio, non nos solum

satis expediti sumus, sed ipsi quoque Domini Commissarii luculenter testabuntur. Non incognitum est tam mercatores quam opifices manuarios libertatem plerumque sectari, Civitates ubi libere suis legibus ac moribus vivant frequentare, ceteras ubi quovis gravamine premantur deserere solere. Quod hic etiam in negocio commissionis usu venit, cum ab opificum saltem servis (nihil enim aliud constituciones divi Sigismundi, seditionis tempore, sanciverunt) iusiurandum exigebatur, ut non solum singuli Magistrorum operas relinquerent, sed agminatim etiam ex civitate, non sine publice tranquillitatis periculo, discedere properarent. Quapropter, cum hoc iam antea tam periculosum quam impossibile factu inventum fuerit, neque sane videmus peregrinos eos Regiam dignitatem proscindere vel etiam res novas moliri posse. Nunc etiam verentur /

*F. 114 v* Ordines ne inusitato isto exigendi sacramenti genere cum iis, quorum operibus et commerciis civitas minime carere potest, maior aliqua difficultas excitetur. Quin hoc pacto non solum abigentur a civitate, sed etiam alibi nostrates eodem exemplo simili onere gravabuntur.

Privilegiorum confirmationem nullus unquam dominorum Regum antecessorum denegavit, etenim illorum extant diplomata. Quinimmo divi Sigismundi privilegium non obscure videtur innuere Serenissimos Reges pro debito suo privilegiorum harum terrarum confirmationem prestasse voluisse. Proinde cum per se nihil iuris addat confirmatio, causam non videmus cur ea nunc denegetur.

Ut autem supplices cum existimationis infamia veniam deprecemur, nullius facinoris nobis conscii sumus, cuius hoc pacto nosmetipsos reos profiteamur. Qui enim iura et libertates nostras salvas cupimus, in eo nec regium spernimus imperium, nec eius Ma.tem ledimus. Quinimmo nunc et Regie M.ti supplicamus, ut si quam sinistram de nobis concepit suspicionem, eam ex animo clementissime amoveat, et ea que in Civitatis detrimentum acta sunt, imprimis autem contumacie decretum illud, quod cum summa nostrorum omnium infamia coniunctum est, abolere dignetur. Nam quomodo iuramentum prestabimus fidelitatis, qui tam horrende proscriptionis stylo ab omnibus regni membris videamur dissociati? Gravamina vero, que nobis incumbunt, tanta sunt ut suo loco spaciatim recenseri possunt, ut nisi equior quam hactenus illorum ratio habeatur, Ordines nihil omnino presidii vel in ipsis privilegiis vel in illorum confirmatione sibi relicturum esse vident. Maiores nostri, qui Civitatem hanc condiderant, libertates suo sanguine comparatas per manus nobis tradiderunt, nos quod posteris etiam intactas conservare studemus nemo certe merito reprehendere potest. Quinimmo si neglexerimus easdem, si vitam vel fortunas illis cariores habuerimus, summe nobis apud posteros infamie loco sit futurum. Nullus hic est Regie M.tis contemptus, nulla dignitatis Regalis imminutio, nullum rebellionis argumentum. Id demum in votis solum habemus, ut salvis et illesis iuribus ac libertatibus sub protectione, authoritate et dominio serenissime Regie M.tis eque ut cetera Regni membra tuto pacificeque degere possimus. Ex quo omnibus, qui equi sunt iudicii, manifeste constabit quo iure in nos illud dici possit, nos repudiato Regie M.tis imperio, Regno quoque extremum velut valedicere et nihil cum illo commune habere velle, eo quod dicimus negocia terrarum Prussie cum Prussie consiliariis esse tractanda. Nimirum expressa privilegii verba sunt, et ut opinamur, precipuum privilegii caput est: ut omnes cause notabiles terras Prussie concernentes, cum consilio consiliariorum earumdem tractentur, definiantur ac determinentur. Hoc privilegium cum maiores nostri

regno Poloniae conglutinati fuerint, qua ratione — cum illo nos etiam utimur — ad successionis argumentum trahi poterit? Ceterum, quanquam civitatis Ordines petitiones suas summa censuerunt equitate niti, tamen cum animadvertendum Serenissimam Regiam Ma.tem ab omnibus tractationibus prorsus alienam esse prius quam iuramentum prestitissemus, mediam quandam viam tentare voluerunt, qua sine M.tis eius offensione et absque iurium nostrorum detrimento de reipsa conveniretur. Quod hoc maxime modo fieri posse existimabamus, si consentire dignaretur regia Ma.tas ut literarum exempla, quibus declaracionem iuramenti Regii nec non formam confirmationis privilegiorum et abolitionis /

*F. 115* gravaminum edere vellet, ordinibus exhiberentur. Quibus si verbo regio idonee sibi tantum viderent Cracovie prestito, terrarum Prussie mentio facta non esse necessarium videbatur, ut regia M.tas iisdem eque ut Polonis et Lituanis peculiari iureiurando caveret. Nam et hoc a maioribus accepimus, ut Serenissimi Reges cum imperium caperent, pro subditorum incolumitate non solum priori loco iusiurandum darent, sed etiam de cuiusque iuribus, privilegiis, et libertatibus cognoscerent, et si quid in illorum fraudem vel detrimentum fuisset admissum corrigerent, et emendarent, priusquam ordines Prussie terrarum ad fidelitatis iuramentum adigerentur. Ceterum dum hiis de rebus, que ad omnium et singulorum indemnitatem spectabant, aliquoties publice tractatur, cum pro virili patriae ac nobis omnibus, quam optime consultum esse capimus, preter expectationem eiusmodi obiecta sunt impedimenta, ut nec tuto nec expedite satis publicis deliberationibus interesse potuerimus. Interim nobis absentibus cum Regia Ma.te Torunii de rebus Pruthenicis actum audivimus, ita quidem festinanter, ut nunc etiam, ignoramus an harum terrarum iuribus et libertatibus idonee sit propositum. Misit postea Regia Ma.tas huc legatos suos, Reverendissimum Dominum Episcopum Culmensem et Magnificum dominum Palatinum Brestensem, qui fidelitatis iuramentum a nobis simpliciter exigerent, cum ea comminatione, nisi caremus illud pro iis nos habitum iri, qui Regis ac Regni Ma.tem sperneremus, ac futurum ut alie necessarie rationes tuende Regalis causa dignitatis inirentur. Ex quibus non obscure prospeximus iam tum nos in eam suspitionem adductos, quasi consensui publico soli contravenire vel etiam a Polonie Regno seiungere nos vellemus. Equidem ad eam legationem ita respondimus, ut equissimas rationes nostras apud quoscunque homines locum habituras omnino confideremus. Etenim diserte professi sumus, nos ne latum quidem unguem a maiorum vestigiis declinaturos, nec ab ea unione, qua ipsi inclito Polonie Regno fuissent incorporati, salvis iuribus nostris, unquam esse secessuros. Neque vero subiectionis fidem et iuramentum detrectavimus, modo nobiscum vicissim de iurium ac libertatum indemnitate more maiorum caveretur. At cum plurima gravamina partim iuribus, libertatibus, privilegiis et perpetuis consuetudinibus ex diametro contraria, partim aliis modis iniquis admodum infesta Civitati incumberent, diligentissimis verbis obsecravimus, ut illorum abolendorum prius eque rationes inirentur, quam iuramenti vinculo nos obstringeremus, idque eo magis, quod isthec gravamina ad frequentissimas partes nostras hactenus ne minime quidem ad meliorem conditionem reducta, sed insuper etiam de die in diem, quo diutius eo gravius accumulata fuissent. Hoc responsum nostrum ipsi domini Legati prememorati nec acceptare nec ad ipsam Regiam Ma.tem referre, ne dum aliquid propius ad rem de civitatis rationibus cognoscere vellent; necessario visum nobis fuit, ut eius scriptum exemplar ad ipsam

Regiam Ma.tem seorsim transmitteremus. Illud autem, quod in ea legatione magnifici Domini Palatini familiares viri nobiles violati dicuntur, nemo est qui nobis imputare merito possit, cum satis constet ipsosmet /

*F. 115 v* sponte sua causam eius rei prebuisse. Verum hiis ita stantibus et responso nostro vixdum ad Regiam Ma.tem perlato, paulo post citationis litere quedam inter Ordines sparse sunt, quibus omnes de lese Ma.tis et rebellionis criminibus gravissimis, cum summa nostrorum omnium infamia, durissimis sane verbis in quintum inde diem evocabamur, haud sane usitato iuris ordine, nec ex publicarum nostrarum Prussie constitutionum prescripto, non ad tuendam innocentiam nostram in tam atro crimine, sed solum ad audiendum et videndum nos in penam publicam irrogati criminis declarari. Quasi iam hoc iuris in nos statutum sit, ut ad cuiusvis delationem, non auditi, nedum convicti, rationibus omnibus reiectis ad supplicium deposcamur. Cuius quidem citationis iam horrendi criminis ignominiam nobis omnibus et iam festinati processus exemplum antehac non meminimus, et, ut nunc res sunt, longe fortassis atrociora, postquam iurati fuerimus, vereri cogimur. Conquesti sumus ea de re literis tam ad Regiam Ma.tem quam dominos Consiliarios scriptis, et prorogatus quidem in biduum terminus. Verum ea fuit temporis angustia, et omnium festinantia rerum, ut vix etiam rebus hisce necessaria cogitare, nedum expedire potuerimus.

Interim dum hiis ultro citroque agitur, dum de rationibus Civitatis tractatur, dum rerum componendarum finem querimus aliquem, pagi Civitatis partim publici partim Civium privati, non ante sententiam intentati criminis, modo verum in ipso comparitionis etiam termino hostilibus irruptionibus vastati, Colonorum fortune direpte, prede abacte sunt. Consecutum inde contumacie decretum nescimus quale, absentibus harum certe Consiliariis terrarum, quibuscum ex privilegio publico tam notabilis causa tractanda fuisset. Mox etiam illatis armis Insula minor et in ea site possessiones capte, direpte et devastate, tandem ipsa quoque Regia Ma.tas cum omnibus copiis Grebum usque processit. Quid interdum calamitatis et Civitati et vicinorum agris ac possessionibus illatum sit, que cedes, que rapine perpetrate, quam hostiliter commercia et commeatus impediti, singula nolumus hic connumerare, nisi quod in universum eius sunt generis, ut ad extremam Civitatis huius perniciem palam comparata videantur. Que tamen omnia non tam ex voluntate vel proposito Regie Ma.tis proficisci credimus, in cuius Regia clementia libertatum ac privilegiorum nostrorum accessionem potius nobis repositam speramus, quam ut imminutionem eorumdem ab ipsa timendam existimemus, sed quorumdam saltem impulsu fieri, qui iamdudum hanc Civitatem variis modis appugnarunt, et nunc etiam pugnare non desistunt. Quo minus vitio nobis recte verti potuit, quod ad conatus illorum avertendos maiorem aliquam Civitati rebusque nostris cautionem adhiberemus. Scripserunt quidem ad omnes Civitatis ordines domini Consiliarii, sed quia sine omnium quorum interest consensu in ea temporis angustia prolixius ad omnia capita responderi tum non poterat, uti Serenissimorum Regum prescripto plures ad huius Civitatis consilia necessario variandi sunt, ideo longius aliquod tempus ad rerum illarum deliberationem necessario /

*F. 116* sumendum erat. Que nimirum hiis literis agi videbantur, unum, ut rationes nostras, quibus hactenus impediti iusiurandum Serenissime Regie M.ti prestare non potuerimus, refutarent; alterum, ut officii nostri nos deinceps admonerent. Enimvero rationes nostre sunt eiusmodi, ut

liquido nobis conscii simus equum nos petere, et illud ipsam Regiam M.tem, si Civitati clementium annuere dignaretur, minime prorsus improbaturam humillime confidamus. Quam enim iniquitatem habet, quod petivimus, ut Regia M.tas non nobis seorsim, non huic unice Civitati, sed universis Prussie statibus peculiari iureiurando caveat, dum illud etiam serenissimi predecessores fecerint, vel certe Prussie terras in iureiurando suo solemniter dato nominatim expresserint. Quorum neutrum nunc ita factum videmus, ut terris Prussie more maiorum aut peculiari iuramento aut expresso Prussie nomine in generali iureiurando, quod regno datum est, propositum existimemus.

Opponitur nobis iusiurandi Regii declaracio Torunii facta, de qua nihil nunc aliud dicimus, quam ne clausulam quidem illam (salvis iuribus et privilegiis Terrarum Prussie, quam inter declarandum diserte Regia Ma.tas addidit), in ea, uti nunc scripta est, contineri. Proinde quod Cracovie iuratum est in ea iura et privilegia, que iuribus utriusque gentis Polonie et Lituanie non sunt contraria, nondum etiam nunc assequimur, quo pacto ad nos vel Prussie terras pertinere possit, tum illa nostris plurimum in nonnullis articulis adversentur. Neque sane intelligimus, quo sensu inter ius publicum et privatum, inter Lituanos et Prutenos hoc in loco distinguatur. Habet enim Prussia ius suum publicum, ut de privato nunc taceamus, suam in communi Regni corpore Rempublicam, suos Senatores, dignitarios, Ordines, Status, titulum, sigillum, limites eque ut cetere provincie. Neque equum est singularum provinciarum iura legesque contra veteris sub divo Casimiro inite unionis prescriptum cum unius vel alterius iuribus legibusque confundi. Qua in re sponsioni maiorum nostrorum minime contravenimus, qui salvis iuribus et privilegiis suis ad sceptrum divorum Polonie Regum accesserunt iisque fidem et obedientiam obtulerunt. A quibus per manus accepta iura et privilegia minime sic interpretari convenit, quasi iuri publico derogent, cum haud verosimile sit maiores nostros homines antique fidei quicquam iniustum aut illegitimum non fortunis solum, sed etiam sanguine suo sibi posterisque comparare voluisse. Nihil in eo novi, nihil iniqui desideravimus, ut Prutenis eque ac Polonis et Lituanis de iurium suorum indemnitate caveretur, nedum ut hoc ad Regie Ma.tis vel regni despectum vel etiam fidei nostre detrectationem recte accipiatur.

Quod ad Cesaream Ma.tem, non fuit hoc propositum nec officii nostri Regi vel Regno belli pacisve modum prescribere, multo minus authoritatem vel ius imperii arrogare, sed /

*F. 116 v* hoc saltem equum censebamus, ne quae vis, iniuria vel hostilis conatus, quibus hoc situ locorum et ratione gentium exterarum et in Germania maxime negotiationum civitas hec omnium prima videtur exposita, respectu inferiorum actionum, inferretur, eo casu indemnitati Civitatis provideri, sic quod alioquin Regia Ma.tas omnibus Regni ordinibus prestare tenetur, id a nobis etiam nullum crimen est desiderari.

Quod autem subiicitur, ne querelis quidem gravaminum nostrorum satis nos excusari, deque iis agendi semper tempus superfore, quinimmo isthec non solum intempestive sed seditiose flagitari, nec tam flagitari quam a quibusdam fortuna sua non contentis omnia turbari, optimos ac fideles Cives seduci, utrumque sane dolemus, et nonnullis nostrum ea separatim preter innocentiam impingi, que communi consensu pro Civitatis necessitate publica in medium contulimus et gravamina nostra adeo negligi, ut ne nunc quidem eorumdem abolendorum spem satis certam

nobis fieri videamus. Que profecto sunt eius ferme generis ut nisi tollantur ac emendentur graviorem Marianam servitutem nobis omnibus sint importatura. Neque videmus quantum nobis profuturum fuerit, quod cum hiis gravaminibus ad comitia rejicimur, Iamdudum enim saxum hoc voluimus neque quicquam aliud profecimus, quam ut indies nobis inferantur longe difficiliora. Etenim opponitur nobis: nulla legatio petendae confirmationis nostrum causa et conquerendi de gravaminibus post coronationem ad Regiam Ma.tem missa est: immo contra, cum exteris principibus communicata consilia, exercitus conscriptus, presidia disposita. Equidem vere testari possumus nullum ex ceteris terrarum Prussie statibus, quam primum Regia Ma.tas in regnum advenit, frequentioribus interpellationibus tam literarum quam internunciorum id sedulo egisse, ut maturius omnes et de confirmandis iuribus et de conquerendis gravaminibus cogitarent, eaque de re cum Regia Ma.te diligentius agerent, ut, priusquam iureiurando se constringerent, omnibus ex equo recte prospiceretur. Verum et hinc ea rerum perturbatio reperitur, ut internuncii viri vix etiam in consilio publico securitate fruerentur, et paulo post graviora etiam impedimenta, obsessis itineribus et militibus passim agros devastantibus, intervenerunt ut aditus ad Regiam Ma.tem plane nobis fuerit preclusus. Consilia vero, que cum exteris principibus communicata dicuntur, nulla certe fuerunt, que contra inclitum Polonie regnum suscepta fuissent. Neque novum est, ut propter varia negocia, presertim communium commerciorum causa que quotidie oboriuntur, cum exteris principibus vicinitatem hanc ultro citroque varias actiones sustinere oporteat, in quibus tamen omnibus Serenissimi Polonie Reges nunquam nostre fidem subiectionis desideraverunt, nec in posterum desiderabunt. Tantum abest, ut etiam cetera, que pro civitatis incolumitate /

*F. 117* suscipiuntur, ad crimen lese maiestatis vel rebellionis merito possint detorqueri, cum nec fidem nec subiectionem nec quicquam aliud in equitate positum recensemus, modo nobis etiam — quod semper et sepe dicimus — de iurium et libertatum indemnitate provideatur.

Quod autem iisdem literis in memoriam revocare iubemur, a quibus libertas et iuramentum profecta sint, non fortassis fuerit huius loci pluribus commemorare. Satis constat, quo pacto maiores nostri post abiectum Mariane servitutis iugum ad inclitum Regni Polonie sceptrum accesserint et eidem Regno, salvis iuribus et libertatibus suis, iuxta privilegii tenorem incorporati fuerint, a cuius accessionis initio quam fidem, obsequentiam et perpetuam operam in omnes casus belli pacisque tempore hec civitas Serenissimis Regibus ac Polonie Regno, cum impendio sanguinis etiam, et iuramentum more maiorum et subiectionis fidem prestarent, sic ut iuxta prestitum iuramentum ea diplomata simul in originali forma concederentur. Que dum postremo candide et fideliter a nobis proposita sunt, ut nimirum de iurium indemnitate cautionem adhiberemus, in eodem tamen responso plane in alienum sensum trahuntur, quasi nimirum hoc non petere, sed per rebellionem exprimere velimus. Certe cum literarum illarum exemplar peteremus, nihil minus cogitavimus quam ut a concitate plebis iudicio subiicerentur, eoque modo Regium nomen prescinderetur, nisi nostra facta dictaque omnia quis in peiorem partem velit interpretari. Cuius etiam generis illud est, Religionis pacem tribus saltem verbis attigeramus, quum perperam id acceptum fuerit ipsum responsum declarat. Enimvero plures esse, qui religionem Augustanam sectentur, gaudemus.

Sed quid omnibus iis concessum est, superfluum fortassis fuerit a nobis seorsum peti? Criminis autem haberi loco minime potest.

Quod autem objicitur templa Catholici ritus in urbe spoliata, sacerdotes vulneratos, villam et suburbium episcopale succensum, Ea facinora, neque iubentibus neque comprobantibus nobis, admissa sunt a promiscuae multitudinis hominibus, quibus illi religiosi incendia circa urbem et vastationes agrorum (inter quas neque nostris templis parcitum est, quin et vastata et spoliata et tandem etiam incensa fuerint) quasi insultantes exprobraverunt. Nihilominus in authores diligenter inquiri et res ablatas comportari, quantum per nos fieri potuit, iuravimus.

Postremum autem illud non tam novum est, ut non exemplis et privilegiorum verbis possit comprobari. Diserte divus Sigismundus filium Augustum sacratissime recordationis obstringit, ut nisi debite suo regno satisfecisset, nec Prussie status ad servandum quod prestitissent iuramentum essent obligati. Quinimo et Lituanis et ceteris Prussiae statibus nunc etiam itidem et ita tantum audivimus, ut si que libertatum vel privilegiorum ad universos vel singulos pertinentium violata fuissent, violati a fide et obediencia essent immunes. Et /

*F. 117 v* naturali certe ratione quilibet princeps eque subiectorum ius conservare tenetur, ac subditi domino fidem et obedienciam debent. Non est igitur quod hoc ultimum caput ad ignominiam nostram tam odiosis verbis elevetur. Ex hiis omnibus manifeste patet nihil nos offensionem Regie Ma.tis committere, nunquam ab eius authoritate et regia communione recedere voluisse. Quinimo nunc etiam — quod alias sepe dictum est — diserta repetimus, neque iusiurandum neque subiectionis professionem nec quicquam aliud quod officii nostri sit nos detrectare, modo vicissim iurium et libertatum indemnitati recte prospiciatur. Testamur Deum ipsum, qui novit abscondita, et omnes homines recti et equi amantes, nihil nos hac in parte ad Regie Ma.tis offensionem vel contemptum cogitare vel facere, sed Civitatis saltem huius et nostrorum omnium incolumitatem, quam a multis oppugnari scimus, a nobis desiderari. Quapropter cum, proh dolor, animadvertamus iustissimas et equissimas petitiones nostras locum non habuisse, sed aperto nos potius bello oppugnari, ex quibus initiis etiam malorum occasiones exoriri possunt, non cum Prussie solum sed etiam universi regni calamitate; Interim autem Reverend. Illustr. et Magnific. Dominationum Vestrarum benignitate et benevolentia maximam spem repositam habeamus, eas vel Serenissime Regie Ma.ti animum ad clementiores rationes adducere, simul rebus etiam nostris benigne consulere posse, perquam reverenter ac diligentissime per easdem precamur. Benigne velint pro officio Senatorio proque sua perpetua erga nos gratia, favore ac benevolentia operam dare, consulere et intercedere, ut Serenissima Regia Ma.tas inter cetera totius incliti corporis membra civitatis etiam huius clementiorem rationem habere dignetur, quam ut illam quovis iurium aut libertatum preiudicio vel detrimento velit affici. Nedum ut per vim armatam cum Prussie totius clade civitatem ad intollerabiles conditiones adigere, Quin illud potius Regie sue clementie proprium esse benignissime statuat ut clementioribus quibusdam rationibus, ac si ita videbitur, per intermedias personas cum civitatis huius ordinum consensu res omnis pacifice componatur, presertim decreto proscriptionis abolito quam ut armis vel ferro terras suas subditosque nunquam a regno male meritos devastari vel ad extremam calamitatem redigi patiatur. Omnes certe civitatis huius ordines nihil aliud magis cupiunt, quam terrarum tranquilli-

tatem apprime conservari, nihil aliud in votis habent, quam ut in libera universi regni Republica suis etiam iuribus, privilegiis et libertatibus tuto frui possint, quibus salvis et illesis nec subiectionis fidem nec obedientiam debitam detrectent. Facient Christianissime Illust. et Magnif. Dominationes Vestre rem non minus sollicitudinis sue senatorie convenientem quam Universe Reipublicae cum primis utilem, qua non solum perpetuam suam erga nos gratiam, favorem et benevolentiam magis magisque testabuntur, sed nos etiam hoc pacto longe devinctiores sibi reddent ad summa ministrandi et gratificandi obsequia.

Deinde etiam maximo quo possumus venerationis studio reverenter ac diligenter ubique demonstranda, easdem Deo Optimo Maximo diutissime salvas et incolumes ac rerum omnium felicitate perfruentes ac nos earumdem gratiae, favori ac benevolentiae demisse, reverenter ac diligenter commendantes.

*F. 119*

Datum.
Illustr., Magnif. et Generos. Dominationum vestrarum obsequentissimi,

Proconsules, Consules, Scabini,
Centumviri ac tota communitas
Regiae Civitatis Gedanensis.

a) *sic in ms.*

*N. 70.*

*S.l., s.d.*

*Ignotus*
*breviter refert de privilegio a rege Poloniae [Stephano] civitati Gedanensi concesso et die 12 Dec. 1577 publicato; sequitur relatio de supplica, ab eadem civitate prius eidem regi praesentata.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*F. 118 v* The principall Articles of the agreement or peace made betweene the most Soveraigne Kinge of Pole and the Senatt of the Cittie of Dantiske was oppennly published at Marienburge the XII$^{th}$ of December anno 1577

The Kinge granteth to the Cittie free use of the Lutheran religion which before the comeinge of his Ma.tie the Dantiscaines had both in there Cittie and without.

He confirmeth the Priviledges and laudable customes of the Cittie in such maner as is accorded betweene them;

He taketh away alla impositions and amongest them the toole unlawfully brought in against there privileges and customes, the understandinge of the matter beinge appointed in the generall assemblie with the counsellours of the kingdome and land of Prussia;

He revoketh the decree of the confiscation oppenly and solemnly in every place of the kingdome;

All unmoveable goodes aswell publicke as private are in all places restored to the inhabitants and subiects of the Cittie;

The same must be donn in the restitution of moveable goodes and depts to the Summe of XXX$^{tie}$ florens which the Kinge before had distributed amongest his soldiers:

*F. 120* The Cittie craveth pardon without any such Ceremonie as supplicants use to shewe, haveinge devised a forme of supplication neither to base nor difficulte nor yet once noteinge any likenes of blame;

They shall take there oath before the Kinges Commissaries accordinge to the ancient maner already sett foorth.

The Cittie payeth to the King in the space of five yeares every yeare 40$^{tie}$ florence for paciefieinge his displeasure and soe they pay in all [200] florence. For pullinge downe the Monastery of Olivens the Cittie payeth to the Kinge and not the Abbotte XX florence dureing the space of five yeares.

They of the Cittie must dischardge there men of warre as soone as they cann provide them there paies soe that the kinge by sendeinge awaie his soldiers doe sett the countrey in a quietnes;

The Kinge shall enter into the Cittie when he will, order beinge firste taken that noe danger doe ensue thereby to the towne but that the kinge by his authoritie doe provide for the securitie of all parties;

The Cittie shall pay hereafter the yearely tribute due to the kinge which amounteth almost to the Summe of Five Thousand florence:

*F.120 v* The forme of there supplication

Most Soveraigne and most mightie Kinge and merciefull Lord your sacred Ma.tie Cittie of Dantiske doth acknowledge that she at this presence by reason of the variance of your Ma.tie choseinge fell into a certeine error, wherein she contenued for a time and haveinge layd this foundation, incurred thereby the greveous indignation and displeasure of your sacred Ma.tie and Kingdome. She confesseth her error and desireth that by your Ma.ties favor, she may be delivered thereof, and beseecheth your Sacred Ma.tie to pardon her, with Clemencye all and singuler her offences to accompt her for most faithfull and obediente and to embrace her ever hereafter with your kingly graciousnes; she promiseth to be alwayes most faithfull and obedient to your sacred Ma.ty and never to departe from the fealtie subiection and obedience which is dewe to the most Soveraigne Kinge of Polle.

We crave that we may kisse the hands of your sacred Ma.tie and desire to here that your highnes doth take the whoall Cittie and all us for most faithfull subiects.

*N. 71.*

*Constantinopoli, 1578*

*Ignotus*
*ad usum officii*
*Versio anglica declarationis pacis, quam Murad III Turcarum imperator fecit Stephano regi Poloniae anno 1577.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 121* The League betweene the most Soveraigne and puissant princes and Lord Sultan Muratchan Emperor of the Turkes and the most Soveraigne Stephen by the grace of God Kinge of Poole greate Duke of Lesseland [a] etc made and agreed by the honorable John of Sienno and Ravian [b] Castilian of Halicz greate Ammbassedor to the greate Chan of the Turkes in the yeare of the greate and most holy Jesu 1577 and of Mahomet 985

By the greate and endles power and most mightie and terrible wordes, by the innumerable and infinit clemency unspeakeable grace and adsistance of the most mightie Crator of all things who is to be worshipped with a holy and sincere mynde and by the aboundance of Miracles of holy Mahomet, Mustopher, the Prophett whose Sepulture God blesse and have mercy onn, and by the aboundant Miracles of the Heavens called Zyphers and of the brightnes of the holy armies and those which feare God of the member of Prophette in company of all electe of his glory that directeth this wordle (!) and the world to

*F. 121 v* come, and by the holynes of the successors called Hylaschell whom God blesse and to whose spiritte God be mercifull, I Sulthan Muratchan sonn of Sulthan Selmye Chamye who was Sullamann Hann who was Selym Ham, who was Bayaze and Hann, who was Hann of the Emperor Mechemett, the prince of this presente tyme, the only Monarke of this age, haveinge poer over all the world, able to devide kingdomes, the shadowe of the devine mercy and grace, Emperor of many kingdomes, provinces, Townes, Citties and places, Prince and Emperor and Lorde of Meche, that is to saie, of the most glorious Howse of God of the bright Cittie of Medina, and of the most blessed Jerusalem, of Egipt most fruitfull Jemen, Zenan, Alden, Lanam, of the peaceable Zann and Hebes and Lachia, Bazra, Grysiell and of Haleppe, Cavianiamye and Dirabilar, and Vram, Dulcadrie of Babilon and all Arabie, of Asran, and Gorgianittis, of Cypres and the kingdome of Asia and of the Champagne Countries of Echialignon, of the White and Blacke sea, Kum and Zinall, of Greece and Mesopotamia, of Aphicke, Goles and Algiers, of Tripolis in the west, of the most excellent Europe, of Buda and Tomastar, and of the kingdomes beyond the Alpes and of the other like:

*F. 122* In most friendly maner doe signifie that the most glisteringe in glory and Renowne the most Soveraigne Stephen kinge of Pole greate duke of Lesseland, Russia, Prussia and other countreys Prince of the stoute followers of Jesus the governor of all affaires and matters of the people and affinitie of Nazaretis the most gratefull cloude of raine, the

sweetest fountaine of honor and honesty, the Lorde and perpetuall heyre of the felicitie and glory of the aforesaid renowned kingdome of Pole whereunto all Suitours have recourse to whom I wishe increase of all his doeings with most happie and fortunate successe; And offer conditions worthy of our mutuall and perpetuall familiaritye and most holy league with everlasting prayses and perfecte obsolveinges in all good meaninge by these presentes whatsoever is saide before and added hereafter, who sendeinge the honorable Lorde John of Sienno and Rinianovo [c], Castilian of Halicie, a most faithfull and wise counsellour of the Kingdome of Polonia and greate Ambassador from the same to desire by waie of peticion at my glistering gate, Letters for the confirmation of a newe peace and my most holy league declareinge /

*F. 122 v* all his frendshippe neighbourhoode and upright meaneinge towarde my renowned gate, and purginge himself from all suspition of hostility hath required the peace and league to be renewed and confirmed.

Att whose request I have graunted these lettres for the establisheinge of peace and a league wherein I make manifest that on my behalf none of my counsellors, Beglerbege, Sedsialebege captaines, servants or leaders of our armyes, shall offer or goe aboute to offer any hurte to the government, kingdome, regions, Lordshippes, Castles, Citties, townes, Islands and whatsoever els is under the jurisdiction of the Kinge of Polonia;

And in like maner I will that none of the renowned, worthy and Noble capitans and castilans or any other perteyninge to the Kinge of Pole be soe bould to hurte or hinder, or offer any damage to my Kingdomes, provinces, Lordshippes, Citties, Townes, Castelles and fortresses beinge adiacente and borderinge on the Kinge of Pole his govermente.

In summa, he beinge to my enemyes most bitter enemye and to my ffrends a sincere ffrende. I doe commaunde that noe grief or damadge to any man or thing that is /

*F. 123* under the Kinge of Pole his jurisdiction and that in noe case or cause they receive any suche; Ambassidors, Legattes, Messengers and men of any other condition and qualitie may ffreely goe or returne without any molestation, impeachmente or trouble either in theire persons or goods. In my dominions such Polanders as before the tyme of this priviledge have bin taken and carried away in case they have not as yet reched the Turkish Religion but doe still professe Christianity may be sought for, and after they are founde may lawefully be ransomed by the Kinge of Pole subiectes and noe man shalbe soe boulde as to gaine say them;

But whatsoever shalbe carried away after the date of these letters, that shalbe sent backe and restored without any wronge or payeinge any ransome.

The Merchants of either partie may use what trade of Marchandize they will, both by the white and blacke sea and by lande and wheresoever they be founde payinge their accustomed and lawfull XXX$^{th}$ they shall neither be hurte nor iniured:

If any Merchaunt comeinge out of Pole doe chance to die in my dom-nion, the goods of the partie deceased shall not be forfeited but kepte untill either his brethren or /

*F. 123 v* some other pertayneinge to him that is deade shall come with the Kinge of Poles letters and shewe them by meanes reserveing my letters

of commaundment, the goods of the deceased shalbe restored and soe the Merchant of Turkie, yf any die in the Kinge of Pole his dominion shalbe used after the same maner.

Yf after the date of these lettres confirminge peace and freindshippe any damage be offered in my dominions to the King of Pole subiectes, the offendor at my commaundment shalbe sought for and beinge founde shalbe punished and the damage recompensed without fraude or covin the like iustice shalbe used in the Kinge of Pole his behalf.

If any debtor shall come out of my countrey unto the Kinge of Poles govermente, his Creditor wheresoever he shall finde him may bringe him before the iudge of that place to be examined and whatsoever can be proved by lawe the iudge of the place shall satisfie the Creditor therein accordinge to the equitie of the matter, but if the debtor cannot personally be founde noe man els shalbe arrested imprisoned and wexed, for an other mans debte whether in the kingdomes or dominions or either or both of us shall the guiltles be troubled for the guiltie.

*F. 124* The peace and league shall nowe be made on the same conditions and articles wherewith it was concluded and kepte in the tyme of my father, grandfather, and great grandefather of happie memorye. What losse soever hath hitherto happened to either partie thoroughe defaulte of the governors, lett that passe on both sides and be forgotten.

After the date of these letters [of] peace and accorde, the Kinge of Pole shall early paie to the Tartare his accustomed tribute. And the prince of Tartares himself, his hans and mizelerie and all his armie shall not be so boulde to annoy in any sorte the K. of Pole his dominions, and soe neither the Kinge of Pole his countrey shall receive any damadge by the tartares or their armies, nor the Tartarian countrey be indamadged by the Kinge of Poles meanes, and yf in the Tartares behalf any iniurye be committed in the Kinge of Poles countrey, recompence shall be made at my Commaundemente, likewise yf on the Kinge of Poles behalf or his subiects any damadge be don to the countrey or subiects of the Palatine of Maldava or to the Tartares the losse shalbe recompenced and the offendors punished.

*F. 124 v* But if any which have bin wonte to comitte Roberies and divers thefts and offences in Moldavia doe flie out of that kingdome to hide themselves in the Pole, such either at my request or the Palatines of Moldave shall be delivered and not denied:

Moreover they maie ransome what slaves they will of Pole not payinge any more for their ransome then he that first bought them, who might prove by the oath of his slave howe much payd at first, but such slaves as have received the Turkish faith shalbe sett at libertie for nought, and in like case those Turkishe slaves which be in the dominion of Pole shalbe dismissed.

The Ambassadors of either of us, so longe as wee be in peace, shall freely both goe and come, but as soone as they have passed the bounde of their countrey, by and by they shalbe conducted unto the place they goe to, by some honest and faithfull man. Thus it shalbe don on both sides, and as for Merchants, yf they paie duely their XXX$^{th}$ and lawfull tole, noe man shalbe soe boulde to offer them violence or detaine them.

*F. 125* If any of my subiects shall have any suite or matter in lawe with a subiectt of Pole, the iudges shalbe bounde to doe iustice without

delay, and contrary wise touchinge theeves and such as use to Robbe and steale, they shall cause them to be searched for diligently, and beinge founde to be punished with severity, and the thinge stolen to be restored without diminisheinge the valewe to the owner or heyre thereof.

Yf Merchants or men of other condition in buyinge and sellinge doe make any debte whereof some controversie may growe, they must give bills of debte signed with their seale, for without such letters noe iudgmente may passe, soe also in all other contractes, and contentions, the lawe may not proceede except the dept be ether acknowledged before the iudge or proved by the debtors bill. but if there be noe such thinge, Justice is to be administred accordinge to the exposition of wittnesses. The Bega Sedzialei, Silistrian and Bellogradian, the collectors of the XXX$^{th}$, the customers and tolemasters shall not be soe bould as to sett any over the River of Turky or Tizam otherwise /

*F. 125 v* called Nestar but only merchants and such as be in my service, and yf the passengers will convey with them any other subiects of Pole the aforesaid officers shall staie him and sende him backe againe.

Yf Shepheardes will drive their sheepe into the King of Pole his iurisdiction they may not passe without leave of the governors but must tell their sheepe before them of which, yf any man be lost, the governors must seeke them out, and restore them to the shephearde and are bounde to defray all chardges.

The Zanzei, Spaii, Janizaries and Postanors whether it be in tyme of warr or peace shall not be soe boulde as to take upp the horses of the merchants or any other subiects of Polonia comeinge or returninge into my dominions.

The subiects of the King of Pole and Merchants as well of Arminy as of any other Nation whensoeever they will enter into Moldavia or any other parte of my dominion must not travell by unknowne wayes and by pathes but by the common highe waie, in which yf they shall susteine any damadge either in their goods or persons, the /

*F. 126* dededoers shalbe sought for, founde and punished, but the Merchants haveinge paid the XXX$^{th}$ penny for custome may goe and returne without iniurie.

No Merchants shalbe apprehended for an other mans debts neither shall the Zanzei or Janisaries be soe boulde to take away the horses of the king of Pole his subiects.

Yf the Merchants and subiects of the Kinge of Pole will for money ransome and carry away any Bondman taken heretofore out of the K. of Pole his dominions and yet professinge Christian Religion, the iudges shall by noe meanes resiste nor be soe bolde as to keepe backe, and withold those which are ransomed, but those Bondemen which have taken on them the Turkish Religion shall not be required by the Kinge of Pole, and as for those which have not received it, yf after the appointed tyme of their bondage expired their masters have made them free and given them letters for a testimonial thereof, wherein it is signified that they have not the Turkish Religion: The iudges may not deteine them and yet now they use to doe otherwise, but yf it can be proved that they have received the Turkish Religion they shalbe kept backe and deteined.

In the Cittie of Prussia the Kinge of Pole his subiectes haveinge paid their XXX$^{th}$ according to lawe shall not be burdened extraordinarylie.

*F. 126 v* I will that the dominions of the Kinge of Pole aswel those whereof he is presently in possession as which he shall hereafter conquere either of Muscovia or any other kingdome in Christendome to be under the league and peace and doe desire that he may possesse them with full authority.

And for confirmation of the Articles and conditions sett downe in these letters of concorde I sweare by the power of the most greate God and by the spiritt of his most holy Prophett, and of all prophetts the most cleane and unspotted. That if soe be on the Kinge of Pole his behalf nothinge be don nor committed against this peace and league there shall nothinge soe longe as I remaine alive be don alsoe committed on my behalf against the same. God the finisher of all matters.

At Constantinople the yeare of holy Mahomet 986, the 14th day.

a) Lithuania.
b) Rawa
c) *sic in ms.*

*N. 72.*

*s.l., s.d.*

*Ignotus*
*ad usum officii*
*refert de oratione, quam orator imperatoris Turcarum habuit in audientia coram rege Poloniae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 126 v* The Oration of the Turkes Ambassedor to the Kinges Ma.tie of Polande.

The King satt in his accustomed Ma.tie but ye Ambassador when he came stayed at the doore, and by an interpreter of Poland commyned a while with the vice Chancellor, afterwards both he and his interpreter were brought to the Kinges presence to whom when they had made reverence /

*F. 127* accordinge to their maner, he truely neither by boweinge his body or moveing his hatt did once salute or welcome them. The Ambassador was placed high on against the kinge with his interpreter by him, who pronounced every sentence of his Oration severally which the interpreter repeated in Latine to the Kinge very much in these words following:

Selinus [a] the puisante Emperor of the Turkes, a sincere and lovinge frende to ye Royall Ma.tie, quoth the Ambassador, doth wishe happie successe of all matters to your sacred Royall Ma.tie, neither is he at any tyme more gladd then when he understandeth of your Royall Ma.ties saftie and prosperous successe Therefore seeinge he doth beare soe greate good will to your sacred Ma.tie his sincere and lovinge frende, he could not but agree to all your Ma.ties demandes prepounded to his highenes by

your honorable Ambassador the Lord John Shivinskey as by letters of Priviledges your Ma.tie doth understand, neither doupteth the most mightie Emperor but that your Royall Ma.tie doth on the other side imbrace him with like affection and good will /

*F. 127 v* and for that you will constantly keepe and maintaine the peace and league made heretofore betweene both your predecessors and now renowed in those letters of Priviledges, but the most mightie cannot hide this from your Royall Ma.tie that in the borders of your kingdome there are certeine naughtie men which are not afferde to breake into his highenes dominions and to cary away men and drive away catell as these his vassales which he sendeth to your Ma.tie cann manifestly declare »; and presently he bringeth foorth the three Turkes of which every one shewed to the interpreter his harde chance, namely howe that some of them beinge taken prisoners with their wiefes and family must ransome themselves for money, and that the other had susteined verry greate losses, all which things the interpreter declared very largely accordinge as they themselves spake them, and then rehearsed these words following as they were uttered by the Ambassador:

« These naughtie men beinge /

*F. 128* demaunded by letters under what capitaine they made this invasion uppon the borders of the most puisante Emperor, answeared that they presumeinge on their owne liberty did whatsoever was done. Now then, most Soveraigne Prince », quoth the Lord Embassedor, « in the name of the mightie Emperor, yf they have no Captaine or governor, from whence doe they gett weapons as gonnes, and other necessaries for warr, which thinge althoughe it be done without your Ma.ties knowledge, yet the Emperor Ma.tie doth request your highenes for the mutuall love betweene you both, to punish and chasten these naughtie men, which yf your Royall Ma.tie will accomplishe you may hereafter obteine by letters of the mightie Emperor whatsoever you will, neither shall you neede to have an Ambassidor Leidger in the Emperor his Courte, otherwise I see noe meanes for your Ma.tie to compasse any thinge in his highenes Courte, and alsoe his Emperall Ma.tie will revenge himself with severity on these malefactors, but yf the vassalles of Turkie /

*F. 128 v* which are yet deteined Captive of these naughtie men may by your Ma.tie be delivered out of their handes to the mightie Emperor, he doth promise in like sorte for one of them to restore X or XV$^{en}$ Christen Bondemen to their liberty, yea (quoth the Ambassidor), I dare assure your Ma.tie that for one Turkish Bondslave a hundreth Christians shalbe sett free.

Moreover, quoth he, most Soveraigne Prince, as not many yeares since, I have simply and without color served the Governors of the Realme, soe nowe also I desire your Royall Ma.tie dureinge my aboade in the Courte of the most mightie Emperor of Turkie, to make accompte in me of all goode offices.

Lastly the Embassador doth pray unto Almightie God that this league nowe renewed may conteinewe holy, and inviolable not for three, ffive, tenn or ffiftie yeares, but so longe as they both shall live.

a) *error, recte* Murad III, *cfr. N. praecedentem.*

*N. 73.*

*Elbingae, 20 Novembris, 1581*

*Proconsules et consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*respondent ad postulata, quae Ioannes Rogerius, orator reginae, eis proposuit.*
*(orig., sigill.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 129* Serenissima Regina ac Domina Domina Clementissima, S.R.M.ti vestrae Proconsul, Consules et Senatores Regiae Civitatis Elbingensis foelicissima quaeque precantes, summae venerationis et observantiae nostrae studia perquam demisse deferimus.

Quia Sac. M.tis vestrae R. Orator, vir Clarissimus D.nus Joannes Rogerius, Legum Doctor, non multo ante, quam hinc discederet, exemplum desiderati foederis a sese concepti de firmanda liberorum commerciorum et intercursus sede, eorum subditorum R. M.tis V.rae, qui in littoribus maris Balthici negociationes suas exercent, nobis reliquit, neque cum ille avocaretur, per gravissimas occupationes nostras publicas declarare nos possemus: nunc ut R. M.tis V.rae desiderio pro humillima veneratione nostra quoquo modo satisfacere studeremus, presenti huic transumpto foederi, quod in certa quaedam capita sive articulos idem D. Doctor Rogerius distribuerat, sententiam animi nostri ascribi curavimus. Caeterum cum inter tractandum et area quaedam desiderata fuerit ad construendam domum Anglicae Societatis, et Deputati mentio facta, sed in exemplo D. Doctoris tamen praetermissa, nos de his quoque utpote Societati ei ex usu necessario futuris, aliquid sub initium adjici curavimus. Propositi itaque et communicati exemplaris, et sententiae nostrae singulis articulis appositae, tenor est, ut sequitur:

*F. 129 v* Ad residentiam (quam vocant) constituendam, sive ad collocandam stabilem sedem Societatis Anglorum, qui negociationes suas Elbingae exercebunt, et ad ea quae hanc praeterea concernunt, ubi Sr.mi Regis Poloniae, D.ni nostri clementissimi plenus consensus et confirmatio accesserit, domus et area commoda pro usu et ratione hominum ac rerum deligetur, de qua inter Societatem et Senatum facile convenire poterit, cum Societas aedificationis sumtus et impensas in se receperit.

*F. 130* Quia praefectum Societas, quem Gubernatorem vocat ipsa, desiderat, posteaquam de potestate, quam Sr.ma Regina Angliae illum sive in regenda, atque in officio continenda Societate, sive diiudicandis illius controversis contractibus, habere voluerit, plane constiterit ac convenerit, Sr. musque Rex Poloniae, D.nus noster clementissimus consenserit, Senatus quoque in eo facile acquiescet, quem Societas idoneum et convenientem Gubernationi, Civitatique et Civibus inprimis faventem et amicum, consentientibus suffragiis quotannis delegerit, sic tamen, ut nec ipse per se, nec per suos Assistentes quid in praeiudicium aut diminutionem Sr.mi Regis Poloniae vel Civitatis huius regiae Senatusque illius, sive consultando, sive agendo suscipiat.

*F. 131* Conventum, concordatum, et conclusum est; Serenissimae Reginae D. Elizabethae, Dei gratia Angliae etc. Reginae, Haeredum et successorum suorum nomine, confirmatum corpus, collegium seu societas, Gubernator seu Consul, Progubernator seu Proconsul, Thesaurarius, atque secretarius aut horum delegati, aliique ex Assessorum numero, viri primarii, consensu eiusdem selecti, sex, Decemviri litibus iudicandis creati, constituti, et conscripti, Spectabili Senatui associati

Salvo, secure, tuto, libere, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impetitione, vel prohibitione, quibuscumque

Temporibus futuris perpetuis, Sacratissimae suae M.tis, haeredum et successorum suorum, Regnique Angliae etc, et dominiorum eorumdem quorumcunque subditis, negotiatoribus, negotiorum gestoribus, Mandatariis famulisque eiusdem Societatis universis et singulis,

Actione in personam, in rem, aut mixta ex obligationum generibus quibuscunque, ex contractu, vel ex quasi contractu, ex delicto seu ex maleficio, vel ex quasi delicto, seu ex quasi maleficio, facto noxave quacunque. Ex causa civili, criminali, Iudicio privato, publicove, capitali, aut non capitali, condicentibus, vindicantibus, petentibus /

*F. 131 v* persequentibus, accusantibus, in crimen subscribentibus actionem intendentibus, convenientibus, inve ius vocantibus, Polonos, Lithuanos, Ruthenos, Pruthenos, Masovios, Livonos, Transsylvanos, caeterarumque provinciarum inclyto Poloniae Regno subditos quoscunque, Indigenas, Incolas, Cives Elbingenses, aliosve cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus, vel conditionis fuerint, inve ius vocatis vel accusatis quibuscunque, personam videlicet sive Actoris sive Rei sustinuerint,

In Civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu, locisque eorumdem iurisdictioni subditis, coram Senatu forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Proconsule, Consule, Proconsulibus sive Consulibus, Coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, pro tribunali seu de plano, sive ad instantiam, sive ex officio, actum iudicatumve esse dicetur,

Poterint et possunt atque debebunt convocari, assidere, in consilium iudiciaque adhiberi, suffragia ferre, non ut Assessores aut Consiliarii, sed si iurisdictioni adesse, ut sine eorum sententiis nil quicquam in predictis decernatur, statuaturve.

[Sententia Senatus]

Ordo Iudiciorum Civitatis Elbingensis ita ab antiquo constitutus est, ut nec mutari facile, nec addi huic aliquid adimive possit, aut debeat, dum appellationi locus est. Si vero M.tas R. Singulari quadam benignitate sua Anglis hoc concedat, nec in causis actionibusque eorum civilibus appellationi deferatur, possunt rationes quaedam mutuo consensu iniri, quibus certus et expeditus iudicandi modus in Civilibus actionibus, ex contractibus vel ex quasi contractibus, ortis, constituatur, cui in eiuscemodi rebus stetur, et quasi per viam compromissi iustitia secundum ius civile administretur.

*F. 132*

## RECUSATIO

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc., Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et

dominiorum eorumdem quorumcumque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, Mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, libere, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impetitione vel prohibitione quibuscunque

Temporibus futuris perpetuis,

Actione seu actionibus in personam, in rem, aut mixta, ex obligationum generibus quibuscunque, ex contractu, vel ex quasi contractu, ex delicto seu maleficio, vel ex quasi delicto, seu ex quasi maleficio, facto noxave quacunque, Ex causa civili, criminali, Iudicio privato, publicove, capitali, obligatos Polonos, Lithuanos, Ruthenos, Pruthenos, Masovios, Samogitas, Livonos, Transsylvanos, caeterarumque provinciarum inclyto Poloniae Regno subditos quoscunque, Indigenas, Cives Elbingenses, aliosve cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint, inve ius vocati vel obligati,

*F. 132 v* quicunque personam videlicet sive Actoris sive Rei sustinuerint, In Civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu, locisque eorumdem iurisdictioni subditis, coram Senatu, tribunali forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Proconsule, Consule sive Consulibus, coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, pro tribunali seu de plano, sive ad instantiam, sive ex officio, actum iudicatumve esse dicetur,

Poterit et possunt in ius vocare, convenire, actionem intendere, evocare, iniectioni manuum seu arresto subiicere, fideiussores Locupletes de Iudicio sisti, iudicatoque solvendo, rem ratam haberi, custodire, propriis impensis petere, detineri atque exhiberi, condicere, vindicare, accusare, in crimen subscribere, actusque a citatione, ad litis contestationem, a litis contestatione ad causae conclusionem, a conclusione causae ad sententiae definitivae executionem, omnes et singulos persequi, praescriptionibus, exceptionibus, excusationibus, declinationibus fori non competentis, iudicis recusatione vulgo Geburlich Richter, protectionibus, exemptionibus, literis moratoriis, vulgo Eiserbrieff, tam regiis, quam Civitatis, vulgo Geleidt, appellationibusque, provocationibus ad Tribunal Sac. R. M.tis Poloniae, ad conventus vulgo Landtagk etc. quoscunque, irritis.

[Sententia Senatus]

Literae moratoriae, salvi conductus, Item provocationes ad forum competens et similia, ne locum habeant, a sola M.te Regia pendent. A qua ea peti et impetrari oportet. Caeterum quia usu horum locorum recepto, caveri solet Actori, ne Reo provocatio concedatur, nisi satisdet, se coram Iudice suo die ac termino constituto, compariturum, Senatus idem quoque observabit.

*F. 133*

## REMISSIO

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc., Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi, corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, Mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli, cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint, Temporibus futuris perpetuis, in eorum personis, rebus immobilibus, mobilibus aut sese moventibus, bonis, substantia,

pecuniis, auro, argento, signato vel non signato, ornamento, instrumento, instructo, mercibus, mercimoniis propriisque quibuscunque, seu aliorum quorumcunque,

Actione seu actionibus in rem, in personam, aut mixta, ex obligationum generibus quibuscunque, ex contractu, vel ex quasi contractu, Sacratissimae suae M.tis haeredum et successorum suorum, Regni et dominiorum eorumdem subditos, negotiatores, negotiorum gestores, Mandatarios, famulosque eiusdem Societatis universos et singulos,

In Civitate Elbinga utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorumdem iurisdictioni subditis, coram Senatu, Proconsule, Consule, Proconsulibus, Consulibus forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, pro tribunali seu de plano, sive ad instantiam, sive ex officio actum iudicatumve esse dicetur, /

*F. 133 v* In ius non vocabunt, arresto non subiicient, Iudicio non sistent, non satisdabunt, iuratione promittent suaeve promissioni committent, fideijussores de Iudicio sisti, iudicatum solvi, rem ratam haberi non dabunt, non vendicabunt, condicent persequenturve. Conventi vero inve ius vocati, Senatus iudicumque autoritate, tanquam in examine vetito, seu in foro incompetenti non admissi, ad Gubernatoris seu Consulis, Progubernatoris seu Proconsulis, Assessorumque remittentur atque reiicientur, eorumque examini atque potestati, omni recusatione, provocatione, appellatione remota, subjicientur.

[Sententia Senatus]

Residentia a Sac. R. Ma.te confirmata, facile consentiet Senatus, ut Angli de contractibus inter se dissidentes, ad Praefectum seu Gubernatorem Societatis remittantur, quin imo autoritatem quoque suam eidem accommodabit, ut debita illi obedientia ab Anglis praestetur. Quod si actionem civilem Anglus civi intentare voluerit, coram Magistratu sive Iudice ordinario id faciat; Si vero civis Anglo intentaverit, liberum actori integrumque erit, vel coram Gubernatore tanquam coram Iudice compromissario (cuius sententiae cum utrinque sine ulla provocatione stabitur) vel coram Magistratu aut iudice ordinario experiri, ubi secundum ius civile (atque municipale in certis quibusdam casibus) pro qualitate causae ius dicetur, et appellationi locus erit. Criminales vero actiones et iniuriarum, ad Magistratum, et Iudicem loci ordinarium. Vis autem quaevis, et omne violentiae genus cum causis capitalibus et sanguinis, ad Burggravium Regium, queque illius muneris alia sunt, reserventur.

*F. 134* FIDEIUSSIO

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae R. Angliae etc., Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi, corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, mandatarii, famulisque eiusdem universi et singuli Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Temporibus futuris perpetuis,

Condictione certi, indebiti, commodati, instituti, depositi, pignoris, ex stipulatu, non numeratae pecuniae, ex empto, vendito, permutatione, locato, conducto, pro socio, mandati, negotiorum, gestorum, damnorum, iniuria-

rum, falsi, decoctionis, calumniae, praevaricationis, tergiversationis, periurii,

Actione seu actionibus, videlicet ex contractu, vel ex quasi contractu, eorumque generibus vel speciebus quibuscunque, Condicentes, vindicantes, petentes, persequentes, actionem intendentes, convenientes, inve ius vocantes, Polonos, Lithuanos, Ruthenos, Pruthenos, Masovios, Samogitas, Livonos, Transsylvanos caeterarumque provinciarum inclyto Poloniae Regno subditos quoscunque, Indigenas, Incolas, Cives Elbingenses, aliosque quoscunque, inve ius vocati, vel accusati, quicunque personam videlicet sive Actoris sive Rei sustinuerint,

*F. 134 v* In Civitate Elbinga utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorumdem iurisdictioni subditis,

Coram Senatu forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Proconsule, Consule, Proconsulibus sive Consulibus, coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, pro tribunali seu de plano, sive ad instantiam, sive ex officio, actum iudicatumve esse dicetur,

Non satisdantes evocabuntur, iniectione manuum seu arresto subjicientur, in publica vincula conjicientur, seu incarcerabuntur, impensis propriis custodientur, detinebuntur, exhibebuntur.

[Sententia Senatus]

Cives, incolae, et alii territorio civitatis Elbingensis subiecti a quocumque conventi coram magistratu et iudice suo omnino comparere debebunt. Extranei vero seu forenses, qui ex iustis causis suspecti fuerint, si parte adversa instante citati ad iudicio se sistendum arresti faciendi causa, comparere et respondere recusarint, arrestari poterunt, quo ad satis dederint de iudicio sisti, et iudicio solvendo, sive pignoribus datis, sive fideiussoria cautione praestita. Quid vero cum debitoribus iure convictis, quorum alii dolose, alii culpa quadam, alii sine culpa sua infortunio aliquo graviori non solvendo facti sunt, agendum sit, recte examinatis circumstantiis omnibus deinceps constitui poterit.

*F. 135* ADVOCATIO, PROCURATIO

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium, seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, Mandatarii famulique eiusdem universi et singuli,

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, libere, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impetitione vel prohibitione quibuscunque prout eis utile, commodum et expediens videbitur,

Temporibus futuris perpetuis, totiens quotiens voluerint, et quandocunque eis conveniens visum fuerit,

Actione seu actionibus in personam, in rem, aut mixta, ex obligationum generibus quibuscunque, ex contractu, vel ex quasi contractu, ex delicto, seu ex maleficio, vel ex quasi delicto, seu ex quasi maleficio, facto noxave quacunque, ex causa capitali, condicentes, vindicantes, persequentes, convenientes, inve ius vocantes, Polonos, Lithuanos, Ruthenos, Pruthenos, Masovios, Samogitas, Livonos/

*F. 135 v* Transsylvanos, caeterarumque provinciarum inclyto Poloniae Regno subditos, Indigenas, Incolas, Cives Elbingenses, aliosque quoscunque, inve ius vocati vel accusati quicunque, personam videlicet sive Actoris sive Rei sustinuerint,

In Civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu, locisque eorumdem iurisdictioni subditis, coram Senatu, forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Proconsule, Consule, coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus quibuscunque, coram tribunali, sive de plano, ad instantiam, sive ex officio actum iudicatumve esse dicetur, Poterint et possunt, admittenturque in Civibus vel omnium, vel unius rei, causae, litis seu actionis, vel coram, vel per Nuntium, vel per Epistolam, cum rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, In criminalibus praesentes tantum, Iuris consuetos Advocatos, Procuratores, Defensores, Iurisconsultum, Advocatum, Procuratorem, Defensorem vulgo [ ] Constituere, constitutum, constitutosve munere movere, aliumque vel alios surrogare vel substituere.

[Sententia Senatus]

Quia iure licet cuivis in civilibus causis, vel per se, vel per alium legitime constitutum, Mandatarium, Procuratorem, vel de rato caventem agere, in eo quoque consentit Senatus, verum in criminalibus, principalem, qui per alium respondere, seve defendere aut agere volet, praesentem esse oportebit.

*F. 136* TESTIMONIUM

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, Mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli,

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, libere, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impeditione vel prohibitione, quibuscunque,

Temporibus futuris perpetuis,

Actione etc. quacunque ex causa civili, communali, Iudicio privato publicove, capitali aut non capitali, condicentes, vindicantes, petentes, persequentes, accusantes, in crimen subscribentes, actionem intendentes, convenientes, inve ius vocantes Polonos, Lithuanos, Ruthenos, Pruthenos, Masovios, Samogitas, Livonos, Transsylvanos, caeterarumque provinciarum inclyto Poloniae Regno subditos, Indigenas, Incolas, Cives Elbingenses aliosque quoscunque, inve ius vocati, vel accusati, quicunque personam videlicet sive Actoris sive Rei sustinuerint,

In Civitate Elbinga utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu, locisque eorum iurisdictioni subditis, coram Senatu foroque competenti,

Poterint et possunt testes nominare, producere, testimonia exigere, et perhibere, in testes nominari, produci, recipi, admitti, expedite examinari, eorum testimonium exigi, et perhiberi, probationumque exceptionum aut perpetuarum et peremptoriarum, aut temporalium et dilatoriarum, personalium vel realium, vel aliarum quarumcunque, caeterorumque omnium,

quae ad probationem Instrumentorum, testium, exceptionumque materiam pertinent, beneficio gaudere, atque subjici praescriptionibus /

*F. 136 v* praeiudiciis, exclusionibus, nationis videlicet et relligionis, aliisque illegitimis frustrationibus, dilationibus, cavillationibus quibuscunque cessantibus in praemissis.

[Sententia Senatus]

Quominus vel testes producant, vel testimonium ferant, nisi socii in eadem qua de agitur causa, fuerint, nationis vel gentis, vel relligionis, excipi contra ipsos non poterit. De coetero ius commune scriptum cum iis servabitur.

*F. 137*

## PROTRIBUNALIA
## TERMINUS ACTIONUM

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium, seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, Mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli, Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impetitione vel prohibitione quibuscunque,

Temporibus futuris perpetuis,

Actione etc. quacunque ex causa civili, communali, Iudicio privato publicove, capitali aut non capitali, condicentes, vindicantes, petentes, persequentes, accusantes, in crimen subscribentes, actionem intendentes, convenientes, inve ius vocantes Polonos, Lithuanos, Ruthenos, Pruthenos, Masovios, Samogitas, Livonos, Transsylvanos, caeterarumque provinciarum inclyto Poloniae Regno /

*F. 137 v* subditos, Indigenas, Incolas, Cives Elbingenses aliosque quoscunque, inve ius vocati, vel accusati, quicunque personam videlicet sive Actoris sive Rei sustinuerint,

In Civitate Elbinga utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorum iurisdictioni subditis, Coram Senatu forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Proconsule, Consule sive Consulibus, coram Burgrabio Regio Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, pro tribunali, sive de plano, ad instantiam, sive ex officio, actum iudicatumve esse dicetur,

Coram Decemviris, litibus iudicandis creatis, constitutis et conscriptis, Spectabili Senatui associatis,

Actionum, postulationum, condictionum, vindicationum, petitionum, persecutionum, accusationum, litiumque quarumcunque controversarum seu controvertendarum etc. Sententia diffinitiva irrevocabili Finem sortientur.

[Sententia Senatus]

Aequum et ex re fuerit, non solum certum terminum et finem litium expediendarum, presertim in causis liquidorum debitorum et chirographorum et in similibus, quae facilem et paratam probationem adiunctam habent, sed et de certo expeditoque iuris processu, invicem constituere,

ne actiones variis dilationibus, frivolis exceptionibus, appellationibusque in longum extrahantur, et partes propter sumptuum inopiam actiones suas deserere aut succumbere cogantur. Qua in re et Senatus, quantum in ipso est, Societati Anglicae sese libenter attemperabit, ut vulgari iure hospitum indilata ipsis iustitia administretur.

*F. 138* PRO ALIENO DELICTO DEBITOVE NEMO CONVENIATUR

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium, seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, Mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli,

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Temporibus futuris perpetuis,

In eorum personis, rebus immobilibus, mobilibus aut sese moventibus, bonis, substantia, pecunia, auro, argento, signato vel non signato, ornamento, instrumento, instructo, mercibus, mercimoniis propriisque quibuscunque, seu aliorum quorumcunque,

Pro aliquo delicto, seu maleficio, vel quasi maleficio, facto, noxave quacunque, ex causa criminali, iudicio publico, capitali, aut non capitali, orto vel oriundo, commisso seu committendo, per alium, vel per alios, quam per se ipsos, vel ex eorum mandato, prove aliquo debito, contractu, sive ex re sive ex stipulatu, litterarum obligatione, sive ex consensu, vel ex quasi contractu eorumve generibus, vel speciebus quibuscunque, ex causa civili, actione in rem, aut mixta, contracto vel contrahendo, pro quo Princ-/

*F. 138 v* ipales debitores aut fideiussores non extiterint,

In Civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorumdem iurisdictioni subditis, coram Senatu, Proconsule, Consule, Proconsulibus, Consulibus forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, pro tribunali seu de plano, sive ad instantiam, sive ex officio actum iudicatumve esse dicetur,

Non molestabuntur, gravabuntur, iniectioni manuum seu arresto non subiicientur, non incarcerabuntur, non accusabuntur, non proscribentur, bona non publicabuntur, fiscove applicabuntur, poenarum generibus nullis affligentur, in ius non vocabuntur, Iudicio non sistentur, non satisdabunt, iurave promittent, suaeve promissioni committentur, fideiussores de Iudicio sisti non dabunt, condictiones, iudicationes, petitiones, persecutiones, actiones nullas perpetientur, sed cum poena non debeat egredi delinquentem, sed suum tenere authorem, unusquisque suo delicto sorti subiiciatur, nec alieni criminis successor constituatur, noxa caput sequatur, aere alieno obligati, obaerati, in aere non habentes luant in corpore.

[Sententia Senatus]

Consentit Senatus, ne quis pro alieno vel delicto (nisi consenserit aut mandarit) vel debito, quo principalis debitor aut fideiussor non extiterit, conveniatur, teneatur, aut luat. Cumque in eo plane esse et curare velit Senatus, ut Societati et singulis, qui eam colunt Anglis, in contractibus vel quasi contractibus recens initis, sive a Civibus Elbingensibus,

sive a peregrinis, et extraneis, debitorum suorum solutio plena, vel si aliter solvenda non sint, per bonorum cessionem vel carcerem quomodocunque satisfierit (pro ut ea de re convenerit), confidit omnino Senatus, Serenissimam Reginam Angliae vicissim clementissime provisuram, ut a suis quoque subditis, ex contractibus, debitorum solutio Civibus Elbingensibus fiat. Et si qui Anglorum forte in Angliam sese /

*F. 138 v* quoquo modo receperint, ii haeredesve eorum non minus Civibus nostris, quam hic nostri Cives illis solutionem facere coguntur.

*F. 139* ANGLI LAESI VULNERATI

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium, seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, Mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Temporibus futuris perpetuis,

In eorum personis aggressi, concussi, laesi, vulnerati, occisi, telo, toxico, veneficio etc., convicio, probro, contumelia, contemptu, ignominia, libellis famosis, falso testimonio, tergiversatione, praevaricatione, turpi depictione, calumniis, stellionatu lacessiti, inve eorum rebus mobilibus aut sese moventibus, bonis, substantia, pecuniis, auro, argento, signato vel non signato, instrumento, instructo, mercibus, mercimoniis propriis quibuscunque seu aliorum quorumcunque, depraedati, direpti, expugnati, expilati, furto spoliati, seu latrocinio, delicto seu maleficio, quasi delicto seu quasi maleficio, facto, noxa, iniuriave quacunque eorumque generibus vel speciebus quibuscunque affecti, damnum vi, clam, dolove malo perpessi,

In Civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorum iurisdictioni subditis, coram Senatu forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, /

*F. 139 v* Coram Proconsule, Consule, Proconsulibus, Consulibus, Coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, pro tribunali, seu de plano, ad instantiam sive ex officio, actum iudicatumve esse dicetur, Coram Decemviris, litibus iudicandis creatis, constitutis et conscriptis, associatis Spectabili Senatui, authoritate eiusdem,

Aggressores, concussores, Sicarii, venefici, iniuriarum datores, falsi testes, calumniatores, praevaricatores, tergiversatores, turpiter depicti, stelliones, depraedatores, direptores, expugnatores, expilatores, fures, Latrones, delinquentes seu malefici, quasi delinquentes seu quasi malefici, noxae, iniuriarum quarumcunque, damnive, vi, clam, vel aperte perpetratores, mandatores, mandatarii, Receptores, eorumque occultatores

Evocabuntur, iniectioni manuum seu arresto subiicientur, in ius vocabuntur, iudicio sistentur, satisdabunt, fideiussores de iudicio sisti, iudicatum solvi, rem ratam haberi dabunt. In causis publici iudicii capitalibus, in publica vincula coniicientur, carcerali custodiae detrudentur seu incarcerabuntur, Proscribentur, bona fisco applicabuntur, poenae generibus legitimis subiicientur, impensis propriis custodientur ac detinebuntur.

Famosi vero, Latrones, fures, sicarii, venefici etc., capitalia committentes, in his locis, ubi grassati sunt, furca figentur, ut et conspectu de-

terreantur alii ab iisdem facinoribus, et solatio sit interemptorum eodem loco poena reddita.

[Sententia Senatus]

In Societatem vel in quemvis Anglum quoquo modo delinquentes, pro ratione et gravitate delictorum severe sine dilatione meritis poenis secundum ius commune scriptum afficiet et coercebit Magistratus, neque alienum a S.mae Reginae voluntate sperat fore, si eodem iure, modo et poenae genere in Anglos animadvertatur, qui in fines Elbingenses hic delinquent.

*F. 140* RECUPERATIO BONORUM FURTO ABLATORUM

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium, seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, Mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli, Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Temporibus futuris perpetuis,

Rebus mobilibus aut sese moventibus, bonis, substantia, pecuniis, auro, argento, signato vel non signato, ornamento, instrumento, instructo, mercibus, mercimoniis propriis quibuscunque seu aliorum quorumcunque, Cautionibus, tabulis chirographis, apochis, antapochis, instrumentis quibuscunque,

Furto manifesto, vel non manifesto, vi, clam, dolove malo, eorumve generibus vel speciebus quibuscunque, depraedati, direpti, expugnati, expilati vel spoliati, depraedatoribus, direptoribus, expugnatoribus, expilatoribus, Latronibus,

In Civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorum iurisdictioni subditis, coram Burgrabio Regio, Senatu forove competenti eiusdem Civitatis aliorumve locorum quorumcunque, coram Proconsule, Consule, Proconsulibus, Consulibus, coram Burgrabio /

*F. 140 v* Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, pro tribunali, sive de plano, ad instantiam sive ex officio, actum iudicatumve dicetur,

Coram Decemviris, litibus iudicandis creatis, constitutis et conscriptis, Spectabili Senatui associatis, conventis, constitutis (iisdem bonis in manibus furis seu raptoris etc. existentibus, vel in foro publico, ubi talia communiter vendi solent, non alienatis, dolove malo non distractis),

Auctoritate Senatus,

Impensis actorum,

Rerum mobilium, aut sese moventium, bonorum, substantiae, pecuniarum etc. restitutionem possessionemque adipiscentur.

[Sententia Senatus]

Quod iuris communis est, ut bona furto aut rapina ablata, si apud alium quam furem raptoremve, etiam non malae fidei Emptorem, ac possessorem, reperiantur, Domino, qui sua esse ea docuerit, reddantur. Idem ut Anglis fiat, impensis tamen ipsorum, Senatus providebit.

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli,

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Temporibus futuris perpetuis,

Societatis gubernatorisve seu Consulis, progubernatoris seu proconsulis, vulgo the Deputie, Assessorumque, vulgo Assistentium,

Suffragiis, condictione, certi, indebiti, commodati, mutui, depositi pignoris, ex stipulatu, non numeratae pecuniae, ex empto, vendito, permutatione, pro socio, mandati, negotiorum gestorum, damnorum, iniuriarum actione seu actionibus, eorumque generibus vel speciebus quibuscunque

Falsi, decoctionis, aleationis, calumniae, praevaricationis, tergiversationis, periurii, irreverentiae, contumaciae, contemtus, convicti, eorumdem decretis, constitutionibus, statutis aut statuendis, ausu temerario contradicentes, non obtemperantes,

Adiudicati, Conventi

In Civitate Elbinga utraque veteri et nova, /

*F. 141 v* territorio, ambitu, limitibus, districtu, locisque eorumdem iurisdictioni subditis constituti, Coram Senatu forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Proconsule, Consule, Proconsulibus, Consulibus, coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, pro tribunali, sive de plano, ad instantiam, sive ex officio, actum iudicatumve esse dicetur,

Delati, Authoritate Senatus etc., Impensis Societatis Actorumve, evocabuntur, iniectioni manuum seu arresto subiicientur, in publica vincula coniicientur seu incarcerabuntur, impensis propriis custodientur, exhibebuntur, satisdationibus de iudicio sisti, fideiussionumque generibus omnibus excludentur.

[Sententia Senatus]

Praefecto sive Gubernatori Societatis ad puniendos suos inobedientes ex Civilibus causis, non tamen ex criminalibus, aut vim publicam concernentibus, ubi de potestate eius constiterit, et de damnis cautum fuerit, Senatus carcerem et authoritatem suam praestabit.

*F. 142* LOCATIO CONDUCTIO

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli,

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impeditione vel prohibitione quibuscunque prout eis utile, commodum et expediens videbitur,

Temporibus futuris perpetuis, totiens quotiens voluerint, et quandocunque eis conveniens visum fuerit,

Agros, villas, tuguria, sylvas ceduas, sive succisas, saltus, pascua, prata, areas, aedes, domus, tabernas, praedia urbana, rustica aedificia, hortos, possessiones, fundos locaque quaecunque, quaeque villae, aedium, domus, fundive esse dicentur, instructaque omnia

In Civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu /

*F. 142 v* locisque eorumdem iurisdictioni subditis universis et singulis, Poterint et possunt locare, conducere.

[Sententia Senatus]

Quia Societas Anglorum littora maris Balthici frequentantium, residentiam sive sedem negociationum suarum Elbingae, potissimum liberi intercursus causa, collocare constituit, non videt Senatus, cur locandi et conducendi verba tam large accipiantur vel extendantur. Nam qui peculiari domicilio, foco, et laribus utuntur, ac familiam alunt, vulgo die eigen rauch halten, sive pro se ipsis, sive pro familia sua, hospitandive gratia, iis datur facultas conducendi aedes in civitate et suburbiis, divertendi apud cives vel quoscunque velint, hospitandive, atque tabernas, granaria, areas frumentarias, domus publicas et privatas, pro ratione hominum et rerum merciumque suarum conducendi.

*F. 143* LIBERTAS IN ALIMENTIS

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli,

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impeditione vel prohibitione quibuscunque,

Temporibus futuris perpetuis,

In iis, quae esus potusque sunt, in quibus seu per quae ea esse solemus, per quae penus conficitur, quaeque frugum, frumentorum, leguminum, fructuum, penoris esculenti poculenti, victus, alimentorum eorumve generibus, vel speciebus quibuscunque, iumentorum, armentorum, quadrupedum, pecudum, volatilium, piscatilium, ferae, non ferae, mixtaeve naturae nominibus empta paratave esse dicentur, libertatibus, privilegiis, forique iuribus, indultis, consuetudinibus,

In Civitate Elbing utraque nova /

*F. 143 v* et veteri, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorumdem subditis, Civibus exaequabuntur, iisdemque utentur fruenturque, atque pervide in omnibus ac per omnia habebuntur ac originarii, Indigenae, proprii ac naturales cives.

[Sententia Senatus]

Ut Civibus sic Anglis, qui Societatem Elbingae colunt, libertatem in parandis iis, quae esus potusque sunt, libenter concedit Senatus. Sed quia ita untrinque convenit, idque hic moris est, ut certo loco videlicet in foro mercatorio venum ea exponantur, ne licentiae fenestra cuiquam aperiatur,

sed tam Anglis quam Civibus et Incolis, rectius consulatur, censet Senatus victualium venditioni et emptioni locum certum assignari oportere. Nam alioquin, in suburbio et pagis propolarum questu concesso, precium rerum venalium supra modum cresceret.

*F. 144* ALIMENTA PINSERE BRAXARE

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impeditione vel prohibitione quibuscunque prout eis utile, et commodum et expediens videbitur,

Temporibus futuris perpetuis, totiens, quotiens voluerint, et quandocunque eis conveniens visum fuerit,

Quae esui, potuique sunt, in quibus seu per quae esse solemus, per quae penus conficitur, fruges, frumenta, legumina, fructus, cibaria, penus esculentum, penus poculentum, penus universum, quaeque victus alimentorumque nominibus complectuntur omnia, usus cuiuscunque patrisfamiliae, videlicet uxoris, liberorum, hospitumve vel familiae, quae circa eos esse solet, gratia, non ut vendantur, dis- /

*F. 144 v* trahantur, empta, parata, sive naturalia, sive exotica sive ex Anglia, Galliis, Hispania, Belgio, locisque aliis quibuscunque advecta, importata esse dicentur,

In Civitate Elbinga utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu, locisque eorumdem iurisdictioni subditis,

Poterint et possunt easdem, eademque habere, pinsere, braxare, comparare, impositionibus, tributis, exactionibus vulgo [a]
regiis, regni, Civitatis, quacunque autoritate introductis, irritis.

[Sententia Senatus]

Huius articuli qualitas, praesertim quod ad verba pinsere et braxare attinet, dubietatem quandam ac praeiudicium quibusdam contuberniis sive tribubus et opificibus afferre videtur, quibus solis potissimum, cerevisiarum coquendarum et panis pinsendi publica libertas ex professo peculiari quodam privilegio, competit. Itaque hoc singulis eodem modo concedi non potest, sed restringenda generalitas est. Coeterum non impedit Senatus, quominus quisque alimenta quaecunque, et quae esui potuique sunt, et in quibus et per quae ea esse solemus, sui usus et familiae suae gratia, parata pro voluntate et palato suo, quantum optime potest, confici, praeparari, coqui, pinsi, ac panem quoque in familiae suae usum domesticum, non ad revendendum fieri curet.

*F. 145* INTERCURSUS
JURA FORI

Ex unaquaque domo plures duobus in foro mercatum emptum seu venditum non prodibunt, ita tamen ut unus solummodo eorum emens reperiatur: Eo etiam improba licitatio prohibita sit, qua si quis diutius quam

deceat, Venditori molestus esse, nec ab emptione abire velit, alteri sit licitum emere.

Senatoribus vero officii eorum ratione una prae caeteris insuper persona indulgeri debet, ita tamen, ut una cum Domino una saltem persona in emendo reperiatur, sub poena arbitraria, iuxta excessum emptionis.

Si autem Civis filius ad puberem aetatem pervenerit, ac ad mercandum sit idoneus, emptio ipsi non erit prohibita, attamen ut Civis ascitus sit.

Nemo Civium pro altero ad vendendum in foro mercari debet, si vero ad necessitatem ipsius fiat, permissum ipsi erit. Iuxta aquam vero, cum aliis libertas concessa a nobis sit, alterius quoque opera uti Civi licebit.

Emptio extra metam facta nullarum erit virium, emptorque in una marca mulctabitur. /

*F. 145 v* Qui licitationi intervenerit, emptionis ex aequali vel minori parte fiat particeps.

Pari modo nemini Civium cum extraneo, sive hospes ille sit, sive alibi domicilium habeat, Societatem inire, nec etiam aliena pecunia ad alienum commodum in foro mercari licebit, sub poena hac, ut primum quidem quartam, deinde dimidiam, postea tertiam partem, postremo vero totum committat.

Licebit tamen Civi, ratione contractus cum peregrino initi, pecuniam ab eodem accipere, ut facilius frumenta sive merces, de quibus inter ipsos convenit, praestet.

Nemo opificum merces ad opificium suum pertinentes mercabitur, ut eas vendat.

[Sententia Senatus]

Emptio rerum et mercium omnium, quae rei familiaris tuendae vel augendae causa, sive terra, sive mari et aqua importantur, advehuntur, in foro mercatorio et ad pontem atque flumen libera societati, non minus quam Civibus ipsis concedetur. Et quia Cives ea in re quibusdam legibus et statutis suis forensibus circumscripti sunt, iisdem ut et Societas circumscriberetur inter tractandum cum Dominis Oratoribus convenit: sed quoniam tales emptionum leges temporariae sunt, et temporibus mutari ac contemporari soleant, non est visum illas huic foederi, quod stabile et perpetuum esse debet, inseri, sed ut Societati aliquo modo constaret, eiuscemodi eae essent, nonnullae ex statutis Civium illi communicatae fuerunt. Et porro conventum, si quando eae et similes pro temporis ratione, et Civium voluntate, mutandae erunt, exemplum earum Gubernatori communicandum esse, ne quid in Societatis praeiudicium factum videatur.

*F. 146* EMERE VENDERE

Item ordinatum, conventum et conclusum est, ut Anglis, qui hic resident ac residebunt, omne genus mercium, quod seu terra seu aqua advehitur, perinde atque Civibus emere liceat, sic tamen, ut iidem cuicunque Civium, Incolarum seu Accolarum Civitatis huius, qui vel contractui ipsi, vel mercium distractarum mensurationi aut ponderationi intervenerit seu interfuerit, de iis sibi in usus rei familiaris necessarios communicari petentibus, quantum de mercibus iis desiderabunt, tantumdem et tantidem, sine precii auctione, revendere teneantur, Neve frumentorum aut lupuli negotiationem aliam exerceant, quam quatenus ea in Angliam exportare velint. Quod sit vero, seu vi divina, seu temporum seu rerum gravi adversitate impediantur, quo minus ipsas emptas merces ad exportationem

in Angliam comparatas, et seu temporum longinquitate perituras, seu vicium contracturas, aut damnum passuras, tuto, secure, aut sine gravi dispendio exportari possunt, integrum sit ipsis easdem hoc non minutatim, sed in grosso distrahere, sic tamen ut Cives extraneis easdem empturis praeferantur.

[Sententia Senatus]

Consentit et in hoc capite Senatus, verum ut in priori locus determinatur, ita in hoc etiam non inmerito determinandum censet, et exprimendum, quibus in locis merces venum exponendae sint, nimirum in officinis, in aedibus, pro foribus, tabernis, in foro mercatorio, granariis, intra et extra moenia, praeterea, ut venditio ab Anglis in grosso tantum, non minutatim fiat, exceptis pannis preciosioribus, quos separatim per ulnas amicis, vestiendi causa petentibus, vendere licebit.

*F. 146 v* *vacuum*

*F. 147* EMERE, VENDERE, RECONDERE, ONERARE, EXONERARE, ABSQUE PRAESENTIA MINISTRORUM.

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli,

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impeditione vel prohibitione quibuscunque, prout eis utile, commodum et expediens videbitur,

Temporibus futuris perpetuis, totiens quotiens voluerint, et quandocunque eis conveniens visum fuerit,

Res, bona, substantiam, aurum, argentum, signatum vel non signatum, ornamenta, instrumenta, pannos, lanam, linum, cannabum, frumentum, lupulum, merces, mercimonia, naturalia sive exotica, propria quaecunque seu aliorum quorumcunque sive terrae, maris, lacusve Haab beneficio, invecta, advecta, evectave esse dicentur,

*F. 147 v* In Civitate Elbing, territorio, ambitu, limitibus, ambitu, districtu, locisque eorumdem subditis,

Poterint atque possunt absque presentia scrutatorum, Officialium vel Ministrorum inclyti Regni Poloniae Regiorum, Civitatis praedictae, districtusve, aperire, disligare, emere, vendere, permutare, quibuscunque officinis, tabernis, granariis, arcis frumentariis vulgo,

locisque privatis, commodatis, conductis propriis aut aliorum quorumcunque, publicisve, mercibus custodiendis, conservandis, tuendis, destinatis, inferre, reponere, committere,

schedisve scaphis, lintribus, ratibus, navigiis, navibus fluviatilibus, piscatoriis, marinis, onerariis propriis vel aliorum quorumcunque, onerare, exonerare, plaustrisve, vehiculis, rhedis imponere, importare.

[Sententia Senatus]

In aperiendis, disligandis, ligandisque mercibus, quae terra marique

quocunque genere navium sive curruum importantur, exportantur, seu avehuntur, scrutatores Senatus nullos adhibebit: neque Sacram M.tem adhibituram confidit, cum multo iam ante in Civitate Elbingensi liberum intercursum sive negociandi rationem omnibus transmarinis comprobavit, et suam ipsi iurisdictionem salvam hactenus conservavit. Caeterum quia hoc capite speciatim mentio habetur instrumentorum, quibus et bellica contineri videntur, Ideo Sac. M.tis clementissimae iudicio Senatus permittit, utrum et quatenus integrum esse licereque velit, instrumenta ac tormenta bellica omneque armorum genus, et inprimis nitrum, sulphur, pulverem tormentarium distrahi et exportari.

*F. 148* EMERE, VENDERE, CUM SOCIIS

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impeditione vel prohibitione quibuscunque, prout eis utile, commodum et expediens videbitur,

Temporibus futuris perpetuis, totiens quotiens voluerint, et quandocunque eis conveniens visum fuerit,

Super rebus immobilibus, mobilibus aut sese moventibus, bonis, substantia, pecuniis, auro, argento, signato vel non signato, ornamentis, instrumentis, instructo, pannis, lana, lino, cannabo, frumento, lupulo, mercibus, mercimoniis, naturalibus sive exoticis, propriis quibuscunque seu aliorum quorumcunque, Cum Sacratissimae suae M.tis Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc. et dominiorum eorumdem quorumcunque subditorum, corporis, collegii seu Societatis eiusdem /

*F. 148 v* consociis, negotiatoribus, negotiorum gestoribus, Mandatariis, famulisque eiusdem universis et singulis contractus quoslibet ineuntes sive in lege emptionis, venditionis, permutationis, locationis, conductionis etc. arrhae interpositio (ut evidentius probari possit convenisse de precio) sive non intercesserit, sive in praesentia testium idoneorum, proxinetaeve iurati, contractum, actum, gestumve esse dicetur,

In Civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu, locisque eorumdem subditis, coram Senatu forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Proconsule, Proconsulibus, Consule, Consulibus, coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, coram Decemviris litibus iudicandis, creatis, constitutis et conscriptis, Spectabili Senatui associatis, pro tribunali, sive de plano, ex officio seu ad instantiam actum iudicatumve esse dicetur,

Dicti contractus firmi stabilesque consistant, poenitentiae locus (seu res secuta seu non secuta fuerit) nullus erit arrhae cessione seu amissione, vulgo

contractus non subvertentur, resolventur, rescindentur, actiones redhibitoriae cessabunt.

[Sententia Senatus]

Quia in protribunalibus positum et concessum est, ut actiones civiles de contractibus, vel quasi inter ipsos Anglos socios exortae, ad gubernatorem remittantur, Senatus porro Gubernatoris dexteritati permittit, ut contractus cuiuscunque generis, testibus certis vel proxineta iurato praesentibus, quocunque loco inter Anglos initos (etiam arrha non subsecuta) firmos habeat, nec ullum poenitentiae locum reliquant. Verba autem superflua, quae de loci circumstantia in hoc capite (ut et in quibusdam aliis) adiecta sunt, omittenda censet Senatus, cum locus emptionis et venditionis iam ante circumscriptus sit.

*F. 149* RESILIENS A CONTRACTU

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, negotiatores, negotiorum gestores, mandatarii, famulique eiusdem universi et singuli,

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Temporibus futuris perpetuis,

Super rebus immobilibus, mobilibus aut sese moventibus, bonis, substantia, auro, argento, signato vel non signato, ornamento, instrumento, instructo, propriis quibuscunque seu aliorum quorumcunque, cum Polonis, Lithuanis, Ruthenis, Pruthenis, Masoviis, Livoniis, Transsylvanis, caeterarumque provinciarum inclyto Poloniae regno subditis, Indigenis, Incolis, Civibus Elbingensibus, aliis quibuscunque, contractus quoslibet ineuntes, sive in lege emptionis, venditionis, permutationis, locationis, conductionis, arrhae interpositio (ut evidentius probari possit convenisse de precio) intercesserit, sive in praesentia testium idoneorum proxinetaeve iurati, contractum, actum, gestumve esse dicetur,

*F. 149 v* In civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorumdem iurisdictioni subditis, coram Senatu forove competenti eiusdem Civitatis quocunque, coram Proconsule, Consule, sive Consulibus, coram Burgrabio Regio, Regiisque Iudicibus praesentibus et futuris, coram Decemviris litibus iudicandis creatis, constitutis et conscriptis Spectabili Senatui associatis, pro tribunali, sive de plano, sive ad instantiam, sive officio actum iudicatumve dicetur,

Dicti contractus firmi stabilesque consistent, poenitentiae locus, seu res secutae, seu non secutae fuerint, nullus erit, arrhae cessione seu amissione, vulgo [a)]

contractus non subvertentur, non resolventur, non rescindentur, actiones redhibitoriae cessabunt.

[Sententia Senatus]

Ubi authoritas R. M.tis de non deferendo appellationi in Causis et actionibus Anglorum accesserit, Senatus quoque facile acquiescit, modo paucioribus verbis haec compraehendantur, omissis superfluis, quae ad circumstantiam loci adiecta sunt, et amputatis aliis, quae commode resecari possunt, eo quod in associationem illam iustis de causis consentire non possit Senatus.

*F. 150* GRANARIIS QUIBUSLIBET MERCES COMMITTERE

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem *(ut in praecedenti).*

Cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis, sexus vel conditionis fuerint,

Salvo, secure, tuto, licite et impune, sine contradictione, impedimento, molestatione, impeditione vel prohibitione quibuscunque, prout eis utile et commodum et expediens videbitur,

Temporibus futuris perpetuis, totiens quotiens voluerint, et quandocunque eis conveniens visum fuerit,

Pannos, linum, canabum, frumentum, lupulum, picem aridam, liquidam, res, bona, merces, mercimonia, naturalia sive exotica, propria quaecunque seu aliorum quorumcunque, sive terrae, maris, lacusve Haab beneficio, invecta, advecta, evectave esse dicentur, quibuscunque officinis, Tabernis, granariis seu arcis frumentariis vulgo [a)]

locisque privatis, commodatis, conductis, propriis seu aliorum quorumcunque, publi- /

*F. 150 v* cisve, mercibus custodiendis, conservandis, tuendis, destinatis, precio constituto inter Locatorem et Conductorem persoluto,

In Civitate Elbinga utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu, locisque eorumdem iurisdictioni subditis,

Poterint et possunt imponere, reponere, emere, vendere, permutare, committere, inferre.

[Sententia Senatus]

Cum Dominis Oratoribus per Deputatos Senatus ita actum et conventum est, ut res et merces, quae a Societate vel aliis terra marique importarentur, et adveherentur, in locis consuetis et ei usui destinatis, ad Civitatem et ad pontem velut in emporio exponerentur, reponerenturque et reconderentur, ex more in granariis, in arcis frumentariis, tabernis, officinis ibidemque divenderentur, vel inde exportarentur, neque passim quibuscunque aliis in locis territorii Elbingensis, de navi in navim sine ulla repositione transferrentur, Esset enim hoc et Civitati communitatique civium universae et iurisdictioni Civitatis maximo praeiudicio, et aliis licentiae exemplo futurum, si neglecta et praeterita civitate Elbingensi portuque illius, merces undique paratas per littora illius pro arbitratu suo exportare et distrahere possent. Quod ipsum et S.mam Reginam Angliae probaturam speramus, cum residentiam Elbingae esse /

*F. 151* nec in Civitatis Elbingensis praeiudicium fieri se quidquam velle literis suis benignissime testata sit, et Domini Oratores quoque nomine illius ostenderint, se Civitati et civibus salutique eorum inprimis consultum cupere.

ONERARE NAVES QUASLIBET, EXONERARE

Conventum *etc. (ut in praecedenti)*
Cuiuscunque gentis *etc. (ut in praecedenti)*
Salvo, secure..... *(ut in praecedenti)*

Temporibus..... *(ut in praecedenti)*

Pannos, lanam, linum, cannabum, frumentum, lupulum, merces, mercimonia, naturalia sive exotica, propria quaecunque seu aliorum quorumcunque, ex utraque Polonia, Lithuania, Ruthenia, Prussia: Regia, Ducali, Episcopali, Masovia, Samogitia, Livonia, Transsylvania, caeterisque provinciis inclyto Poloniae Regno subditis, locisque aliis quibuscunque, sive terrae, maris, lacusve Haab /

*F. 151 v* beneficio invecta, advecta, evectave esse dicentur, Schedis, scaphis, lintribus, ratibus, navigiis, navibus, fluviatilibus, piscatoriis, marinis, onerariis propriis vel aliorum quorumcunque (Naulo constituto inter Locatorem et conductorem persoluto), cuiuscunque Regni, dominii, provinciae, civitatis locive esse, adve loca quaecunque, vela facere dicentur,

In Civitate Elbinga *(ut in praecedenti)*

poterint et possunt importare, imponere, onerare, exonerare.

[Sententia Senatus]

Conventum est, ut Civitatis huius incolae vel accolae, suis navigiis, naves maritimas onerarias exonerent atque onerent, mercibus inde exportatis et aliis importatis, iusto tamen precio constituto, quo si iidem acquiescere aut contenti esse nollent, potestas fieret aliis etiam peregrinis et quibuscunque operam suam ea in re Anglis locandi et navandi. Qua de re Angli peculiares etiam a Senatu literas scriptas habent.

*F. 152* **NAUFRAGIUM**

Conventum *etc. (ut in praecedentibus)*

Cuiuscunque gentis *etc.*

Salvo, secure..... quibuscunque

Temporibus futuris perpetuis,

Navium, schedarum, lintrium, ratium, navigiorum, fluviatilium, piscatoriarum, marinarum, onerariarum, propriarum vel aliarum quarumcunque, pannorum, lini, cannabi, frumenti, lupuli, rerum, bonorum, mercium, mercimoniorum naturalium sive exoticorum, propriorum seu aliorum, terrae, maris lacusve Haab beneficio advectorum, invectorum seu evectorum quorumcunque,

Naufragium passi (Sive naves casu quo contingente infixae, fractae, collisae, ruptae, adve littus expulsae, vel si quando aliquam terram attigisse, deiectae, depressae, submersae), /

*F. 152 v* Resque bona, merces etc. sive laborante nave removendi communis periculi, navisque onustae levandae causa (voluntate vectorum vel propter aliquem metum) in terram, mare, littus, ripamve iactae seu proiectae, deperditaeve, ablatae, subtractae, amotae, raptae, direptae, ademptae, quomodolibet vel receptae esse dicentur,

In Civitate Elbinga..... subditis *(ut in praecedentibus)* authoritate Senatus, impensis Societatis naufragorumve Poterint et possunt naves suas reficere, naufragia sua colligere, iisdemque cum omni securitate, potiri, uti, frui.

[Sententia Senatus]

Authoritate Regia vigore privilegii terrarum Prussiae cautum et provisum est, ut cuilibet res et bona sua, quae maris naufragio periclitantur,

colligere propriis impensis et recipere liceat, quocunque ea casu in terram littusve appulerint. Itaque et Senatus eidem inhaerens, haec ipsa Anglis in territorio suo libenter concedit et, ut naves reficiantur, in loco tamen constituto, et in statione navium, prope Civitatem, permittet. Quod si tamen res ipsa et necessitas hoc, ut consueto loco fieri possit, non patietur, permittet Senatus, ut alio etiam loco necessario fiat.

*F. 153* ELECTIO HOSPITATORUM

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem, quorumcunque subditi corpusque, collegium seu Societas predicta, Gubernator seu Consul, Proconsul, Thesaurarius atque Secretarius, aut horum delegati, aliique ex assessorum numero, viri primarii, consensu eiusdem selecti,

Salvo, secure *(ut in praecedentibus)*

Temporibus futuris perpetuis, totiens quotiens voluerint, quandocunque eis utile, commodum et expediens visum fuerit, Negotiatorum, negotiorum gestorum, Mandatariorum, navium Magistrorum, nautarum exercitorum, institorum, famulorumque eorumdem quorumcunque,

Quamcunque aut quascunque personas idoneas Anglos, quotcunque numero, cuiuscunque status, conditionis, qualitatis, sexus vel nominis fuerint, Hospitatores Institores, Tabernae praefectos vulgo,

In Civitate Elbinga *(ut in praecedentibus)*

*F. 153 v* Poterint et possunt, religionis, pietatis, probitatis, honestiorisque vitae, examine praecedente, eligere, ordinare, et constituere, Sacramentum seu iusiurandum corporale offerre atque recipere, admittere, commeatus vulgo nomine, exactionem seu solutionem praescribere, deierantem seu deierantes, dolo, malo, culpa, negligentia, delinquentem vel delinquentes iniuriam damnumve inferentem, vel inferentes, dantem dantesve, contra bonosve mores peccantem peccantesve, poena pecuniaria arbitrariave afficere, ad iniuriae damnive dati restitutionem cogere, munere muneribusque indicere atque amovere, missione ignominiosa mittere, alium aliosque in eius eorumve loca surrogare, ausu vero temerario, sine examine, electione, iureiurando, admissione, muneri dicto sese immiscentes vel ingerentes, Refragatores, violatores constitutionum vulgo acts, per Societatem, Assessoresque Statutarum vel statuendarum existentes, poenam 20 fl. Polon. irrogare.

[Sententia Senatus]

Electio hospitatorum Societati concedenda vergeret in diminutionem augendae rei familiaris, quae inter tractandum cum Dominis Oratoribus non abs re civibus reservata fuit. Coeterum Senatus cum communitate promittit, se adventuris hospitibus Anglis ita prospecturum, ut apud quoscunque velint sive Anglos sive cives, Elbingae habitantes, tuto, secure et iusto precio vivant.

*F. 154* ELECTIO PONDERATORIS

Conventum est *(ut in praecedenti)* Gubernator seu Consul, Proconsul seu Progubernator Thesaurarius atque Secretarius aut horum delegati alii-

que ex assessorum numero viri primarii, consensu eiusdem selecti seu Spectabili Senatui associati, Decemviri litibus iudicandis creati, constituti et conscripti,

Salvo, secure..... videbitur *(ut in praecedentibus)*

Temporibus futuris perpetuis, totiens quotiens voluerint, et quandocunque eis conveniens visum fuerit,

Rerum, bonorum, mercimoniorum, tam naturalium quam exoticorum, ex utraque Polonia, Lithuania, Russia, Prussia, Regia, sive ducali, sive Episcopali, Masovia, Samogitia, Livonia, Transsylvania caeterisque provinciis, inclyto Poloniae Regno subditis, locisque aliis quibuscunque, terrae, maris, lacusve Haab beneficio invectorum, advectorum seu evectorum quorumcunque, quamcunque seu quascunque personas idoneas, quotocunque numero, cuiuscunque gentis, nationis, status, qualitatis vel conditionis fuerint,

*F. 154 v* Ponderatorem aut ponderatores vulgo Pfundtwäger, Mensuratorem aut mensuratores, vulgo Messere, Libratorem aut libratores vulgo Schaalwäger, Gruis praefectum seu gruis praefectos vulgo Kraenmeister, Examinatorem seu probatorem, examinatores seu probatores, vulgo Bräcker, Proxinetam seu proxinetas vulgo Mäcklers, Ligatores, factores, portitores, operarios, laboratores, aurigas, veredarios vulgo [a)]

In Civitate Elbinga utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorumdem iurisdictioni subditis,

Poterint et possunt operarum peritie, examine seu proba praecedente eligere, ordinare et constituere, sacramentum seu iusiurandum corporale offerre, atque recipere, admittere, salarium constituere, deierantem seu deierantes dolo, malo, culpa, negligentia delinquentem vel delinquentes iniuriam damnumve inferentem vel inferentes, dantem aut dantes, poena pecuniaria arbitrariave afficere, ad damni iniuriaeve dati, illati, restitutionem cogere, munere muneribusque indicere, atque amovere, missione ignominiosa mittere, alium aliosque in eius eorumve loca surrogare, ausu vero temerario, sine examine, electione, iureiurando, admissione, muneribus specificatis sese ingerentes, refragatores, violatores constitutionum subsequentium existentes poenam 20 fl. irrogare.

[Sententia Senatus]

De electione Ponderatorum, Libratorum, Mensuratorum, Cranae praefectorum, probatorum, Proxinetarum, ligatorum, operariorum, aurigarum, ita conventum est, ut ea mutuo consensu Deputatorum Senatus et Societatis fiat, atque utrisque sacramentum fidei in mercibus et rebus ex aequo servandae, praestetur, et ut mercede laborum constituta, sint contenti. Itemque negligentes aut minus fidi ab officio removeantur, atque si culpa vel negligentia Magistri Cranae aut operariorum eius in onerando vel exonerando quid damni mercibus daretur, hoc Magister Cranae praestaret. Idque etiamnum probamus, quemadmodum peculiari scripto de iis omnibus cautum est.

*F. 155* TESTAMENTA CONDERE

Conventum..... universi et singuli *(ut in praecedentibus)*
Cuiuscunque gentis *(ut in praecedentibus)*
Salvo, secure..... videbitur *(ut in praecedentibus)*
Temporibus futuris.... visum fuerit *(ut in praecedentibus)*

Rerum mobilium aut sese moventium, bonorum, substantiae, pecu-

niarum, auri, argenti, signati vel non signati, ornamentorum, instrumentorum, mercium seu mercimoniorum quorumcunque secundum consuetudinum, legum, communium et statutorum, conditorum, condendorumque, authoritateve comitiorum inclyti Regni Angliae receptorum praescripta,

In Civitate Elbing utraque veteri et nova, territorio, ambitu, limitibus, districtu locisque eorumdem iurisdictioni subditis /

*F. 155 v* Poterint et possunt testari seu testamenta ordinare, codicillorum iura obtinere, haeredes instituere, et substituere, legata seu fidecommissa cuicunque ascribere, mortis causa donationes reliquasque, quae ad testamentorum quorumcunque haereditatum, codicillorum, legatorum seu fidecommissorum materiam spectant, adimplere.

[Sententia Senatus]

Acquiescit Senatus, ut Angli testamenta secundum consuetudinem et statuta Regni Angliae condunt, dummodo authoritas regia accedat. Quod si sigillum Civitatis, maiorisve firmitudinis causa apponi petent, et pro more loci huius aliquid in pias causas et ad viarum publicarum tuendarum usus praestabunt (quod singulos admonitos ultro haud gravatim facturos speramus) nec Senatus se in eo difficilem praebebit.

*F. 156* BONORUM ADMINISTRATIO MOBILIUM

Conventum est..... *(ut in praecedentibus)* Gubernator, seu Consul, Progubernator seu Proconsul, Thesaurarius atque Secretarius, aut horum delegati, aliique ex assessorum numero viri primarii, consensu eiusdem, selecti

Salvo, secure..... prohibitione quibuscunque *(ut in praecedentibus)*

Temporibus futuris perpetuis,

Sacratissimae suae M.tis haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem quorumcunque subditis, negotiatoribus, negotiorum gestoribus, Mandatariis, famulisque universis et singulis,

Rerum mobilium aut sese moventium, bonorum, substantiae, pecuniarum, auri, argenti signati vel non signati, ornamentorum, instrumentorum, mercium seu mercimoniorum quorumcunque, haereditates relinquentibus, legata seu fidecommissa conferentibus, mortis causa donationes facientibus bonaque quaecunque quibuscunque /

*F. 156 v* ascribentibus, sive iure testamentario seu codicillorum, sive testati sive intestati esse dicentur,

In Civitate Elbing..... subditis *(ut in praecedentibus)*

Poterint et possunt rerum, bonorum, mercimoniorumque eorumdem custodiam et conservationem ad usum Testamentariorum seu haeredum institutorum, legatariorum seu fidei commissariorum, mortisve causa donatariorum nancisci,

Spectabilis Senatus, Proconsulis vel Proconsulum, Consulis vel Consulum, Burgrabii Regii, Iudicumque quorumcunque authoritate, potestate, Iurisdictione irritis atque cessantibus in praemissis quibuscunque.

[Sententia Senatus]

Custodia et conservatio rerum mobilium, et sese moventium, testato vel intestato relictarum, ad usum testamentariorum et haeredum a Senatu non impedietur.

F. 157 RERUM IMMOBILIUM ADMINISTRATIO

Conventum, concordatum et conclusum est: Serenissimae Reginae Angliae etc.,

Haeredum et successorum suorum nomine, confirmatum corpus, collegium seu Societas, Gubernator seu Consul, Progubernator seu Proconsul, Thesaurarius atque Secretarius aut horum delegati, aliique ex Assessorum numero, viri primarii, consensu eiusdem selecti, Decemviri litibus iudicandis creati, constituti, et conscripti, Spectabili Senatui associati,

Salvo..... quibuscunque *(ut antea)*

Temporibus futuris perpetuis,

Sacratissimae suae M.tis haeredum et successorum suorum Regnique Angliae etc., et dominiorum eorumdem, quoruncunque subditis, corpore, collegio seu Societate praedicta, negotiatoribus, negotiorum gestoribus, mandatariis, famulisque universis et singulis,

Rerum immobilium, agrorum, villarum, tuguriorum, silvarum caeduarum sive succisarum, saltuum, pascuorum, pratorum, arearum, aedium. domuum, tabernarum, praediorum urbanorum, rusticorum, aedificiorum, possessionum, fundorum locorumque quorum- /

*F. 157 v* cunque, quaeque villarum, aedium, domuum fundorumque esse dicentur, relictas haereditates, collata legata, seu fideicommissa, mortis causa donationes bonaque quaecunque, sive testati sive intestati esse dicentur,

In Civitate Elbinga..... subditis *(ut antea)*

secundum Testamentariis, seu haeredibus institutis, legatariis seu fidei commissariis, mortis causa donatariis, easdem eademque haereditates, legata seu fidei commissa, mortis causa donationes restituent, adiudicabunt, inque bonorum possessionem mittent. Iisdem Anglis per omnia et in omnibus Civibus exaequatis.

[Sententia Senatus]

Emptio rerum immobilium vigore pactorum terrarum Prussiae statutorumque Civitatis Elbingensis, nullis conceditur, nisi qui communia civilia onera ferunt, et iure civitatis donati sunt. Itaque si Angli in civium numerum asscribi, atque eadem cum illis munia subire volent, et ex empto et alio titulo, domini fundorum (Senatu consentiente) fieri facile poterunt.

*F. 158* IMMUNITATES

Conventum, concordatum et conclusum est... universi et singuli *(ut antea)*

Cuiuscunque gentis *(ut antea)*

Salvo, secure, ..... quibuscunque *(ut antea)*

Temporibus futuris perpetuis,

In eorum personis, rebus immobilibus, mobilibus aut sese moventibus, bonis, substantia, pecunia, auro, argento, signato vel non signato, ornamento, instrumento, instructo, mercibus, mercimoniis propriis quibuscunque seu aliorum quorumcunque,

Ab omnibus et omnimodis donationibus, praestationibus, solutionibus, appreciationibus, seu aestimationibus, impignorationibus, prisis seu dilationibus, occasione prisae arrestationibus, ab omnibus et omnimodis portoriis, teloniis, vectigalibus, terrestribus, acquaticis, aggeralibus, foralibus,

pontacibus, mensuralibus, vulgo pomyerne, finialibus qui a nonnullis regalia ac poradlne, a nonnullis podymue nuncupari consueverunt, frumentorum dationibus vulgo, Szep, ab omnibus et omnimodis contributionibus viritaneis, intributionibus, seu censibus capitum, taxationibus fundorum, ab /

*F. 158 v* omnibus et omnimodis iuribus, et consuetudinibus, impositionibus, tributis, exactionibus, consuetis et non consuetis, recentibus, antiquis, novis, vetustis, vulgo przewod, povnos, stroza, stan, porrolove, targove, Crova, voginia, Narzas, Seppodunouna, opoliae, tam generalibus quam specialibus, quocunque nomine censeantur, eorumque taxationibus indictionibus, iudicationibus, conscriptionibus, collectionibus: ab omnibus et omnimodis servitiis, laboribus, vecturis, equitationibus, vulgo podvvodis Angariis, parangariis, ab anchoragio vulgo Anckergeltt, grundagio vulgo grundtgelt, warfagio vulgo wharfgelt, focagio vulgo hackgeltt, borngeltt, fenstergeltt, treppegeltt, pontagio vulgo brückgeltt, muragio vulgo vhestgeltt pondagio vulgo pfundhol, Belgis pondtgelt, den thiesten pfennig, den hundersten pfennig, et generaliori vocabulo ab omni schossgeltt, atque a Schaken seu Schakengeltt, ab omni umpflicht, insuperque a schaarwergk, et wachtgeltt, eorumque nomine solutionibus omnibus, nec non ut ansa praecidatur omnis quaestionum, litium ac controversiarum quarumcunque, a muneribus civilibus, oneribus, operibus publicis eorumque speciebus omnibus et omnimodis.

In Civitate Elbinga..... subditis *(ut antea)* Immunes erunt et liberi

[Sententia Senatus]

Libera et immunis erit Societas et qui Elbingae negociabuntur Angli, ab omnibus iis oneribus, praestationibus, exactionibus, quae a Senatu civibus imperari solent. Caeterum de iis Anglis qui praeterquam quod negotiantur, eodem quo cives iure hospitare volent, conventum est, ut ratione aedium idem quod Cives praestent. Si quae vero contributiones et praestationes a R. M.te nonnunquam requiruntur, illarum immunitas ab eadem M.te petetur.

*F. 159* QUI FRUENTUR LIBERTATE INTERCURSUS

Idem ordinatum, conventum et concordatum est, extranearum seu forensium neminem, qui cum familia sua in hanc Civitatem migrarit, et in numerum Civium receptus fuerit, (exceptis saltem liberis legittime ab eodem, hic progenitis) eadem libertate in Anglia gavisurum. Si vero quispiam peregrinorum in uxorem filiam Civis Elbingensis duxerit, is non minus quam alii Indigenae Elbingenses eadem libertate in Anglia fruatur.

[Sententia Senatus]

Quia Domini Oratores nomine S.mae Reginae Angliae spem fecerunt fore ut Sacra M.tas illius cognita plenius hac Elbingensium erga subditos suos et Societatem eam, quae Elbingae residebit, propensa admodum et benefica voluntate, non modo illorum clementissimam vicissim rationem habitura, singularique gratia ac benignitate Regia eosdem prosequutura: sed et libertates atque immunitates easdem ac reciprocas in omnibus et singulis praemissis capitibus, articulis, clausulis ac punctis, quibus Societas Elbingae perfruetur, Civibus Elbingensibus in Anglia Clementissime concessura sit. Idcirco et Senatus in se recepit, quod nulli peregrino sive

extraneo, qui ex hoc tempore cum familia sua sese Elbingam spe libertatis eiusdem in Anglia perfruendae conferet, et iure civium donabitur, /

*F. 159 v* eandem concessurus sit, sed tantum liberis illius, qui Elbingae legittime procreati fuerint, atque iis praeterea, qui filias et viduas Civium Elbingensium uxores duxerint. De his enim convenit, ut eadem, qua Cives Elbingenses, Indigenae, libertate in Anglia fruantur. Nec dubitat Senatus, quin et Serenissima Regina Angliae vicissim clementissime provisura sit una cum ipsa Societate, ne quis in huius foederis, harumque libertatum et immunitatum ius, participationem ac fruitionem admittatur, qui aut Anglus aut socius amicusve eius gentis Civitatisve huius non sit.

Nos itaque Proconsul, Consul et Senatores Regiae Civitatis Elbingensis, his omnibus diligenter collatis, testamur, Transumptum hoc, cum relicto nobis a D. Doctore Originali, in omnibus articulis, et clausulis congruere. Quod si vero Mti V.R. in iis, quae de sententia nostra adiecimus, nec dum satisfieri potuit, id non tam voluntati nostrae, quae ad probandum M.ti V.R. et subditis illius, omne studium nostrum, quo ad eius fieri potest, paratissima, est, quam his bellicis occupationibus gravissimis, et absentiae longinquae Serenissimi Regis Poloniae, Domini nostri clementissimi, et impeditis illius Commissariis, qui informandae rectius M.tis R. causa, his rebus designati fuerant, clementissime ascribere ut dignetur, omni cum veneratione per quam demisse rogamus.

Coeterum sententiam illam nostram ita singulis articulis generatim adiiciendam putavimus, ut utrisque M.ti R. et sua regalia, et suum de his iudicium, auctoritatem et voluntatem Clementissimam pro /

*F. 160* debita veneratione nostra, reservantes, nihil ulla parte derogatum esse velimus. Atque alia simul integra servamus, de quibus porro utrinque speciatim inter nos convenerit. Itaque ubi deinceps edocti fuerimus, quid R. M.tas V. de his omnibus senserit, quid fieri, et qua ratione cum Serm. Rege, ac Domino nostro Clementissimo porro hanc rem peragi, et ad confirmationem finemque optatum perduci velit, nihil quidem in nobis, quod eam ipsam ad rem pertingere videbitur, desiderari patiemur.

In cuius rei fidem sigillum Civitatis scienter apprimi curavimus.

Datum Elbingae XX die Novembris, Anno Domini M D LXXX primo

a) *hic in ms. verbum omissum.*

## *N. 74.*

*Elbingae, 14 Novembris, 1584*

*Proconsul et consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*ad litteras reginae de constituenda Elbingae residentia Angliae respondent, re ad regem comitiaque Poloniae remissa.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 161* Serenissima Regina, potentissima Princeps ac Domina Domina Clementissima, S. M.ti V.R. a Deo propitio felicissimae gubernationis suc-

cessus et incrementa exoptantes, venerationis studia nostra demisse offerimus.

Ex novissimis V. M.tis R. ad nos literis perlibenter cognovimus, M.tem V.R. quae et de mutuo studio in coniuncta causa nostro, et de adversariorum artibus atque conatibus superius perscripseramus, eo, quo sapientem principem deceat, benigno atque excelso animo et accepisse et tulisse, neque ullis iniquorum iniuriis a praeclaro instituto suo dimoveri se passam esse, quo minus ceptum semel negocium ab Oratore suo his in locis perfici, et nobis illum usque ad causae exitum adesse vellet. Quam M.R.V. benignam et constantem plane voluntatem non possumus non pro veneratione nostra gratissimis animis iterum iterumque prosequi, ac pro virili nostra in id vicissim incumbere, ne Societati quemadmodum in aliis, ita et in iis, quae de ponderum apud nos cum Regiomontanis exequatione postulata fuerunt (dummodo e re utriusque futura sint) studio nostro desimus. Caeterum, quia superioribus literis nostris ostenderamus, quibus modis atque artibus Gedanenses Commissionis negocia impedire, et per edicta cuiusdam Regii sinistram interpretationem eludere studuerint: id ipsum et S.R. M.ti domino nostro clementissimo per nostros exposuimus, quae edocta non modo factum illud graviter tulit, verum etiam delectos prius Commissarios suos, non obstante unius aut alterius absentia, negocium omnino maturare, et vel ante conventum Lublinensem (qui ad 20 Augusti indictus fuerat) expedire iussit. Qui quidem Commissarii Elbingae ad 20 Julii diem convenientes, munus suum obierunt. Ubi quomodo quidque propositum, responsum, actum, controversumque fuerit, M.tem V.R. ex Oratoris sui literis et actis conscriptis cognovisse speramus. Sed quia D. Commissarii per privatam quandam instructionem Regiam, non satis sibi potestatis esse existimarent, ad iudicium suum de ea causa ferendum (quod tamen D. Orator et quam maxime ursit et secundum regiam voluntatem esse ostendit) hanc ipsam integram ad M.tis Regiae diiudicationem in conventum Lublinensem (quo et D. Oratori una cum /

*F. 161 v* Deputato et Internunciis nostris eundum fuit) remiserunt, ac suis nihilominus ad Maiestatem literis haud obscure significarunt, Dominum Oratorem Regium aequa postulare, et causam nostram communem firmioribus atque clarioribus documentis, quam adversariorum, niti. Gedanenses igitur suae causae subdiffidentes, patronorum quorundam non postremorum opera et autoritate, ut prius, sic ex eo tempore illum Commissionis actum apud Maiestatem Regiam impugnare, et subvertere tentarunt, asserentes non licere neque integrum esse nobis eam libertatem Anglis concedere, ac Residentiam pactis harum terrarum adversari, atque ipsam adeo mercaturam Anglorum exitiosam toti Regno esse. Quam ob rem, S. M.tas R. Lublini, postquam D. Oratorem negocium Commissionis prosequentem, ac voluntatem de eo Regiam expectantem, benigne audivisset, quod Commissariorum suorum sententiam desideraret, neque vacare huic rei ipsa per publicas occupationes posset, alios mox de Senatoribus, qui aderant, delegatos Commissarios, ei rei de integro accuratius discutiendae et complendae, in gratiam M.tis V.R. et ipsius Oratoris, dedit et eos quidem dedit, qui Civitati et causae huic essent faventiores. Apud quos Levartoviae quid utrinque controversum, quid et cum nostris et cum Domino Oratore atque Deputato seorsim tractatum, quibus praeterea calumniis adversarii Anglicanam gentem, et hanc totam causam denuo praegravarint, quasque nihilominus libertates sibi tanquam bene promeritis in

Angliae Regna vindicarint, omnino scimus M.tem V. R. ex literis et ex scriptis Oratoris sui plane cognituram. Quod vero D. Orator ad postulata eorum Commissariorum in auctionem portorii, tandem et Deputato Societatis, et Internunciis approbantibus, certis quibusdam conditionibus reservatis consensit, id M.tas V.R. non illius voluntati, nec facilitati nostrae, sed necessitati tribuat et condonet omni cum veneratione oramus. Nam tametsi iidem privilegiis et libertatibus pristinis confisi, diu multumque sese plurimum sint tutati, tamen cum Commissarii nihil eos acturos dicerent, nisi auctionem eam instar Gedanensium portorii admitterent, eo quod aequissimum esset, qua re pri- /

*F. 162* vatorum facultates maxime et parantur et continentur, ex eadem Reipublicae quoque (sine qua ne illae quidem stare possint) nonnihil accedere: necessitati tandem potius tribuendum aliquid esse putarunt, quando aliter Residentiae obtineri non posset, quam diutius frustra renitendo, de tota re cum summo et detrimento nostro et ludibrio adversariorum periclitandum. Quantum enim praeiudicium Gedanenses suo facto isti rei attulerint, vel ex ipsa portorii auctionis approbatione M.tas V.R. facile intelligit. Et quidem illustrissimus Dux Borusiae exemplum hoc Regium ratione pactorum facile secuturus videbitur. Itaque ut nobis caveremus, et S.R.M.tem, dominum nostrum clementissimum, patronum et propugnatorem huius causae haberemus, providendum hac conditione fuit.

Monuerunt etiam iidem Commissarii generatim, de capitibus privilegii nostri, quia haec complura ac proinde proceribus lecta taediosa essent futura, ut quae a R. M.tis plenitudine ac liberalitate dependerent, ea tantum in Senatu Regni publice proponerentur. Quae vero ex plebiscito et consensu nostro communia essent, peculiari privilegio nostro seorsim comprehenderentur, quorum confirmationem una cum Regio diplomate impetraturos se promittebant ostendebantque ex literis a Secretario Regio Maiori conscriptis, non esse quod a Commissione finita in aulam Regiam D. Orator mox rediret. Velle enim M.tem R. ut Elbingae declarationem Maiestatis suae expectaret, ad quod tempus et quo loco responsum finale esset habiturum. Inde igitur cum Lublino et Levartovia relicta, iter repeteret D. Orator una cum Internunciis nostris, in eodem reditu Illustrissimum et Reverendissimum D. Archiepiscopum, Regni primatem, convenit, ac Celsitudini illius, quam huic Civitati et causae plurimum favere iam ante cognoverat, re omni, ut acta erant, exposita, consilium eiusdem de auctione portorii requisivit, quae sane audita re nihil in ea novi inesse dixit, /

*F. 162 v* addens, se de iisdem articulis fere omnibus ad postulatum prioris Oratoris apud S.R. M.tem egisse, ac si quidem negocium id tam in eiusmodi capita contractum fuisset, iam tum omne perfici potuisse. Eos qui lateri M.tis S.R. adessent, gravioribus occupationibus distineri ostendit, sibi vero negocium hoc tum a Maiestate Regia commissum, et adhuc percognitum esse. Addiderat praeterea sine aliqua portorii praestatione, cum ea ad Reipublicae necessitatem requiratur, causam eam perfici non posse, atque cum universum Regnum concernat, in Comitiis Regiis eam definiri oportere, quemadmodum ea de re Celsitudo sua ad R. M.tem diligenter perscripsit, quae Maiestas Regiam voluntatem suam etiam domino Oratori per Maioris Secretarii literas, in eandem sententiam declaravit, submonens quia Comitia instarent, ut tantisper expectare velit. Denique hoc

M.ti V.R. pro veneratione nostra ignotum esse nolumus, non obscure nos ex Gedanensibus et ex literis ad nos atque articulis quibusdam Anseaticorum, qui nunc Lubeci conventum agunt, cognovisse, quod ad proxima Regni Comitia aut suos nuncios ad M.tem R. missuri, aut scriptis querelas graves allaturi sint, tum de non servatis sibi in Anglia privilegiis, tum de monopolaribus subditorum M.tis V. et inprimis Societatis huius, quae nobiscum est, contractibus. Qua de re, cum et Gedanenses nuper in aula aliqua movissent, M.tas Regia pleniorem informationem de tota ea re desiderarit, fortasse, quod, de quibus a M.te V.R. antea edocta fuit, ea in tanta occupationum publicarum mole illi exciderint. Ideoque cum plurimum referat M.tem Regiam vere atque integre de causa ea ab iis informari, qui harum et non diversarum partium sunt, quorumcunque res agitur, M.tis R.V. exactis- /

*F. 163* simo et benignissimo iudicio, qua par est observantia, permittimus, utrum Oratori suo ea de re mandati aliquid dandum censeat, quo in proximis Comitiis coram omnia M.ti suae in memoriam reducat, et adversariorum, si qui occasionem praebeant, iniquas obtrectationes confutando reprimat, sicque et dignitatem M.tis V. apud principem sapientissimum tueatur, et subditorum illius existimationem ab invidia atque calumnia iniquorum vindicet. Quod quia nobis pro tenuitate nostra non abs re fore videretur, M.tis V.R. voluntati per quam demisse committendum existimavimus.

Ex his igitur cum M.tas V.R. pro sapientia sua singulari facile intelliget, et quid de utriusque Commissionis negociis factum, et quo usque res perducta, et quo loco quaque spe nunc sit, quidque de Anseaticis etiam expectandum, nunc a M.te V. R. quanta veneratione possumus, maiorem in modum petimus, primum, ut quae optimo studio et consilio hactenus, et in his Commissionum negociis, et specialiter de portorii auctione, rebus ita urgentibus, sed certis tamen conditionibus a nobis facta et consensa sunt, ea pro veritate rei ac temporis ratione in partem meliorem accipere, et benignitate sua comprobare dignetur. Deinde ut non minus aequo ac clementi animo, quod restat, quam quod decursum iam est, temporis, ferat, quandoquidem et publicam ac communem utilitatem hic agi, et Reverendissimum dominum Archiepiscopum benigne omnia promittere, studiaque sua deferre, et iam universa ad exitum spectare videantur, neque futurum sit, ut nobilitas Regni hanc Elbingae concessam sibi libertatem eripi patiatur. Denique ut Oratorem suum, qui tam diuturnam absentiae et desiderii suorum molestiam moderatissimo animo fert, et M. V.ae R. benignissima voluntate ac spe optati eventus solatur, in hoc extremo pene amplissimae legationis huius cursu, prosperiore veluti Regiae serenitatis suae aura ad felicem exitum provehat et prosequatur. Cui ipsi etiam et Universi illi Societati nos, quemadmodum non defuimus hactenus, ita nec de caetero ullo studio, opera et labore nostro indefesso, quocunque loco et tempore deerimus, neque eorum, quae ad negocium hoc expediendum pertinere videbuntur, quicquam in nobis desiderari patiemur. Interea M.ti V.R. diuturnam prosperitatem et felicissima inclyti Regni incrementa a Deo Optimo Maximo comprecamur.

Datae Elbingae 14 Novembris die, Anno Christi 1584.
S. M.ti V. R.
humillime addicti
Praeconsules et Consules Regiae Civitatis Elbingensis.

*N. 75.*

*Grenvici, 16 Ianuarii, 1584*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Stephanum regem Poloniae;*
*rogat, ut Anglorum mercatorum sedes Elbingae constitui possit.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 164* Elizabetha etc. Serenissime Princeps, frater, et consanguinee Charissime. Literis perdilecti famuli nostri Joannis Harbert,

Poloniae nostro nomine legati, certiores factae de summa Ser.tis vestrae in nos animi propensione ac benevolentia, tum etiam qu[an]topere elaborarit, ut instituta nuper inter nostros et Elb[ing]enses cives negotiatio publica statuum authoritate confirmaretur, fa[cere] non potuimus quin his literis testaremur hanc Ser.tis vestrae in nos [et] nostros egregiam voluntatem nobis gratissimam contigisse. Ideoque velut Ser.ti vestrae pro tanto in nos studio gratias singulares agimus, ita summopere etiam hortamur, et amice rogamus, ut hoc negotium pro communi utriusque regni utilitate susceptum, quanquam Gedanensium obtrectatione et invidia, ut audimus, impeditum, Regia authoritate ita promoveas, ut ad optatos exitus perducatur. Qua ex re haud dubie non levem Ser.tas vestra laudem et gloriam sibi comparabit, cum illud usquam apparebit nusquam Anglos commerciorum sedem collocasse, qu[in] illa loca copiis auctiora et omnibus opibus locupletiore effecer[int]. Cum igitur in hac mercium et rerum inter subditos nostros communicatione nostraque adeo inter nos amicitiae coniunctione publica utriusque Regni utilitas versetur, quod prioribus literis a Ser.te vestra petivimus, id nunc denuo valde rogamus, ut hanc in Elb[ing]ensi Civitate Commerciorum rationem constitui publica authoritate procures, et per Poloniam late propagari, ne Gedanensium alienis commodis invidentium tergiversatione et astutia impediatur tanta commoditas. Quod Ser.tem vestram pro insita animi singulari prudentia et perspecta in nos benevolentia prompte facturam non dubitamus. Quam Deus Optimus Maximus florentem conservet et incolumem.

Datum Grenovichi die mensis Januarii 16°, 1584, Regni vero nostri XXVII

Vestrae Serenitatis
bona soror et consanguinea
[Elizabetha]

*In dorso:* Ser.mo Principi et potent. ac Domino Stephano Dei gratia Poloniae Regi, Magno Duci Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samaiten [a], Liffandiae Ducique Zevenbergen [b] etc., fratri, consanguineo et amico nostro charissimo.

a) Samogitia
b) Transylvania

*N. 76.*

*Regiomonti, 6 Aprilis, 1585*

*Fridericus de Hohenzollern dux Prussiae *)*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*ad litteras reginae respondet de sua erga religionem catholicam aversione simul ac de fidelitate erga regem Poloniae protestatur.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 166* Serenissima Regina, Potentissima Princeps ac Domina, Consanguinea nostra charissima et plurimum colenda.

Reginalis Serenitatis vestrae in his partibus Orator, generosus Johannes Herbert literas Reginalis Ser.tis vestrae, (in quibus pro nostra erga negotiatores Anglicanos, subditos suos, hucusque declarata humanitate gratias nobis agit; et ut deinceps ad retinendam eam sedem et negotiationis libertatem, quam in Civitate Elbingensi semel collocarunt, et adepti sunt, authoritate, patrocinio, et studio nostro illis adsimus, petit;) ad diem quartam huius mensis nobis reddidit: eadem etiam coram tum de Reginalis Serenitatis vestrae singulari erga nos propensione, et pio erga omnes Germaniae Principes puriori Religioni addictos studio, et amore, necnon ad tuendam contra communem hostem Antichristum, eiusque emissarios Jesuitas, veram religionem zelo luculenter nobis exposuit.

Quod igitur ad Societatem Mercatorum Anglicorum attinet, quae negotiationis suae sedem Elbingae in Urbe nobis vicina sibi delegit, et cum nostris etiam subditis commercia habet, non passi hucusque sumus illis deesse humanitatem, benevolentiam, et patrocinium nostrum, nec unquam a liberis commerciis civium nostrorum eos exclusimus, idque cum aequitatis ipsius, tum pristinae erga Reginalem Serenitatem vestram observantiae /

*F. 166 v* nostrae causa. Et licet graves ad nos ab antiqua illa Civitatum Maritimarum Societate, in qua Civitates etiam nostrae Regiomontanae continentur, querelae delatae sunt, contra privilegia sua, et maiorum morem hanc Elbingensem Anglorum negotiationem introductam esse, seque in Anglia suis privilegiis gaudere non posse; tum etiam dicti cives nostri conquesti sunt se a consueta cum Reginalis Ser.tis vestrae subditis mercatoribus negotiatione ibidem excludi; tamen adduci nos non passi sumus, ut eam qua Elbingae gaudent libertatem illis invideremus, aut quacunque ratione impediremus. Quia vero in potestate atque authoritate Serenissimi Poloniae Regis, domini et affinis nostri colendissimi, positum est, ut ea negotiationis suae sede atque libertate quae Elbingae illis concessa est, diutius et constanter fruantur, in eiusdem Regiae M.tis voluntate consilio et instituto ut nos quoque (salvis tamen pactis) acquiescamus necesse est. Interim portu nostro, quem Elbingam versus transeunt, pro debito portorio, satis quidem nunc exili, sine impedimentis fruentur, commerciis nostrorum uti ante utentur, et a nobis omnem humanitatem, aequitatem, et patrocinium expectabunt. Vicissim autem fore confidimus, ut Reginalis Serenitas vestra pro singulari aequitate et prudentia sua, pactorum conventorum et iurium antiquorum, cum uniuscuiusque tum Civium quoque et /

*F. 167* subditorum nostrorum clementem et dignam aliquando rationem habeat.

Eam Reginalis Serenitatis vestrae erga nos singularem benevolentiam, quam nobis Orator eiusdem praedicavit, et nosmetipsi multis rerum argumentis perspeximus, grato animo complectimur, in eaque tuenda atque conservanda nihil officii, operae, et studii praetermittemus.

Ea etiam Reginalis Serenitatis Vestrae ad tuendam puriorem religionem singularis animi propensio, quam Dominus Orator nobis declaravit, summae nobis voluptati fuit et solatio; nobis vero, qui pietate et religione nostra nihil sanctius, nihilque antiquius habemus, perpetuo curae erit, ut eam verae religionis confessionem, qua a teneris imbuti sumus, et quam maiores nostri authoritate, atque etiam sanguine suo sancitam nobis reliquerunt, cum caeteris Principibus Christianis usque ad extremum etiam vitae nostrae spiritum contra Antichristi tyrannidem illaesam tueamur, conservemus et ad posteritatem quoque transmittamus. Ad quam rem si Reginalis quoque Serenitas Vestra, et inclytum Angliae regnum, authoritatem et constantiam adhibeant, suasque nobiscum vires coniungant, plurimum ad Ecclesiae tranquillitatem et incrementum facturum confidimus. Precamur autem ut Deus Opt. Max. praeclaros hosce Reginalis Serenitatis vestrae conatus fortunet, et ita thronum regni illius /

*F. 167 v* stabiliat, ut idipsum pacatum et tranquillum Successoribus suis totique orbi Christiano relinquere possit.

Quod reliquum est, nos studiaque nostra gratiae, benevolentiae, et favori Reginalis Serenitatis Vestrae reverenter commendamus, eamque prosperrime valere, et diu florentem in pace regnare ex animo optamus.

Ex Arce nostra Regiomontana sexto die Aprilis Anno Domini 1585.

*In dorso:* The copie of [th] Duke of Prus[sia] his lettre to her Ma.tie.

*Alia manu:* Exemplar li[terarum] Ill.mi Ducis [Prussiae] ad Sereniss.

*) *cuius infirmi nomine ducatum ex mandato regis Poloniae administrabat ab anno 1577 Georgius Fridericus de Hohenzollern-Ansbach, elector et marchio Brandenburgiae.*

*N. 77.*

*Steckbourgi, 23 Augusti, 1586*

*Sigismundus haeres Sueciae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*Ioannem a Beltzegk, germanum, commendat.*
*(orig., sigill.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 168* Serenissimae Principi Dominae Elizabethae, Dei gratia Angliae etc. Reginae, consanguineae nostrae charissimae, Sigismundus eadem gratia Suecorum, Gothorum, Wandalorumque futurus Rex et proximus haeres, magnique principatus Finlandiae, Careliae, Wotzshovie et Ingriae, Ruthenorum Estoniaeque, Livonum, necnon Magni Ducatus Lithuaniae proximus

haeres Westrogothorum etc. Dux, Salutem, benevolentiam nostram singularem et rerum omnium felicissimos successus.

Cum praesentium lator, nobilis Joannes a Beltzegk natione Germanus servitio se Maiestatis vestrae omnino addicere statuisset, a nobis submisse et instanter petiit, ut commendationem nostram ad Maiestatem vestram ei impertire vellemus, cui quidem petitioni illius eo facilius annuebamus, quod praeter singularem amicitiam, quam inter Serenissimum parentem nostrum et Maiestatem vestram iamdiu intercedere scimus, etiam testificatam satis voluntatem erga nos Maiestatis vestrae habeamus. Benevole igitur et amice Maiestatem vestram rogamus ut dictum Joannem, de novo servitio Maiestatem vestram adeuntem, vel in numerum servitorum suorum admittere velit, vel si eius opera non indiguerit, litteris suis commendatitiis apud alios principes promovere. Erit id nobis, non modo gratum, quin etiam id ipsum, omni benevolentia et officiis nostris pari vel maiori in re, data occasione vicissim recompensare parati sumus. Interim Deum Opt. Max. praecamur, ut Maiestatem vestram salvam et incolumem conservet. Datum ex arce Stekeburgh XXIII[a] Die mensis Augusti Anno M D LXXX VI

Maiestatis vestrae consanguineus addictissimus
Sigismundus P E H R S. [a)]

a) P[*rinceps*] E[*t*] H[*aeres*] R[*egni*] S[*ueciae*]

*N. 78.*

*Wadsteni, 22 Maii, 1587*

*Sigismundus haeres Sueciae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*Joachimum Scheel, servitorem suum, Hispaniam mari petentem, commendat.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 169* Serenissimae Principi Dominae Elizabethae Angliae, Franciae et Hiberniae Reginae, consanguineae nostrae charissimae. Sigismundus Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Wandalorumque declaratus Rex, et proximus haeres magnique principatus Finlandiae, Careliae, Wotschoviae, et Ingriae, Ruthenorum Estoniaeque, Livonum nec non magni Ducatus Lithuaniae haeres, Westrogothorum Dux, Salutem, benevolentiam omniumque bonorum incrementum atque in rebus gerendis foelicissimos successus.

Serenissima Princeps, consanguinea charissima. Quamvis dedimus huic fideli servitori nostro Joachimo Scheel, quem cum una navi nostra in Hispania ablegavimus, patentes litteras nostras, quibus eum ab omni iniust[iti]a munitum esse confidimus, quia tamen intelleximus bellum illud inter Maiestatem Vestram et Serenissimum Hispaniarum Regem superiori anno inceptum nec dum esse compositum, non abs re fore duximus, si Maiestatem vestram peculiaribus /

*F. 169 v* hisce litteris nostris salutaremus, quod quidem et modo diligenter facimus, amice et peramanter rogantes, ut Maiestas vestra servitoribus suis maritimis, admiraldis, capitaneis et aliis omnibus, quos in expeditionem contra Hispanos habet, serio demandare velit, ne dictum servitorem nostrum impediant, aut suscepta navigatione removeantur, nihil enim mercium secum vehit, unde vel a[r]mari vel confirmari hostis Maiestatis vestrae magnopere possit praeter ligna asseres, malos nauticas, perticas, picem et id genus hominum aliorum dicto servitori nostro tradi fecimus, quaeque fortuna favente secum iterum revehere tenebitur. Si quoque a vento contrario in aliquem portum Maiestatis vestrae delatus fuerit confidimus eum illic sub Maiestatis Vestrae tutela ab omni vi et iniuria cum navi et rebus fore liberum quod ipsum a Maiestate peramanter petimus, qua in re vicissim Maiestati vestrae nos /

*F. 170* gratificari poterimus, id nequaquam intermittemus. Com[m]endantes eam Deo Optimo Maximo simulque eam quam diutissime florentem valere cupientes.

Datum in arce Wadsten, Die XXII Maii Anno M D LXXXVII

Maiestatis Vestrae consanguineus charissimus
Sigismundus
PEHRS [a)]

a) *Cfr. N. praecedentem*

## *N. 79.*

*Elbingae, 1589*

*Christophorus Parkins*
*ad Franciscum Walsingham secretarium regium*
*de conflictu inter oratorem Poloniae et oratorem Hispaniae in Curia Imperiali.*

*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 172* Illustris et Magnifice Domine observandissime, Salutem et gratissima officia. Scripseram nuper ad Illustrem Magnificentiam vestram me ad aulam Poloniae iter instituere antequam in Angliam redirem, idque libenter, quod hac occasione sperarem me cum Regni proceribus mihi benevolis nonnulla collaturum, quae usui forent; neque secus accidit, multa enim de amicitia cum Serenissima Regina Domina nostra san[c]te colenda commemorabant, ita quidem ut ex occasione coram Senatu presenti Rex ipse ore proprio Serenissimae Reginae amicitias suas officiosissime denunciare iuberet, eius vero rationes multis mecum contulit quidam e proceribus, quarum relationem in adventum meum reservo. De Portubus Livoniae et Bello Moscovitico, quod iam in deliberatione pendet, multa interposita: ita quidem ut ubi occasio hic prius incideret, se ad Serenissimam literis prius appellandam offerent, quidvis a nostris — si interim occasio ferat — proponendum, animo ad gratissima officia propenso, accepturi. Unum porro commemoratione dignum ab Illustri et Magnifico D. Castel-

lano Podlassio nomine Regis relatum est ad Serenissimam nostram spectans. Comes ab Ostrorog ad Caesarem Mense Maio ablegatus, ut initium daret conditionis Pacis inter Regem et Domum Austriacam, cum negotium apud Caesarem expedivisset, reliquorum principum Legatos ibi commorantes amicitiæ fovendæ gratia (ut moris est) invisere tentavit, reique cum coeteris ex animi sententia cessit. Tunc Hispaniae Legatus colloquium retractavit, rogatus per nuncium an privata animi alienatione id faceret, an causa officii, respondet se /

*F. 172 v* pro dignitate Regis sui id facere. Siquidem Poloniae Rex literas congratulationis ex Anglia acceperit, atque de clade Regis sui tanquam communis hostis congratulatorias rescripserit, atque earum literarum copias se ex Anglia accepisse et ad Regem suum misisse affirmavit, expectare vero ea de re mandatum Regis sui. Cui Comes: Regem Castiliae (inquit) non decet Regibus Poloniae prescribere velle quas amicitias foveant, proinde quod Rex Poloniae literas congratulationis a Serenissima Regina amicissime acceperit, ad illius Regem hoc nihil pertinere neque vero quod rescripserit. De forma vero literarum dicebat se nihil scire, Serenissimo tamen suo relaturum ac deinde responsurum; interim vero se recordari aiebat sub idem tempus publicam famam fuisse Regem Hispaniae viginti millia Hispanorum in Poloniam pro Maximiliano captivo missurum, quae certe res cum ille, tanquam Legatus, Regem suum non purgaverat, de communis hostilitatis opinione (cum illam saperet) parum pensi illos habere satis edocere videbatur; tandem cum notum hic fuisset literarum formam longe aliam fuisse, ut ex copiis collatis probatum est, hinc per literas bonus ille Legatus monitus fuit, ut deinceps maiori gravitate caveret, ne ex confictis literarum copiis leviter creditis Regalium negotiorum tractationes instituat. Accessit Pontificius Legatus, querebatur Regem Poloniae cum Serenissima nostra communicare, atque ipsius literas titulo defensatricis verae fidei inscriptas fuisse, cui festive responsum est Regum negotia Romanae curiae Cancellis non claudi: ac Serenissimam Reginam nostram /

*F. 173* suam fidem contra quosvis adversarios, quicquid interim de (vera) sit, (qua vox titulo non solet apponi) fortiter defendere et promovere, qua occasione ego quod alias intellexi retuli; in Hispania nempe ante innumeras questionem de hoc titulo ita decisam fuisse, illum nimirum a Pontificibus cum aliorum Principum consensu Coronae Angliae attributum fuisse, et ab ipsa Corona acceptum, neque sine offensione pretermitti posse, donec communi quoque consensu ablatus repudietur.

Caeterum ad iter Angliam iam me accingo, cumque res ita fert ut per boreales ingredi me oras oporteat, volui prius de his Magnificentiam vestram certiorem facere: primo quoque tempore S.M. coram affuturus, interim me ipsius capto in me favori commendo, cui foelicia omnia precor meaque studia promptissima defero.

Datum Elbingae 1589

Illustris Magnificentiae vestrae
servitor amantissimus
Christophorus Parchingus.

*In dorso:* Illustri et Mag.co D.no Francisco Walsingamo a Secretis Consiliis Ser.mae Reginae D.no meo observandissimo.

*Alia manu:* 1589 From Mr. Cristopher Parkinson.

*N. 80.*

*[Elbingae], 16 Maii, 1589*

*Christophorus Parkins*
*ad Franciscum Walsingham*
*de quibusdam litteris reginae Elizabethae.*
*(concepti fragmentum)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

D. Parkins to Sir Francis Walsingham. 16 May 1589

*F. 174* When exhibited, the Quenes letter, he had received such extraordinary entertaynment, as he refused it civilly, being but a letter bearer, to which he had answer that the Quene's Maiesties name were so gratefull as that they would shewe the like unto the meanest.

*N. 81.*

*Elbingae, 6 Septembris, 1589*

*Cives Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*gratias agunt ob litteras, quas regina scripserat a. 1588 ad eorum regem Sigismundum III; ulteriores intercessiones in favorem civitatis Elbingensis petunt.*
*(orig., vest. sigilli)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 175* Serenissima Regina, potentissima Princeps ac Domina, Domina clementissima, S. M.ti V.R. primum quidem incolumitatem et felicitatem ac victoriam adversus hostes illius ac religionis verae omnes diuturnam, cum totius Regni summa tranquillitate a Deo praepotenti precamur, qui uti M.R.V. et inclytum illius Regnum adhuc usque bonitate et potenti dextera sua divinitus propugnavit et tutatus est, ita ut deinceps etiam conservet, et firmet, et ab omni discrimine prohibeat, ex animo optamus.

Deinde vero S.R.M.ti V. magnas gratias eo etiam nomine agimus et debemus, quod literarum suarum auctoritatem apud S.R.M.tem, Dominum nostrum clementissimum, haud gravatim, anno priori interposuit, et concessam et positam semel apud nos subditorum illius negotiantium sedem confirmare vellet. Quas literas M.ti suae R. per clarissimum virum domnum Doctorem Parchingium, M.V.R. subditum, qui multis annis in hoc regno versatus et hominum et rerum omnium noticiam usumque non vulgarem habet, recte reddi curavimus. Neque ingratas fuisse M.ti Suae R. vel ex eo facile cognovimus, quod et V.R. M.s responso suo, et internunciis etiam nostris voluntatem ea de re suam benignissime ostendit, tantummodo quod confirmationem eam tum ad frequentiorem Senatus consultationem reiecit. Qua de re omni M.V.R. Doctor Parchingius istic plenius erudire potest. Quem quod sine literis nostris isthuc abire passi

sumus, cum oblatam subito secundorum ventorum commoditatem de improviso sectaretur, id ne in sinistram partem M.V.R. accipiat, sed festinationi illius tribuat, maiorem in modum, omni cum observantia rogamus. Ac tametsi certo confidamus, M.tem V.R. pro ingenita /

*F. 175 v* clementia et bonitate erga subditos sua, accepta eiusmodi responsi et regiarum literarum declaratione, vel suapte sponte in eam curam et cogitationem descendisse, qua desiderata Residentiae confirmatio tandem obtineatur, usque protrahatur ulterius et quo pacto ac qua ratione iis impedimentis, si quae forte a Senatoribus objicientur, occurri posset: tamen quia in nos etiam ipsi recepimus, promisimusque, nihil studii, sumtus aut operae, quod ad eam rem promovendam pertineat, nos, quoad eius rei fieri posset, praetermissuros, nunc dum paulo altius animo revolvimus, cur Serenissimus Princeps noster ad pleniorem responsionis consultationem, maiorem Senatus Regni frequentiam requirat, eoque rem reiecerit: venit in mentem nobis cogitare id, quod variis circumstantiis et non obscuris quorundam sermonibus in aula animadvertimus, obiectum in nobis, quod periculosum videatur, exteris hominibus, nulla peculiari iurisiurandi fide Regno et Regi huic nostro obstrictis, certam Societatem, in qua pro necessitate rei convenire et consultare eos oporteat concedi, praesertim cum eius rei mentionem etiam priores Commissarii Regii Levartoviae iniecerint, et ius Regium salvum esse voluerint. Quod nobis si objiciatur, quid respondere aut possimus aut debeamus, certe pro tenuitate nostra non videmus. Quapropter cum M.tas V.R. eius rei potestatem sola in suos, et subditorum animos et voluntatem in manu sua habeat, et autoritatem suam pro iisdem facile interponere, ac, si necesse sit, quicquam in diminutionem ac detrimentum Regis aut Regni Poloniae, statuant, neque dubitamus, quin M.V.R. pro sua clementissima propensione suis defutura non sit: per quam humillime rogamus, dignetur harum rerum /

*F. 176* iustam rationem habere, ac provide, quomodo eiusmodi et id genus aliis obiectis et impedimentis occurratur.

Et quoniam penes nos isthaec non sunt, ac vires nostras excedunt, clarissimus autem vir, D. Parchingius, rerum huius Regni et aulae gnarus, operam suam ita deferre nobis visus est, ut si partes ac negocia eiuscemodi in aula nostra committerentur, suscepturum se ea et haud difficulter tuiturum ostenderit: S. M.tis V.R. iudicio et arbitrio clementissimo permittimus, an et quomodo et per quem Serenissimi Regis nostri animum porro tractandum, et in sententiam hanc adducendum, ac contra eiuscemodi obiecta praemuniendum putet. Nobis quidem quominus difficultatis aut remorae in impetranda confirmatione Senioris Residentiae per articulos offerri possit, id non inconsultum fore videtur, ut articuli qui ius Regium concernere dicuntur, a confirmatione generali seiungantur, quod ii utpote a iurisdictionis nostrae potestate dependentes, peculiari sigillo Civitatis nostrae muniri, et quibus convenit communicari possint. Verumtamen de his S.R.M.V. integrum iudicium demisse relinquimus, quam pro debita observantia iterum iterumque humillime rogamus, dignetur porro clementissime autoritate sua praeclare ceptis ad exitum usque perducendis favere, et optatum aliquando finem suum imponere.

Quod reliquum est M.tem V.R. salvam ac florentem inclyto isti Regno et vobis negocioque huic communi perficiendo, quam diutissime superesse

atque a Deo conservari optamus. Datae Elbingae die VI Septembris, Anno Domini M D LXXXIX.

S. M.ti Vestrae R. devinctissimi
Praeconsul et Consules Regiae Civitatis Elbingensis.

*In dorso:* Serenissimae ac Potentissimae Principi ac Dominae Dominae Elizabethae, Dei gratia, Angliae, Franciae, et Hyberniae Reginae, fidei defensatrici etc., Dominae nostrae clementissimae.

*Alia manu:* Letter from the magistrates of Elbing. To undertake for the companie established there, that they shall doe nothinge to the preiudice of the K. of Polande and to the Crowne.

*N. 82.*

*Varsaviae, 6 Aprilis, 1590*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Muradum III sultanum;*
*respondet ad litteras, in quibus sultanus postulat, ut Cosaci pro incursibus in terras Turciae a rege Poloniae puniantur.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 177* Serenissimo ac Potentissimo Principi Domino Sultan Murath, Dei gratia Imperatori maximo Constantinopolitano, Asiae et Europae, Persarum et Arabum, Syriaeque, Aegypti ac Cypri etc. Domino, Amico et vicino nostro charissimo, Sigismundus tertius, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae etc. etc. Salutem et perpetuam felicitatem et nostri mutui amoris continuum incrementum.

Serenissime ac potentissime Princeps Domine, amice et vicine noster charissime. Reddite nobis littere Ser.tis sunt. Summam earum hanc esse intelligimus: non videri Ser.ti vestrae iustam excusationem nostram, quam de Cosacis offeramus: nihil nimirum ab illis nostro aut ordinum regni nostri consilio et autoritate actum esse, ideoque si pacem firmam habere velimus Cosacos primum omnes extirpandos; Musulmannos deinde, qui capti in regno et ditionibus nostris detineantur, restituendos esse: quae per Cosacos destructa sint, reaedificanda, ad extremum certum tributum annuum solvendum a nobis Ser.ti vestrae esse. Tale responsum eo minus a Ser.te vestra expectaveramus, quo magis et maiores nostros Reges Jagiellonios constantissime semper amiciciam cum Ser.te vestra coluisse scimus, et nobis ipsis etiam optimi in Serenitatem vestram animi atque amiciciae conscii sumus; ad maiores sane nostros quod attinet, quanta inter illos et Serenitatis vestrae maiores Serenissimos Imperatores Ottomanicos necessitudo fuerit, poterit Serenitas Vestra ex superiorum temporum monumentis vel a maioribus natu, quos circa se habet, cognoscere: nos quidem ita accepimus cum inter alios maiores nostros, tum maxime Serenitatis vestrae avum laudatissime memorie Sultanum Solymanum et Dominum Sigismundum regem avum nostrum deincepsque avunculum nostrum Dominum Sigismundum Augustum patremque Serenitatis vestrae Sultanum

Selimum tantam coniunctionem fuisse, ut nulla maior esse potuerit. Itaque quamvis ab aliis Principibus Christianis, quod non raro accidit, in societatem belli contra Serenissimam Domum Ottomanicam maioresque Ser.tis vestrae multis premiis propositis vocati essent, tamen non modo nunquam persuadere passi fuerunt, ut contra pristinum foedus atque amiciciam cum Serenissima Domo Ser.tis vestrae quicquam facerent, verum aliorum etiam principum conatus ut minus nocere ei possent, quantum in ipsis erat saepe impediverunt, maluerunt vicinorum principum Christianorum odium atque invidiam in se suscipere quam eam amiciciam atque necessitudinem, quae cum maioribus Ser.tis vestrae eis intercedebat, ulla vel minima re violare. Atque ea quidem maiorum nostrorum in mutua amicicia atque foedere colenda constantia fuit, non /

*F. 177 v* minor vere hisce etiam temporibus, in eadem pace atque amicicia colenda ordinum regni nostri praedecessorisque nostri laudatissime memoriae Stephani Regis et nostra ipsius. Amiciciae enim huius causa non pauci qui aliquid contra eam commisisse dicerentur, ultimo supplicio affecti fuerunt. Eiusdem amiciciae causa, ne ex germanis hostibus Ser.tis vestrae ad regnum aliquis eligeretur, a tot iam annis summo studio maxima pars ordinum regni huius obstiterunt atque gravissimis etiam aliquibus praeliis cum illis dimicarunt: ita ut non modo amicitiam eam nihil ipsi facerent, sed aliorum etiam gravissima in se odia atque inimicicias suscipere eius causa non dubitarent. Quae constantia in amicicia colenda cum ex nostra parte semper praestita sit, an ea quam merebatur benevolentia a Serenitate vestra mutuo pro ea nobis reddatur, Serenitas vestra ipsa consideret, quamque iustum futurum sit, si tot saeculorum amicitia, constantissime semper a nobis maioribusque nostris culta, sine iusta causa a S.te vestra nunc dissolvatur. Propter Cosacos enim si hoc fit, quod sepe iam ostensum est, non modo nostro aut ordinum regni nostri consilio nihil tale ab illis perpetratum esse verissimum est, verum ne in potestate quidem nostra aut ordinum regni nostri eos esse, testis vel ea res esse potest, quae paulo ante mortem Stephani Regis laudatissime memoriae accidit. Cum enim legatum suum ad principem Tartarorum Tauricanorum is misisset, legatum eum, qui inter hostes ipsos iure gentium tutus esse debuisset, nulla vel iuris gentium vel Regiae dignitatis ratione habita, illius ipsum Boristenis, in quo latrocinari solent, aquis Cosaci submerserunt. Praeterea varias inter homines artes et fraudes esse solere pro prudentia sua facile Ser.tas vestra intelligit: non existimet deesse, qui amiciciam, quae inter nos et Serenitatem vestram est, suae cupiditatis et commodi causa, iam dudum turbatam vellent. Ab iisdem Cosacis quoque et eam fortassis maxime ob causam, ut mutuo cum Serenitate vestra nos committerent, concitatos fuisse, si Serenitas vestra id requireret, possemus docere. Quod enim Serenitas vestra suspicari videtur, propterea quod de exitu belli Persici male ominati fuissemus, Cosaccos a nostris in Serenitatis homines concitatos fuisse, id ab ea constancia, qua amiciciam Serenitatis vestrae praedecessores nostri ac nos etiam ipsi semper colendam nobis statuimus, alienissimum est: tantumque abest, ut unquam ab ea amicicia discedere voluerimus, aut ordines nostri voluerint, ut pocius quemadmodum ante ostensum est, aliorum quamvis potentium principum odia, atque inimicicias suscipere eius causa maluerint. Quae cum omnia ita se habeant, ad Cosacos nihilominus puniendos et radicitus extirpandos et ante iam nos obtulimus et nunc etiam si pristinam pacem ratam Serenitas vestra habeat ut plane eos tollamus, vel integro /

*F. 178* exercitu et Campiductore nostro contra eos misso omnem operam dabimus.

De Musulmanis autem quos inquirendos et liberos dimittendos Serenitas vestra scribit vere confirmare Serenitati vestrae possumus, nullum omnino Turcam nos scire qui in Regno nostro aut apud homines nostros captivus detineatur, ut tamen diligenter de iis inquiratur mandabimus. Si aliquis repertus fuerit, ut sine mora restituatur sineque ullo impedimento dimittatur iubebimus. Tributum Serenitatem vestram a nobis postulare, non potuimus certe satis mirari. Ab iis enim postulari fere id solet, cum quibus bello contenderimus, et qui cum bellum gesserint armis victi sint. Maiores nostri nosque ipsi quemadmodum supra demonstravimus, constantissime cum Serenissima Domo Serenitatis vestrae amiciciam coluimus, arma cum Serenitatis vestrae maioribus neque maiores nostri, neque nos cum Serenitate vestra aut hominibus eius unquam contulimus: ac non modo arma nunquam cum ea contulimus, verum cum aliis potius, quemadmodum ostensum est, ob Serenitatis vestrae amiciciam aliquot praeliis, sanguine etiam suo profuso, ordines Regni nostri pugnarunt. Pro hisce igitur officiis id a nobis Serenitas vestra postulat, quod non nisi ab hostibus, et iis qui bello superati sint, postulari solet. Deinde vero tam breve tempus Serenitas Vestra nobis praestituit, ut ne deliberare quidem cum ordinibus nostris de conditionibus ullis possimus. Cum litterae Serenitatis vestrae delatae ad nos fuerunt, iam plus quam unus mensis ex illis duobus, quos nobis praefinivit, elapsus erat, ita ut ne unus quidem mensis integer nobis superesset, intra quem cum latissime regnum nostrum pateat, non modo non deliberare de tam gravibus rebus cum ordinibus nostris, sed ne congregare quidem eos in unum tam brevi spatio possumus.

Nos cum eam inter nos amiciciam ac pacem manere quae inter utriusque nostrum maiores a tot saeculis firmissime culta fuit mallemus, diligenter a Serenitate vestra petimus, ut plus utriusque maiorum nostrorum mutuam benevolentiam quam levissimorum hominum iniurias valere apud se sinat, quarum tamen neque culpa ulla penes nos sit, et ad quos severissime puniendos et extirpandos nos offeramus. Quanta constantia a maioribus nostris amicicia haec omnibus et laetis et adversis temporibus maiorum Serenitatis vestrae culta sit, quanto studio ab ordinibus regni nostri, quanto a nobis ipsis semper conservata sit, Serenitas vestra cogitat.

*F. 178 v* Nos quidem ne ulla in re pristinae amiciciae defuisse aut temere illam neglexisse videamur, maiorem legatum nostrum alium quam primum ad Serenitatem vestram mittere constituimus, qui omnibus de rebus plenius cum Serenitate vestra aget, qua de re iam cum Senatoribus nostris agimus et cum reliquis ordinibus qui per provincias nostras absunt communicabimus, eamque ob causam latorem praesentium internuncium et aulicum nostrum Generosum Joannem Zamoiski ad Serenitatem vestram mittimus, qui maiori legato nostro literas salvi conductus a Serenitate vestra petat. Quas ut Serenitas vestra sine mora dare velit, quo citius maior Legatus noster ad Serenitatem vestram venire possit, neve tot saeculorum amiciciam praepropere aut precipitanter dissolvere Serenitas vestra velit, iterum a Serenitate vestra petimus: speramus Serenitatem vestram cognitis iis et consideratis, quae Maior Legatus noster attulerit, non difficulter satisfieri sibi passuram, Optimamque et prosperamus valetudinem a Deo Opt. Max. Serenitati vestrae precamur.

Datum Varszoviae die VI Aprilis Anno Domini M D XC, Regni nostri Anno tertio

Ex Commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria.

*N. 83.*

*Grenvici, 28 Iulii, 1590*

*Elizabetha regina Angliae* *(vet. st.)*
*ad Sigismundum III Poloniae regem*
*de quadam nave naufragium passa in Anglia.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II. F. 179.*
*Eadem ac epistola iam edita in volumine El. IV, pp. 96-97, N. 53.*

*Lectiones variae sequentes sunt:*

p. 97, lin. 3 admovebatur : Ms. admonebamur
lin. 6 Regia : Ms. Regie
lin. 7 abstulit : Ms. obstulit, *corr. in* obtulit
lin. 27 cessisset : Ms. illo si non cecidisset.

*N. 84.*

*Varsaviae, 12 Augusti, 1590*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*commendans Henricum Franklin.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 181 v.*
*Eadem ac epistola iam edita in volumine El. IV, p. 98, N. 54.*
*Lectio varia:*
p. 98, lin. 16 nolumus : noluimus

*N. 85.*

*Varsaviae, 13 Octobris, 1590*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de panno anglico coemendo et exportando.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B .II, F. 182 v.*
*Eadem epistola iam edita in vol. El. IV, p. 103-4, N. 59.*
*Lectio varia:*
*p. 103, lin. 2 ad calcem paginae,* pesios; *Ms.* pecios.

*N. 86.*

*Elbingae, 30 Octobris, 1591*

*Proconsules et consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de re residentiae anglicae in civitate Elbingensi a rege Poloniae ad comitia Regni remissa.*
*(orig., sigill.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 184* Serenissima Regina, Potentissima Princeps ac domina domina clementissima. Serenitati Vestrae Reginali regnoque illius inclyto prosperitatem et tranquillitatem diuturnam a Deo Optimo Maximo precantes humillime venerationis nostrae studia deferimus.

Ex sermonibus et relatu Generosi et clarissimi viri Domini Parchingii in Angliam feliciter reversi Maiestatem vestram reginalem proculdubio cognovisse confidimus, quidnam ille responsi a Rege et Domino nostro clementissimo e preteritis Regni huius comitiis Warsaviensibus retulerit, et quo pacto ac quatenus Residentiae huius negotium in alium Regni conventum reiectum, et quasi in suspenso relictum fuerit, sic tamen ut vicinis nostris Gedanensibus, qui nihil non contra moliri consueverunt, quoquomodo satis vel gratum saltem fieri videretur.

Interim Lubecenses cum caeteris Anseaticis conventum Lubecae indixerunt, in quo cum inter alia consultationum capita etiam illud ad deliberationem propositum iri cognovissemus, quid nimirum de Stadensibus [a] et Elbingensibus, qui pari conditione et causa habeantur, dum utrique Residentiam Anglicanarum negotiationum colunt, statuendum esset, cepimus tum id consilii, nobisque faciendum esse omnino putavimus, ne quid in nos durius forsan ab ea Societate susciperetur, ut ad Regem et Dominum nostrum clementissimum rem eam statim perscriptam referremus, eiusdemque authoritate et tutela niteremur; Quod ille pro clementia et aequitate sua non modo facile approbavit, sed literarum etiam suarum regiarum authoritatem haud gravatim apud Anseaticos interposuit, eosdem cohortando, ut nihil contra nos suae Maiestatis subditos statuere vellent, sed si quid ipsis controversiae nobiscum intercederet, id potius iure apud Maiestatem suam tanquam Dominum superiorem prosequerentur, ubi neutri parti iustitiae ex aequo administrandae ratio esset defutura.

Verum ad eas ipsas literas regias per certum hominem nostrum recte redditas Lubecenses Maiestati Regiae aliud fere nihil responderunt, quam de conventu per eos /

*F. 184 v* certo loco habendo, in quem consultationes suas collaturi sint. Postea tamen cognovimus eosdem Lubecenses cum caeteris Anseaticis conventum suum Lubecae peregisse, in quo ea de re consilia retulerunt et constituerunt aliquid secretius, remotis etiam secretariis, ne facile spargi posset. Id vero quale sit, necdum potuimus cognoscere, quin tamen sit eiuscemodi quod fortasse et nobis et Societati Anglicanae non satis expediat, subverendum videtur. Quod nunc Maiestati Vestrae Reginali ignotum esse noluimus, dum quid certius et exploratius ea de re habeamus. Tametsi autem offitio nostro, et iis, quae a nobis requiruntur, quoad eius

fieri potest, adiuvante Deo, neutiquam simus defuturi. Tamen cum Regia Maiestas Dominus noster clementissimus hanc ipsam rem ad futura Regni comitia, (quae hac hyeme futura putantur, nisi quid difficultatis intervenerit) terminandam reservavit, ubi et vicini nostri proculdubio, si quid una cum Anseaticis poterunt, nullo studio operae aut impensae parcent. Nunc Maiestatis vestrae Reginalis sapientiae et consilio permittimus, an sub id tempus suam quoque authoritatem in communi ea causa porro adhibendam censerit, ut quod pro muneris nostri ratione onus subituri sumus, Maiestatis vestrae reginalis autoritate suffulti facilius et dexterius sustinere possimus.

Quod superest Maiestatem vestram reginalem felicissime et diutissime vivere omnibusque rebus secundis frui optamus.

Datae Elbingae ultima Octobris Anno Domini 1591

Reginalis Maiestatis vestrae
devinctissimi
Praeconsul et Consules
Regiae Civitatis Elbingensis.

a) *sic in ms.*

*N. 87.*

*Varsaviae, 20 Ianuarii, 1591*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de legatione hispanica inhibita; de residentia anglica in civitate Elbingensi; de libero commercio mercatoribus anglicis in portu Elbingensi, aliisque portibus Poloniae, concesso.*

*(orig., sigill.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II. *)*

*F. 185* Sigismundus III Dei gratia rex Poloniae, magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Livoniae nec non Sueciae proximus haeres et futurus Rex, Serenissimae principi dominae Elizabethae eadem gratia Angliae, Franciae, Hiberniae reginae, sorori nostrae charissimae, Salutem et continuum foelicitatis incrementum.

Serenissima Princeps, soror nostra charissima. Oratorem Serenitatis vestrae Christophorum Perkins ad ea, quae de legatione Hispanica inhibita et damnis subditorum quorumdam nostrorum ad nos deferuntur, copiose respondentem, tum de sede Anglicorum mercatorum Elbingae confirmanda nobiscum agentem, quemadmodum pro mutua nostra cum Serenitate vestra benevolentia debuimus, libenter audivimus. Atque in primo isto negotio tantum certe mutuae amicitiae tribuimus, ut quaevis a subditis nostris, quorum pro munere nostro regio non levis etiam cura habenda nobis est, diligenter hactenus appellemur, ut rationem aliquam indemnitati illorum consulendi suscipiamus, plus tamen hac in re mutua amicitia nostra cum Serenitate vestra quam illorum querelae adhuc apud nos valuerunt. A serenitate vestra tamen ut ipsa quoque et aequitatis et in-

demnitatis illorum eam quam debet rationem habeat, amice et diligenter postulamus.

De altera causa conventus mercatorum Elbingensium, cum non nisi in publicis regni comitiis novum aliquid statui de ea a nobis posset, quominus in hiisce comitiis statutum aliquid a nobis sit, aliarum publicarum deliberationum et gravitate et multitudine factum est. Interim quod a divinae memoriae decessore nostro Stephano Rege tributum iam ante illis est, ut non modo Elbingae sed per omnes ditiones et portus nostros, eo quo ulli alii exteri optimo iure negotiantur, ipsi quoque negocia sua libere exercere possint, ita illis tribuimus, ut ea in re nostram erga se clementiam nunquam desideraturi sint, verum utraque de re plenius scripto responso oratori Serenitatis vestrae lato respondimus. Hasce interim literas mutuae saltem benevolentiae testificandae causa dandas ad Serenitatem vestram existimavimus, de qua si omnia Serenitas vestra exspectavit, quae a coniunctissimo principe expectare possit, non deerimus ulla in re /

*F. 185 v* opinioni huic de nobis Serenitatis vestrae, cui omnium rerum foelices successus a Deo Optimo Maximo hisce precamur.

Datum Varsoviae die XX mensis Januarii Anno Domini M$^{0}$ XCI$^{0}$ regni nostri quarto.

Sigismundus Rex

*) *aliud exemplar in Archivio Gedanensi* (v. WARSCHAUER p. 31).

*N. 88.*

*s.l., 28 Decembris, 1591*

*Summaria litterarum quarundam*
*reginae Elizabethae*
*in Poloniam missarum.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 186-187.*
*Eadem ac illa edita in vol. El. IV, pp. 146-8, N. 101.*

*N. 89.*

*Elbingae, 23 Decembris, 1592*

*Proconsules et consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*pro litteris receptis gratias agunt; referunt de difficultatibus ex parte comitiorum Regni Poloniae ad residentiam anglicam Elbingae instituendam.*
*(orig., sigill.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 188* Serenissima Regina, Potentissima Princeps ac Domina, Domina clementissima. Maiestati vestrae Reginali incolumitatem et prosperitatem

omnem felicissimique Regni inclyti gubernacula a Deo praepotenti exoptantes humillimae venerationis nostrae studia deferimus.

Maiestatis vestrae Reginalis benignissimae ad nos scriptae literae superioribus mensibus recte nobis redditae fuere, ex quibus Maiestas vestra reginalis in responso serenissimi et clementissimi Regis ac Domini nostri prioribus comitiis oratori illius, D. Christophoro Parchingio, de residentiae confirmatione dato, acquiescere, et Domini Stephani decessoris concessione niti, ac suis preterea peculiaribus ad Serenissimum Principem nostrum literis idipsum negotium benignissime prosequi libentissimis animis cognovimus. Qua de re magnas benignitati vestrae reginali gratias agimus et habemus, et in posterum quoque optima sperantes. Caeterum quod responsionem nostram iam pridem debitam adhucusque distulerimus, in causa fere potissimum fuit Conventus Regni huius, a multis non mediocriter desiderati concitata expectatio. Neque enim Maiestati vestrae reginali ignotum vel non auditum esse existimavimus, quid acta aestate hoc in regno de Regiae Maiestatis Domini nostri clementissimi matrimonio cum defuncti Serenissimi Archiducis Caroli Austriaci filia, Anna, inito (quod publice privatimque Deus Optimus Maximus felicissime evenire velit) tractatum, actumque fuerit. Quod tamen priusquam nuptiarum solennibus festivitatibus perageretur, non pauci e Senatorio et equestri ordine, magnae auctoritatis viri, conventum regni haberi et praecedere postularunt; sed dies tum eius conventus certus ad diem 7 mensis Septembris dictus, isque frequens celebratus fuit. In quo etsi non pauca eaque ardua consultationum capita proponi caepta fuissent, attamen propter privatas quasdam adversationum difficultates intervenientes /

*F. 188 v* et ob diversa partium studia, sic impedita et distracta fuerunt, ut tandem omnibus in suspenso relictis, et infectis rebus, conventus ille dissolutus fuerit. Sic factum ut nec de Residentiae nostrae negotio quidquam certi agi potuerit, praeterquam quod Maiestatis vestrae literas internuntii nostri Regiae Maiestati per Procancellarium regni reddendas curarint, quando subolfecissent vicinos nostros aliquid vel Residentiam vel Societatem hanc moliri, et nonnullos de Societate insimulari, audivissent, quod cum portorio regio non satis bona fide agerent, quod tamen nostri excusarunt, et postquam seorsim a Magnifico et Generoso Domino Guilhelmo Polo, qui id temporis in aula regia fuit, secretius submoniti fuissent Regiam Maiestatem de legatis quibusdam ad Maiestatem Vestram in Angliam mittendis cogitare, Gedanensium (ut arbitrabatur) instinctu et rogatu, a quibus et sumptus itineris et magna pecuniae summa propterea expectaretur, sive de Residentia hac Dantiscum transferenda, sive de aliis ad Civitatis illius de civium rationes pertinentibus cum Maiestate vestra Reginali ageretur. Qua tamen de re, si quid erit certi, M.tem vestram R. ab ipso D. Polo maturius et planius cognituram speramus.

Tamen si vel certe spei causae fiant, nihilominus Maiestatem vestram Reginalem pro singulari sapientia et clementia sua facile prospecturam et aestimaturam confidimus, quid de his statuendum et quantum cuique tribuendum sit. Nec dubitamus quin Maiestas vestra reginalis qua clementia et Civitatem et Residentiam hanc confirmato iudicio suo semel complecti dignata est, eadem et de caetero benignissime prosequutura neque de illa voluntate sua ob ullius privatum commodum aut affectum /

*F. 189* quidquam remissura vel immutatura, sed promissae benignitatis suae et nostrae de eadem conceptae fiduciae atque in subditos illius singularis affectus et studii clementissimam rationem habitura sit.

Nos vero etiam, qua ut in Maiestatem vestram reginalem perpetua observantia et in Societatem hanc animo semel esse cepimus, et adhuc usque sumus, eodem deinceps fore, nos nec commodis subditorum illius (quantum in nobis fuerit) defuturos, et concessas eisdem libertates cum civibus communes, pactaque conventa libenter servaturos pollicemur, modo ipsi etiam rebus suis non desint, et circumspectionem omnem adhibeant. Si quid etiam aliquando vel difficultatis vel dubitationis occurret, de eo amice admoniti, aequissimis modis invicem agemus, et rationes nostras requirentibus probare studebimus.

Quod restat Maiestatem vestram Reginalem felicissime et diutissime vivere omnibusque rebus secundis frui optamus.

Datae Elbingae 23 mensis Decembris Anno Domini 1592.

Maiestatis vestrae Reginalis
devinctissimi
Praeconsules et Consules Civitatis Elbingensis.

*In dorso:* Serenissimae et Potentissimae Principi ac Dominae Dominae Elizabethae dei gratia Angliae, Franciae et Hiberniae Reginae, fidei defensatrici etc., Dominae nostrae clementissimae.

*N. 90.*

*Zamoscii, 11 Octobris, 1593*

*Ioannes Zamoyski*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*pro Sigismundo Bathoreo, Transilvaniae principe.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 190* Serenissima Princeps Regina domina domina clementissima.

Amicitia, quae M.ti vestrae cum divo Stephano Rege intercesserat, facit, ut Illustrissimus Princeps Transilvaniae, illius Maiestatis fratris filius, in negotiis suis Maiestatem vestram appellet, ipsiusque auctoritatem requirat. In qua appellanda, me etiam superstitem, et quasi oculatum testem benevolentiae Ser. Stephani Regis erga Maiestatem vestram adhibere voluit. In causa haec sunt. Johannes Sigismundus Princeps Transilvaniae Joannis Regis Hungariae filius, foedus cum Turcarum Imperatore iniit, iis legibus et conditionibus, ut quam diu posteritas eius superesset, Principatu Transilvaniae et oppidis ac locis quibusdam in Hungaria potiretur, si vero deficeret, Transilvani creandi sibi quem vellent Principem arbitrium haberent: idem Joannes Sigismundus, et coeteri Principes Transilvaniae, honorarium munus Imperatoribus Turcarum quotannis darent, atque foedus quidem comiter colerent, legibus tamen suis perpetuis temporibus uterentur ac fruerentur. Eodem tempore termini eiusdem Principatus constituti ac descripti sunt. Iam vero et termini turbantur, et non solum supra formulam foederis, sed etiam supra vires et facultates huic Transilvaniae Principi Sigismundo Batthoraeo a Turcis onera imponuntur. Itaque illustrissimus Princeps Maiestatem vestram rogat, et ego pro ea, quae mihi

cum eius Celsitudine intercedit, affinitate, tum pro meritis Serenissimi Stephani Regis ergo regnum hoc Poloniae, ac erga me, rogo, ut Maiestas vestra autoritatem suam in illa aula interponere velit, ne quid ab illius Celsitudine ultra pristinam /

*F. 190 v* formulam postuletur ac exigatur, neve de finibus ac dicione detrahatur. Magna me spes tenet, Maiestatem vestram pro innata sua humanitate, et pro officio Christianae Reginae, cum res Christiani populi et provinciae agatur, tum etiam propter Stephani Regis gloriosissimi, et sibi amicissimi memoriam, libenter rem suscepturam, et diligentissime procuraturam. Vicissim vero Maiestas vestra ab eius Celsitudine eam observantiam, eaque officia expectabit, quae ab egregiae indolis Christiano Principe proficisci, et praestari debent.

Commendo me in gratiam Maiestatis vestrae utque diu ac bene valeat Deum Precor.

Zamoscio die XI mensis Octobris Anno Domini M D XCIII⁰

S.R. Maiestatis vestrae observandissimus servitor
Joannes Zamoiski
Regni Poloniae Cancellarius et generalis
Capitaneus.

*N. 91.*

*Albae Juliae, 3 Septembris, 1593*

*Sigismundus Bathoreus, princeps Transilvaniae*
*[ad Ioannem Zamoyski]*
*de secretario suo, ad reginam Angliae misso.*
*(orig. sigill.)*
*B.M. Cotton Nero, B. II.*

*F. 191* Illustrissime domine, amice nobis observande.

Etsi nulla nobis cum Dominatione vestra Illustrissima intercedit notitia, quia tamen scimus eam tanta esse humanitate praeditam, ut ignotis etiam hominibus copiam sui facere in more positum habeat, non dubitavimus. Secretario huic nostro Generoso Stephano Kakasio, quem ad Serenissimam Angliae Reginam certis de causis misimus id in mandatis dare, ut eam nomine nostro invisat, salutet, faustaque ei omnia precetur. Quem ut ea audiat, et negotia omnia nostra, que ab eo intellexerit, commendata sibi habeat, ab ea summopere petimus. Daturi nos quoque sumus operam, ut pro eius in nos benevolentia, si praestari aliud ex tam longinquis terris non poterit, saltem optimi erga eam animi voluntate ei satisfaciamus. Cui nos commendantes, omnia leta ac fortunata a Deo precamur.

Datae Albae Juliae, die III Mensis Septembris Anno Domini M D XCIII.

Illustrissimae Dominationis vestrae
amicus
Sigismundus Bathor
Transilvanorum Princeps.

*N. 92.*

*Cracoviae, 21 Martii, 1594*

*Orator Angliae Christophorus Parkins*
*Sigismundo III regi Poloniae*
*dat rationes de interceptione navium Gedanensium.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 192-194.*
*Eadem ac epistola iam edita in vol. El. IV, pp. 166, N. 114, data autem 12 Martii.*

*Lectiones variae:*
*p. 167, lin. 21* irritamentis; incrementum *Ms.*
*lin. 28* addixit; adduxit *Ms.*
*lin. 31* interdictam; interdictum *Ms.*
*lin. 36* Jus belli; idem ius belli *Ms.*
*lin. 49* evenire soleat; evenire plerumque soleat *Ms.*
*p. 168, lin. 6* instantissimam; testatissimam *Ms.*

*N. 93.*

*Cracoviae, 20 Martii, 1595*

*Orator Angliae*
*ad cancellarium et vicecancellarium Poloniae*
*de interceptione navium ab Anglis facta.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero B. II, F. 195-6.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 168-9, N. 115.*

*Lectiones variae:*
Angliae atque Hispaniae ad quos rei huius Iudicium spectat *omittitur in Ms.*

*p. 168 lin. 8 a calce paginae* facile; faeciale *Ms.*

*N. 94.*

*Cracoviae, 20 Martii, 1595*

*Orator Angliae*
*ad cancellarium et vicecancellarium Poloniae*
*petens responsum.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 196 v-7.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, p. 169, N. 116.*

*N. 95.*

*Cracoviae, 10 Aprilis, 1595*

*Orator Angliae*
*ad referendarium Poloniae*
*de responso petito et non dato.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton Nero, B. II, F. 197 v-198.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, p. 169, N. 117.*

*Lectiones variae*

*p. 170 lin. 9* excedunt; excidunt *Ms.*
*lin. 10* Vicicancellario; cum Vicicancellario *Ms.*
*lin. 12* sed ill'; sed ille re non praestita abiit *Ms.*

*N. 96.*

*Stockholmiae, 20 Iulii, 1594*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ab Elizabetha regina Angliae*
*petit satisfactionem pro iniuriis a classiariis illatis.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 198-199.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 156-7, N. 107.*

*Lectiones variae:*

*p. 156 lin. 16 a calce paginae* Watz; Watts, *Ms.*
*lin. 14 a calce* afflictis; afflictis subditis *Ms.*
*lin. 7 a calce* possint; possunt *Ms.*
*lin. 6 a calce* antesignatos; antesignanos *Ms.*
*lin. 3 a calce* evasendi; evadendi *Ms.*
*p. 157 lin. 2* hominibus; hominibus usus *Ms.*
*lin. 4* Sueciae; Sueviae *Ms.*

*N. 97.*

*S.l. 16 Martii, 1594*

*David Pope, civis Gedanensis*
*ad episcopum [vicecancellarium Poloniae]*
*de modo operandi piratarum anglicorum.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero B. II, F. 200-201 v.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 153-4, N. 105.*

*Lectiones variae:*

*p. 153, in titulo,* s.l., s.d.; 16 Martii, 1594 *Ms.*
*lin. 4 a calce paginae,* Thalissiarchus; Thalassiarcus *Ms.*
*p. 154, lin. 9* mercatores; mercatura *Ms.*
*lin. 11* atque; eaque *Ms.*
*lin. 33* Sunch; Suth[ampton] *Ms.*

*N. 98.*

*Londini, 16 Martii, 1594*

*Christophorus Parkins*
*ad David Pope;*
*respondet de damnis ab eodem passis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 202-203 v.*
*Eadem epistola edita in vol. El. IV, pp. 155-156, N. 106.*

*Lectiones variae:*

*p. 155 lin. 17* crescit; crescat *Ms.*
*lin. 33* ad; id *Ms.*
*p. 156 lin. 2* proferantur; proferantur illi *Ms.*
*lin. 9* amplius; amplius sibi *Ms.*

*N. 99.*

[*Cracoviae*], *1 Aprilis, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad vicecancellarium Poloniae*
*de navibus anglicis a Polonis captis deque inhibita exportatione frumenti polonici in Hispaniam.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 204* A letter of Doctor Parkinson to the Vicechancellor of Polland concerninge the Kings answer.

Reverendissime Domine, cum extrema legationis meae expeditio Reverendissimae D. V. demandata fuerit, ne quid ex mea parte desiderandum relinquatur cum per inopinatum hic discessum vestrum aliter non liceat, literis saltem hisce eandem concludendam judicavi. Summa igitur propositionis meae hec fuit: studium conservandae utrinque amicitiae expectari, eo nimirum effectu, ut Anglis more pristino libera istic negotiatio permittatur, non obstantibus novis querelis ac mandati editione.

Querelas vero illas nullo idoneo fundamento niti: cum ad eorum restitutionem institutae illae fuerint, quae iure belli intercepta, ac publico iudicio ex allegatis et probatis fisco militari legitime commissa fuisse noscuntur. Horum vero rationes tum verbo tum scripto non semel declaravi, quarum quidem rationum haec summa fuit. Acta nempe classiariorum quatenus commeatum et presidia bellica ad hostes destinata intercipiunt, iure ac consuetudine niti. Jure quidem, cum de iure belli omnium consensu existimetur, quod fini ac intentioni /

*F. 204 v* belli recte constituto, debitis circumstantiis proportionatum

reperitur. Belli vero proximus finis idem apud omnes fuit, nos nimirum nostraque tueri, Hostes laedere atque emendare. Quantopere autem huc spectet commeatus ac praesidiorum bellicorum interceptio, res ipsa docet. Eo enim hostes debiliores fiunt, quo minus ad nos laedendos valeant; eademque non parum affligi solent qui aut ad pacis cogitationes impellantur, aut obstinatiores facti leviori negotio coerceantur. Est igitur de jure belli commeatus ac praesidiorum ad hostes destinatorum interceptio. Quid autem hac in re consuetudo habeat (ut remota omittamus), ex propriis ac vicinorum vestrorum actis facile constare potest. Sigismundus Augustus Rex nuper Poloniae, Johannes ac Fredericus postremi Sweciae ac Daniae Reges, tempore belli Moscovitici Swetici ac Danici Anglorum naves plurimas quocunque bonorum genere onustas, eo tantum nomine quod ad hostes destinabantur interceperunt, captaque omnia nullo rerum delectu fisco adduxerunt. Huius vero rei probationes.

*F. 205* si desideretis, scriptis facile authenticis mandabuntur, sed hisce aliisque allatis rationibus nihil hactenus responsum video. Mihi quidem tradita fuit Davidis Pope supplicatio; ego vero ita in scriptis respondi, ut nihil deinde obiectum intellexerim. In disceptatione, Regis voluntate instituta, ad singula ex praehabitis fundamentis satis superque respondi. Tandem ad responsum legationis ventum est, id autem verbo tantum fiebat: neque (ut moris alioquin est) scripto tradebatur, qua de re Jure optimo conquestus sum, atque cum verba facile excidunt, ac varios sensus patiuntur, responsi noticiam scriptis mihi fieri postulavi. Sed obiectum fuit Serenissimae Reginae literas statum negotii expressum continuisse, eaque de causa literis tantum clausis responsum remittendum, in scriptis tamen responsum noticiam me habiturum, dato ad id regiarum literarum exemplari. Verum cum Serenissima Regina mihi ut oratori, cui rerum tractationem commisit, fidem haberi per literas suas petierit, eo ipso aliis quibuscunque /

*F. 205 v* appositis aut omissis fiebat, ut responsum petentibus tradendum merito expectarim et petierim, quo negato praeter morem aliquid actum existimem necesse est.

Ad regiarum exemplar quod attinet, eae quidem ita scriptae sunt, ut quae disceptationi nostrae intervenerunt, aut non satis intellecta, aut consulto oblivioni tradita videantur: iisdem enim mentio fit de frumentorum, in quibus Nobilitatis proventus consistunt, exportatione prohibita: Cum tamen de exportatione ex hoc Regno non agatur, sed tantum de importatione in Hispaniam, quam Serenissima Regina iure suo aut Belli potius necessitate coacta inhibet. Ubi enim belli rationes postulant, solent iure optimo qui bella gerunt, commeatum hostibus omnibus modis preripere: neque agris neque horreis, quae hostium usui alioquin cedant, quorumcunque tandem illa fuerint, parcunt, quin omnia potius igne consumunt, quam in hostium usus veniant. Ea enim ratione, et se tuentur, atque hostes debilitant.

*F. 206* Exportentur frumenta quo libet, suis Nobilitas proventibus fruatur, tantum ne hostibus vires inde praebeantur Serenissima Regina iure suo caveat: quae quidem res nulli gravis videri debet, presertim cum rationes aliae frumenta distrahendi non desint. Fit praeterea iisdem literis mentio subditos Poloniae iure suo uti, quo ante bellum consueverunt.

Mare jure Gentium liberum non esse violandum. Frumentis domum potius quam bellum instrui. Non facere illum iniuriam alicui qui iure suo utitur, sed qui uti eo alium prohibet. Sed haec in disceptatione nostra satis excussa fuerunt. Ita enim pacis bellique status inter se dissident, ut quod tempore pacis liceat, belli interventu illicitum reddatur; exemplo sit Militum atque armorum transportatio. Neque vero belli urgente occasione, loci cuiuspiam usus sive proprius, sive liber sive alienus ille fuerit, ad actus saltem Martiales bellantibus interdicitur: quo quidem Jure vos ipsi tam nuper usi estis Exercitum enim Maximiliani interdicitur; /

*F. 206 v* extra fines vestros aggressi estis, fudistis, necastis, ipsumque Maximilianum ex alieno fundo captivum reduxistis. Domi preterea bellique pariter comeditur, domus igitur atque Bellum commeatu perinde instruitur. Quae vero adduntur (iniuriam nimirum in eo esse, quod quis iure suo utatur, sed quod uti prohibet), ea sunt, ut institutum Serenissimae Reginae plurimum confirment. De iure enim bellantium est hostibus inter caetera etiam commeatum subtrahere. Interim vero de iure nullius esse potest, ut eundem tuto praebeat, quin potius uti complices hostium quodam modo se faciunt, qui hostibus eo in genere moniti ac requisiti ne id faciant succurrere satagunt. Atque in eo maxime iniuria fieret, si bellanti interdicitur ne commeatum hosti (quod de ipsius iure est) intercipiat. Haec pene in disceptatione nostra acta sunt, quo id evenit, ut vestrum quidam, de belli iure veluti diffidens, ad tractatum Traiectensem /

*F. 207* atque ad Hansae Privilegia rem revocandam iudicarit, quibus tandem consideratis scripta haec neque cum rebus ipsis, neque cum actis satis coherere videntur.

Suspenditur tandem Mandati executio, sed aliquod tempus indefinite. [a] Ego vero temporis huius definitionem nunquam petam, cum sciam nullo unquam tempore restitutionem Jure belli interceptorum debitam fore: quamobrem de eadem facienda Serenissima Regina neque hactenus legitime moneri potuit, neque deinceps poterit. Quamobrem cum rerum momenta reversa desint, ab iis omnino desistendum fuerit, quae amicitiam Principum nostrorum laedant ac mutuam rerum perturbationem non levem inferant; iis enim, qui in officio sunt, parum honorificum semper habitum fuit, quorum tempore rerum perturbationes incidunt, maxime cum ex causis non evidentissimis illae inciderint.

Caeterum quod res in Poloniae subditos plane definita a vobis non sit, ac de frumentis commodius distrahendis etiam contra ius belli ratio quaeratur, donari fortassis id /

*F. 207 v* nobis poterit; hoc ipsum tamen, cum firmae rationes vobis desint, ita exponi oportuisset, ut Jure quod Serenissimae Reginae ex acceptis belli rationibus competit, nihil detractum videretur. Sed ut res sit, ego quidem quantum in me fuerit, rebus in meliorem partem ad amicitiam conservandam expositis, Serenissimae Reginae Dominae meae clementissimae omnia iudicanda relinquam ac Reverendissimam D. V. oratam velim, ut pacis ac Amicitiae inter Principes nostros conservandae studium una mecum colat, meque sui amantissimum amet. Atque si quid in Anglia cupiat, me semper ad gratificandum pro virili paratissimum R. D. V. existimet. Cui interim foelicia omnia a Deo Opt. Max. precor meaque officia diligenter commendo.

Datae Cracovia primo Aprilis 1595.

a) *sic in ms.*

*N. 100.*

*Cracoviae, 2 Aprilis, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad mercatores anglicos apud Elbingam*
*de concessione regia circa edictum Elizabethae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 208-208 v.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 164-5, N. 112.*
*In margine:* 21 Aprilis 1595.

*Lectiones variae:*
*p. 165, lin. 3* Leydenston, Barchmann *Ms.*
*iln. 4* concede; concluded *Ms.*

*N. 101.*

*s.l. 2 Iulii, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de aucta Summi Pontificis [Clementis VIII]*
*auctoritate in Polonia.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 208 v* Doctor Parkins to the right honourable Sir Robert Cecill. 2 July 1595.

The state of Polland is become verie servile to the Pope. The Popes legate and his faction have ben verie busy with odious rumours and otherwise to work some discontent to her Majestie both in generall and in especiall concerning his present messadge, yet the intent of the ymployment in some good sort performed. By the mocion of the legate and the faction. The Pope himself hath ben extraordinarielie busy before his departure out of the Countrey.

*N. 102.*

*s.l. 7 Iulii, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de difficultatibus, quas in Curia Poloniae habet;*
*remedia proponit.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 209* VII$^{0}$ Julii 1595. Doctor Parkins to the right Hon. Sir Robert Cecill.

Right honorable Sir, though I understand both by her Majesties

gracious speech and alsoe by your relation that her highnes is fullie satisfied with my negotiation in Polland, yet not with the Kings letter wherewith att the first sight I was alsoe verie much greeved, I thought it requisit to certify more at larg of the delivery and receipt of the same. The Parliament being broken of for Statute Actions yet proroged for the dispatch of forraine causes, wherewith there were diverse Senatours appointed to assist the king, the answering of her Majesties lettre was the last of all their doings. The which being performed, the same daie the parliament was throughlie broken upp, and everie Senator went his waie. Then uppon occasion requiring to have knowledge of my answere in writing, I received such answere of the king that I could deale noe furder with him. And some three daies after, a servant of myne, whom I had sent with lettres after the Vicechancellor, returning brought a coppy of the /

*F. 209 v* kings lettre when I could have noe present remedie of yt. Wherefore I signified presentlie it was noe lettre for me to deliver and therefore wold I take the matter to farther deliberation. Wherein at the length I concluded that forasmuch as I had in some sort obtained my purpose, it was not convenient for me to move furder with perill of indignacion, and trouble of the cause, till I had farther advice. And alsoe that yt could not be amisse, to bring the lettre with me, not to be accepted of but as testimonie of things past, soe that in this report yt maie seeme I have don what might be convenient in suche case.

Furdermore I perceived by her Majesties speech yt was her highenes pleasure I should devise with your honor of theis three things following: First how to keepe things in quiett with her Majesties dignitie, defending the king from that advantage which he maie seeme by his lettres to have conceived. /

*F. 210* 2. How to requoile the Romish faction (whereof your Honor is yet farther to be enformed) with meanes to further the reclayminge of that king.

3. How to shew some wel ordered favor for the relieving of Transylvania and the Battories. I am now thinking of the premisses and wilbe readie to confer of them with your honor as you shall appoint tyme and place. And thus far.

*N. 103.*

*s.l. 17 Iulii, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de exportatione frumenti ex Polonia in Hispaniam.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 210* Doctor Parkins to the Right Honorable Sir Robert Cecill.
7 July, 1595.

Right honorable Sir, I signified to you by lettres the 7th of this instant that I took it to be her Majesties pleasure I should among other things uppon conference with you Conceive of some convenient meanes to kepe

things in quiet in Polonia with her highnes dignitie, and noe disadvantage, as alsoe to shew some favor to the Batthories of Transylvania.

Concerning Polish matters, supposing that her Majestie will the inhibition of bearinge corne to Spaigne shall /

*F. 210 v* stand, I have drawne a lettre to be sent from her Majestie to that king, ordered agreeable to her highnes and your Honor's speech with me. I have written also to the Vicechancellor with date from Elbing with intent to send him againe the kings lettre which I received for her Majestie. And whereas I make mencion of English mens losse by Poland and Swethen in tyme of their warrs, I think it wold doe well that Commandment were geven to the merchants that they geve in writing all the particulers of losse, damadge, iniuries and interest that they can know of. I have written also a lettre to the Batthories, the which all I send your honor here enclosed, as left to her Majestie and your Honors Censure wherein dispatch wilbe convenient.

*N. 104.*

*s.l., 15 Novembris, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de rebus Transilvaniae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*F. 211* Doctor Parkins to the Right Hon. Sir Robert Cecill.
15 November 1595.

Letters received from the Batthories. The Cardinal and Earle Stephen doe their reverence to her Majestie beseechinge her to have pittie on their afflicted Transilvan[i]a. They humbly sue to her Majestie to geve order to her Embassador to learne out the Turks intencion towards Transilvan[i]a. Yf he finde him in purpose to revenge, they beseech her for her good affiction to Christendome, to conserve the same. Commendacions of Earle Stephen, who wilbe readie to come in presence and sue for the same if it should be liked.

*N. 105.*

*s.l., 19 Novembris, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de eadem re.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 211* Doctor Parkins to the Right Hon. Sir Robert Cecil.
19 November, 1595.

The Batthories being in warr with the house of Austria sue to her Majestie that by her protection yt maie be kept Christian, yet not Austrian but newtrall, offering therunto some yerelie tribute as both the brothers to him in speech declared.

*N. 106.*

*s.l. 4 Decembris, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de eadem re.*
*(exemplar)*

*F. 211 v* 4 December 1595

Right honorable Sir, Conferring the last Italian reporte which the Earle Stephen his letters unto me [enclosed?], I doe crediblie coniecture that Syvan Bassa now setled to winter in Moldavia, since the Chancellor of Polland, with whom the Batthories, the Earle Stephen and his brother, the Cardinall, had ben of late in the same province, departed thence, is inclyned to favor thearle Stephen his suite, and that he staieth here of purpose in the borders of Transilvania to sett uppon it with the first Season of the fore yeare. What the prince of Transilvania can doe now, as it is lik destitute of money, and how he maie be aided in the tyme of the Austrians it is verie doubtfull. And for that the Earle Stephen, since his returne from Moldavia and from the Chancellor assisted by his brother the Cardinall, hath by his last letter renewed his suit to her Majestie for her princely intercession /

*F. 212* I think it is done by General Consent and the matter not unlikely to be effected, soe that their suite being verie reasonable as leading to provid for an extremitie. Concerninge the good of Christendome, yf it be altogether neglected, it maie be cause of some alienacion of mynde in them whose frendshipp in their good event is to be well esteemed of.

*N. 107.*

*Elbingae, 28 Maii, 1595*

*Orator Angliae Christophorus Parkins*
*ad vicecancellarium Poloniae*
*conqueritur de litteris regis Poloniae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 214-217.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 171-3, N. 119.*

*N. 108.*

*Grenvici, 15 Iulii, 1595.*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum III regem Poloniae*
*de damnis subditorum regis sarciendis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 217-219.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 175-7, N. 121.*

*N. 109.*

*Londini, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de rebus gestis in Polonia.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B.B. II, F. 220-223.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 177-182, N. 122.*

*N. 110.*

*Constantinopoli, 10 Februarii, 1596*

*Legatus anglicus*
*ad Ioannem Zamoyski, cancellarium Poloniae;*
*suadet ut amicitia servetur cum Anglia et Gallia, cumque sultano; dissuadet concordiam cum Hispania et Austria.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 224* Magnifico Signore Osservandissimo. Vien referito a questa gran Porta, che il Re di Spagna continuando tuttavia li suoi antichi dissegni contra il christianesmo, e suoi buoni vicini christiani, habbia mandato un suo Ambassiatore alla Magesta Serenissima di Pollonia, per essortarla alla sua devotione, e intrare in lega con esso contra la Serenissima Regina d'Inghilterra, mia clementissima D.na, et il Christianissimo Re di Franza, Impresa veramenta che suona tanto in disgusto d'ogni buon christiano, quanto che è in offesa a questa Porta. Et perche la Serenissima mia D-na non potra forse fin qui havere di cio noticia, e per lincomodita del verno non potra sopra quello spedire persona degna a sua Magesta Serenissima, a me come ministro divoto della una et altra Magesta, é parso espediente in cio far alcune dimostracioni, qualli colla prudenza e desterita di V.S. Illustrissima meglio formate e regolate, spero alla Magesta Serenissima e inclito Senato di Pollonia sarano per ben publico de christianesmo e utile privato di quel Regno, di debito, credito et considerazione.

La prima sara dirli, che l'amicitia della Serenissima mia D-na è stata tanta firma e sincera verso quel regno et inclito Senato, che mai è occorso minima occasione di disgusto, altresi si puo affirmare della particolare affettione sua verso il Serenissimo Re et suoi antecessori Re di Pollonia et Suetia, colli quali ha sempre tenuta buona corrispondenza d'amore, si che li Principi di quelli duoi regni, fin a questa hora hanno riputato la Serenissima Magesta in catalogo delli piu intimi amici, e nel presente e per il futuro debbino sopradetta amicitia far mag[g]ior capitale, atteso che il comercio delli sudditi del un e l'altro regno habia di rendere l'animi loro piu corrispondenti, qual non si puo sperare di Spagna, si perche é di

luogho piu distante, si anche perche la superba natura Spagnola dalla Pollaca é molto differente, tal che consigliare la Magesta del Re Serenissimo lasciare l'amicitia vechia, utile della Serenissima mia potentissima per amicitia nuova disutile di Spagna, sarebbe gran pregiudicio de lo stato, non voglio dire e dishonore del regno Pollaco.

La seconda e non minore è il respetto che si deve havere /

*F. 224 v* alla amicitia antica con Franzia, muta e stabilita da fraternal amore, e quantonque solum paternum sia stato causa di qualche piccolo disgusto, tuttavia l'affettione e osservanza delli Francesi verso gli Pollachi resta tale, che per magior gloria loro si chiamono mezo Pollachi.

La terza voglio fondare sull prudente e pollitico governo del Senato Pollaco quasi admirabile, che intornato d'ogni parte di guerra, vive tuttavia in reposo; gode la sua intrada con infinito contento, e altri spendono piu, che non li entra con infiniti fastidii: resta sicuro del poter inimico, altri piu che Impauriti della inimica spada: in fin resta amato, e riverito da tutti i Principi, perche mai habbi volsuto a torto intimare guerra alli Principi vicini, ne rompere amicitia colli Principi amici del suo Regno, quantunque discosti senza giustissima causa, tenendo per colonna principale del suo sicuro stato, la generale conservatione d'amicitia con tutti suoi benevoli.

La quarta sara il disgusto che ne havera il gran signore e suoi ministri, a quali havendo fatto la Magesta del Serenissimo promesso di restare amico delli suoi amici, et inimico delli suoi inimici, e altresi il gran signore a sua Magesta intrare adesso in legua con Spagna, contra l'amici antichi di quel regno, sera a costoro di grandissimo dispiacere e discontento, e quantunque forse per li presenti disturbi, non farano in cio aperta dimostratione, tuttavia si se pacifica il Tartar Han con questa Porta gli sfrenati Tartari saranno sotto mani licentiati da fare su li confini di Pollonia le solite incursioni, e nel intrinseco di questi sara sempre reservato una cativa Impressione.

La quinta sara fondata sull'istesso natura, qual pare habbia fatto gran discrepanza, tanto nella complessione quanto nelli costumi delli /

*F. 225* Pollachi e Spagnoli, quel conservatore del suo, questo usurpatore di quel d'altri; quel sincero, questo doppio, quel amorevole, questo arrogante, quel favorevole, a suoi collegati, questo crudele a quelli che non sofferiscono il suo servile iugo, quel amico vero per corrispondenza d'amore, questo amico finto per suoi privati disegni: In fin, austriaco, emolo di quel regno, nimico della sua liberta, et chi per disegno e utile suo, non per beneficio del regno di Pollonia, cerca fare questa mascarata: dove al contrario la Serenissima Magesta e la Magesta Christianissima di Franza offeriscono il puro zelo senza machia, l'animo sincero senza fraude, e sempiterna amicitia senza sospetto: per la conservatione della quale supplico V.S. Illustrissima esser buon mezano appresso la Magesta del Serenissimo suo Re, e inclito Senato di Pollonia, e se assecuri che tal sua opera a Dio sara grata, al Serenissimo suo Re honorata, al Regno di Pollonia utile, e a tutti buoni christiani, con la sempiterna lode de V.S. Illustr. applausa, e Io in perticolare antico suo divoto a V.S. Illustr. desiderero il colmo d'honore e fellicita.

*In dorso:* The Coppie of a lettre sent to the Chancellor of Pouland the 10 February 1596.

*N. 111.*

*Londini, 1597*

*Paulus Działyński*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de libera navigatione tempore belli.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 226-228.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 192-5, N. 131.*

*N. 112.*

[*Londini, c. 25 Iulii, 1597*]

*Consiliarii* [*Elizabethae reginae Angliae*]
*ad* [*Georgium*] *Lismanum*
*de mercatoribus civitatum Hanseaticarum, de residentia anglica Elbingae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 228 v* Responsio ad D. Lismanum

Quanquam Serenissima Angliae Regina, domina nostra clementissima, in presentiarum magnam causam habet existimandi parum honorifice et civiliter secum actum esse, a nonnullis Civitatibus Hansaticis, quod eodem ipso tempore, quo Dominus Lismanus in hoc Regnum missus est, sub praetextu proponendi nonnulla, eaedem Civitates subreptitie procurarint a Cesarea Maiestate rescriptum proscriptionis et exterminationis ex Imperio Societatis Mercatorum adventurariorum Angliae Stodae residentium: et idcirco suspectam haberi possit negotiationem Domini Lismani, qui cum nullo speciali aut sufficienti mandato advenit. Tamen cum a consiliariis Maiestatis Suae ad ipsum relatum sit, Dominum Lismanum polliticum esse, si modo aliquae rationabiles conditiones ipsi nomine Civitatum Hansaticarum offerri possent, se effecturum ut mandatum Caesareum non mittatur in executionem, et ut Legati huc a Civitatibus Hansaticis mittantur, qui sufficientem authoritatem habentes, cum Commissariis a M.te sua deputandis, tractare et transigere poterunt de Veteribus et novis Controversiis componendis, Ser.ma Maiestas sua mandavit, ut ista praedicta Domino Lismano nomine suo significarentur. /

*F. 229* Primum Serenissima Maiestas sua, intellectis et perpensis omnibus ac singulis mandati Caesarei partibus, non diffidit se posse de jure et aequitate omnia Hansaticorum obiecta refellere, sed responsum suum distulit publicare, non quod ipsa de jure suo aliquo modo dubitet, sed ne per responsi sui publicationem maius aliquod praeiudicium ipsis Civitatibus Hansaticis fieret.

Quantum ad Domini Lismanni petitionem attinet, de recusandis decretis iam antea contra Hansaticos in Anglia factis: notorie constat initium istorum decretorum et inhibitionum ab Hansaticis, non autem a Serenissima Maiestate sua processisse: Cum continuatio residentiae Hamburgensis Mercatoribus Angliae denegaretur, et assereretur Lubecae in conventu Hansaticorum interdictum fuisse, ne ea consideretur, sed ut post

certum diem constitutum aliter Anglis negotiari non liceret, quam ut peregrinis. Deinde subsecutum est secundum Hansaticorum decretum de incremento Vectigalium, videlicet septimae partis cum dimidio in singulis centum: quod quidem postea recusatum fuit, non tam in Anglorum gratiam, quam quod juri Civili scripto et constitutionibus Imperii plane adversantur.

At Serenissima Maiestas Sua vere assere[re] potest, nunquam sibi hactenus constitisse illud primum Hansaticorum /

*F. 229 v* decretum contra residentiam Mercatorum Anglorum sublatum esse. Ideoque in sublatione decretorum suorum, ut Hansatici pro peregrinis in Anglia haberentur, fuit difficilior, expectans ut non in parte sed in toto decreta ab Hansaticis prius recusarentur, qui prius ea contra Anglorum negotiationem fecerant. Et quicquid praetendatur in contrarium, Maiestas Sua existimat ex rescripto Caesareo evinci posse illud primum decretum nondum esse sublatum. Proinde nulla ratio erat, ut id a S. Maiestate exigeretur, quod ipsi Hansatici prius decretorum latores prestare vel noluerunt vel distulerunt.

Post discessum Domini Lismanni, qui cum Domino Johanne Shult Senatore Hamburgensi, legatus ab Hansaticis ante annos duodecim missus erat, ipsorum collega Aldermannus Stilliardanus nunc defunctus, spem certam fecit, talem residentiam Hamburgi concessum iri, litterae produci possunt Senatus Hamburgensis, qui tantumdem promisit sub tolerabilibus conditionibus. Ad eorum requisitionem legati missi sunt, sub indubitata spe totum negotium transactum iri. Sed ludibrio habiti, et re infecta reversi sunt, nihil quicquam eorum obtinentes, quae ab ipsis Hamburgensibus et Aldermanno erant promissa. Itaque Serenissima Maiestas Sua recusavit saepius aures praebere, et Domini Lismanni et aliorum petitionibus, pro abrogatione /

*F. 230* decretorum in Anglia, nisi prius certo sibi constare possit Hansaticorum decreta sublata esse, ne denuo deciperetur.

Nihilo minus ut appareat quam clementer Serenissima Maiestas in hac causa affecta sit, iterum contenta est experiri an lenitate et benignitate sua qui[c]quam apud Hansaticos proficere possit. Itaque prout saepius ante ipsis obtulit, et nunc contenta est, per annum integrum decreta, quae in Anglia abrogari desiderantur, suspendere, et concedere Hansaticis exportationem convenientis numeri pannorum alborum, ac etiam restituere eos pari libertate quoad negotiationes cum naturalibus regni Subditis: si ante festum Paschae a societate Hansatica certior fieri poterit, eos primum decretum contra Anglorum residentiam factam penitus abrogasse et quod pendente colloquio procurabunt revocationem vel suspensionem decreti Caesarei, neque quicquam attentabunt in praeiudicium residentiarum quae antehac Stadae et Elbingae Mercatoribus Anglis concessae sunt: sub hac tantum conditione, quod Hansatici, qui beneficio istius novae concessionis, pro anno futuro fruentur, non deferent ex hoc regno pannos in aliquem alium locum, cis fretum Danicum quam in urbem Stadam, prout ipsi Mercatores Angliae facient, et trans illud Elbingam et non ad alium ullum locum, donec aliter conventum fuerit.

*F. 230 v* Interim licebit Hansaticis in Angliam Legatos mittere cum sufficientibus et plenis mandatis, cum quibus de toto negotio praetentorum privilegiorum et decretorum tractari possit. Et Maiestas Sua, quae cupida semper fuit continuandae veteris amicitiae, invita ad ista decreta ipsorum

exemplo pertracta est; pollicetur se ipsis nil denegaturam quod de iure (rebus suis salvis) requiri possit. Quod vero ad inhibitionem attinet navigationis in Hispaniam et Lusitaniam cum mercibus prohibitis, Maiestas sua putat Hansaticas nullam iustam haberi conquerendi occasionem. Praemoniti enim erant de periculo, in quod se volentes coniecerant.

In veteribus ipsorum privilegiis expresse cautum erat, ne merces suas deferrent ad notorios Regni hostes. Et diu post concessa privilegia, ostendi potest Hansaticos reges Angliae in bellis suis contra Francorum reges iuvasse, non autem ad hostes comeasse. Neque hic modus procedendi in casu belli et hostilitatis debet videri novus, cum et in scriptum id permittat, et eius plurima exempla similia commonstrari possint. Imperatorum Regum et ipsarum civitatum Hansaticarum, e quibus apparebit subditos M-tis suae maiora sustinuisse damna quam Hansatici ullo modo vendicare possint. Et inter illas contra subditos M-ti suae actiones, et modo procedendi quo Ser. M-tas sua usa est erga Hansaticos, hoc reperietur discrimen, quod in multis nulla data fuerit praemonitio, qua sibi et rebus suis possint prospicere. /

*F. 231* Et deinde quod eorum naves et bona omnia confiscata sunt, Mercatores et nautae hostiliter tractati et in carcerem coniecti. Hic autem tantum ablatae fuerint, res prius denuntientur prohibitae, relictis vel restitutis caeteris, ac navibus et personis semper salvis et intactis.

Itaque si quae aliae merces praeter prohibitas interceptae fuerant, vel eae fuerant restitutae vel saltem nunquam pro iis recuperandis iustitia fuit ulli Hansaticorum denegata vel denegabitur. Difficile est in actionibus bellicis omnibus in incommodis prospicere Verum Serenissima Maiestas regia non decrevit iniustas aliquas Subditorum suorum spoliationes defendere. Si igitur Dominus Lismannus pro iis recuperandis, quae non sunt de natura rerum prohibitarum, sufficientem authoritatem habet, poterit de jure agere coram supremo Curiae Admiralitatis judice: vel si istud non placet, Maiestas Sua una cum ipso delegabit alios, coram quibus summarie et de plano secundum bonum et aequum petitiones illas audire et finire poterant.

Quod si vero per ulteriorem moram eorum, qui vel non habent sufficientem authoritatem, vel alienas et obfirmatas voluntates istas actiones prosequendi, quicquam incomodi deinceps quoad restitutionem evenerit: protestantur domini Consiliarii, si nunc istae oblationes non recipiantur, Serenissimam /

*F. 231 v* Maiestatem Suam semetipsos, caeterosque omnes regni incolas ab omni culpa et dampno esse et futuros semper immunes et indemnes.

*N. 113.*

*Grenvici, 25 Iulii, 1597*

*Elizabethae reginae Angliae* *(vet. stylo)*
*ad Paulum Działyński*
*responsum*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 232.*
*Eadem ac oratio edita in vol. El. IV, p. 192, N. 130.*

*N. 114.*

*Grenvici, 25 Iulii, 1597 (vet. stylo)*

*Elizabethae reginae Angliae ad Paulum Działyński responsiones*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 233-237.*

*Eadem ac responsio edita in vol. El. IV, p. 195-202, N. 132.*

*Cum additione in fine nominum:* W. Burghley, Ch. Howard, Ro. Cecyle, John Fortescue.

*N. 115.*

[*Constantinopoli*], *s.d.*

*Sultanus Turcarum* [*Mahomet III*] *ad Sigismundum III regem Poloniae; nuntiat se mense Martio proximo bellum Austriae illaturum, regem Poloniae ad bellum contra Transilvaniae principem incitat.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 238* Al splendidissimo e Gloriosissimo sopra tutti li grandi che seguitono Jesu, Sapientissimo compositore de tutti li affari della generatione Nazarena, e Serenissima e grandissima Nebbia di pioggia, fonte e splendor di honesta, Dolcissimo Signore e herede di beatitudine, e gloria del inclito regno di Polonia, il favor della quale tutti recorono desiderando il prospero fine di ogni suoi real acione, e offerendoli la benevolenza e gratia degna della nostra amicitia.

Significamo come le Amichevole e Reggie lettere che la Serenita vostra ha mandato alla nostra Eccelsa Porta, sone pervenute con il suo Nuncio, la continenza delle quale è qualmente: il Regno di Suetia per la morte del Padre di vostra Serenita restando senza governo, la Serenita vostra si é inviata a quella volta per acomodare e stabilire le cosse di quel paese, si come ha fatto, ma ritornata in Polonia con salute, ha trovato altri Justi impedimenti, oltre quelli delle due provincie di Valachia e Bogdania, infestate di continuo, il che a reso il passo mal sicuro, e per tal causa la Serenita vostra ha tardato di haver l'aviso dell transito nel paradiso del genitor nostro, il Potentissimo Sultan Murat Kan, della cui anima l'omnipotente Iddio habbia pieta, si che non ha vostra Serenita fin qui potuto mandar il suo Ambass. et hora desiderando lei per confirmatione del antica nostra amicitia inviar qui personaggio honoratissimo per gran Ambassiatore e richiedendo per questo effetto il nostro Imperial salvo condotto, e chiausi Regii per acompagnarlo, avisando in oltre della promossione fatta di un Principe nella provincia di Bogdania, e ricercando da noi la confirmatione di tal sua eletione, significamo a vostra Serenita haver havuto e tenere per ratto e grato tutto quello che in favor di detta causa ci ha scritto, si come anco habiamo consentito a tutto quello che vostra Serenita per le sue Reggie lettere ha ricercato, a cio che lei reciprocamente conservando e mantenendo si come é conveniente quella buona et integra amicitia che dalli antecessori di vostra Serenita é stata sempre mantenuta, e osservata verso questa Imperial sedia, tenga per amici /

*F. 238 v* li amici, et per nimici gli Inimici del nostro Imperio, e per che restiamo assicurati del sincero animo di vostra Serenita verso di noi, habbiamo all sua compiacenza in pegno della nostra reciproca affecione stabilito il principato di Bogdania conforme al suo desiderio. Et piacendo a Dio al principio di primavera che sara il undecimo giorno di Marzo, con la Imperial nostra potenza, a di tutti li Monsolmani, siamo risoluti con la persona nostra uscire in guerra, si come anco il valorosissimo e prudentissimo Gazigarai Kan, con tutte le forze di Tartari per quel altra banda, si Incaminera sopra Viena e fortezze a quella vicine, con ferma speranza che dalla misericordia di Dio ci sara concesso di subjugarli alla nostra obedienza, e vostra Serenita anco, si come per le sue Regie lettere prometeogni compimento di amicitia, volti le sue Reggie forze contra il Transilvano, et si Impatronisca de Hustur [a)] e Molcaz [a)], due castelli che stano nelli confini di Polonia e Transilvania, delli qualli Impatronita si si contentiamo che restino nel dominio di vostra Serenita, la quale conforme la vera e sincera amicitia, sin a questa hora monstrata verso il nostro Imperio mantengha l'amica benevolenza stabile, ferma e inviolabile, solecitando la venuta del suo honoratissimo Ambassiatore per maggior stabilmento della mutua amicitia e benevolenza nostra, della quale vostra Serenita dimostrara singolar argomento, se adoprando il valor e ingegno suo come si spera fara l'impresa di detti due castelli, assicurandosi che in avenire tutto quello che la Serenita vostra da noi ricercara li sara concesso per colmo di amicitia, la quale per noi resplendera di giorno in giorno verso vostra Serenita. Si siamo anco compiacuti della ricerca che la Serenita vostra ha fatto in favore del Illustr. Achmat Bei di Bendar, il quale per rispetto di vostra Serenita essendo intrato in maggior gratia nostra gli assignaremo carico honorato e conveniente al suo valore, e cio che il traffico per li mercanti di vostra Serenita sia sempre libero /

*F. 239* si contentiamo che vadano e vengono liberamente in conformita delli antichi patti, e la Serenita vostra li esortera venire senza alcun pensiero o timore, perche gli sara usata ogni giusticia e favore.

a) *sic in ms.*

*N. 116.*

*s.l., 11 Septembris, 1597*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de commercio civitatum Hanseaticarum cum Hispania, inprimis de civitatibus Gedanensi et Elbingensi.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 240* D. Parkins to Sir Robert Cecill. 11 September, 1597

The King of Spaine urgeth divers states against England, uppon these reasons, that they shall not suffer them selves to be hindered from passage, whither [a)] them pleaseth, as also to protect their subiects from spoyles and iniuries.

Lisman requireth that the Hanze may trade with libertie of subiects, and after a further treaty entred for their ancient priviledges. The English

Merchants say that they are fearfull the trade of clothes would be carried to other places, then w[h]ere they reside, and yet acknowledge that when the Hanze had had that liberty, they had no great damage by it. And where it was objected to Lisman, he was only to speak for Dansick and Elbing, as being sent from the King of Polon, he saith his commission to be for the whole society of the Hanze. Doctor Parkins opinions, somewhat should be graunted but not unto the Hanze, which would extend in infinitum, and so all the Citties called to the Hanze Society be free and yet not to be beholding unto her Majesty for the same, but rather to every Cittie severally [b] as should seem good to her Majesty, which would drawe them to deserve well of her, otherwise it were dangerous, when some of the Hanze Citties be now enemies as Antwerp. For their ancient priviledges it may be said, that they are not to be treated on againe, since they had bene abrogated in King Edward's days, and yet they somewhat revived, and with some moderation resumed by her Majesties appointment, whilst her Majesty in her government may order any thing to the good of her estate, notwithstanding any grant of her Predecessors.

a) Whether *Ms.*
b) which *expunctum.*

*N. 117.*

*Gedani, 10 Augusti, 1598*

*Georgius Carew*
*ad Gedanenses*
*de negotiis mutuis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 241.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 218-9, N. 142.*

*N. 118.*

*Gedani, 12 Augusti, 1598*

*Georgius Carew*
*ad Robertum Cecil*
*de rebus polonicis*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 241 v.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 220-221, N. 143.*

*N. 119.*

*Elbingae, 20 Octobris, 1598*

*Georgius Carew*
*ad Robertum Cecil*
*de sua navigatione in Sueciam, deque audientia ibidem a Sigismundo III sibi concessa.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 242* Mr Carews Letter from Elbing to Sir Robert Cecill.

Maie it pleassyth your Honor, the last letters I wrote unto England were directed to your honor from Dantzik, the 15th of August. When I was readie to sett saile for Swethen, in which iourney it hath pleased God to leade me through all the perills of the Letany. Her Majesties letters I delivered to the King at Stekbourg. And likewise my message, where resting betweene two armies on shipboard, and expecting the third, namely Duk Charles fleete to com uppon us, and beinge in a place where no victualls were to be gotten, I sollicited earnestlie for an answere, which at last being imputed unto me for a great benefitt, I had sent unto mee. In the meane time I was used with very little courtesie yet without anie outrage thoughe at the parting not without some writing touching the shippe which should transport mee, but it pleased God to order matters so, as there was in the end more cause to pittie the King, then to be greeved with him, the relating of the perticulers whereof I doe deferre till mine arrivaile unto your honors presence. The awnsere to the messaige delivered by mee I bring with mee, but the aunswere to her Majesties letters I lefte with the Vice Chauncellor of Poland: wherefore since my retourne hither 9 have dispatched awaie with lettres to the great Chauncellor to enforme him of the proceedings on both partes in Sweden, and to be certified from him whether the vice Chauncellor awnsered me duelie or not touching the course of the chancerye. I would have expostulated the matter with the King himself, but I could not be admitted to his presence but one time, which was when I delivered my letters. Eighteen shippes of my countriemen, which I found in Sweden pretend to be gladd both of my comming hither and of my staie here and ascribe thereunto the greatest ys of theire safftie; for some other causes besides, I hope it shall appeare that my beinge here nath beene to purpose for her Majesties services. I have not written all this while for want of messingers: and I write fewe particulerities nowe because I hope to be in a manner as soone in England as these my lettres. So beseeching the almighte to continue his blessinge uppon her Majestie of whom certaine Scottish men had spredd rumours that much appalled us here, which afterwards were.

I leave your honour also to his mercifull protection. From Elbing the 24 Oct. 1598.

Your honors verie humblie
George Carewe

*N. 120.*

*Elbingae, 6 Septembris, 1598*

*Senatus Elbingensis*
*ad Georgium Carew, reginae Angliae in Polonia oratorem*
*de mercatura Anglorum deque eorum religionis acatholicae exercitio.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*F. 242 v* Conventio spectabilis Senatus Elbingensis et Societatis Anglicanae ibidem residentis super petitionibus seu Articulis quinque ab eadem Societate per Magnificum et Generosum Dominum Oratorem Reginae Georgium Carew propositis.

1 et 2 Ad articulos duos priores, quibus Societas praedicta defensionem seu profectionem a periculis emergentibus defensionisque certum modum petebat, cum Senatus responderet olim iam sub sigillo Civitatis Societati de talibus cautum esse Senatumque vigore eiusdem etiamnum eidem cautum velle, quod ab omni cuiusvis impetitione, molestia aut lite quam Residentiam liberique negotiandi sibi hic concessam facultatis causa et infinitam quovis modo Societati obiceretur, eamdem in bonis et personis suis indemnem praestiturus et defensurus sit, Civitatis sumptibus: In reliquis vero periculis aut navium aut bonorum Repressalium seu navigationis nomine detinendorum aut navium propter expeditiones bellicas -ve retinendarum occasione et causa emergentibus, Senatus pro causae aequitate et temporum ratione condignam itidem Societatis nec minorem quam Civium suorum rationem habiturus, et quae ipse per se praestare poterit, omnino Societati praestiturus quae vero hac in causa non nisi a Serenissimo Rege ordinibusque Regni Poloniae concedi possint in his sumpta opera, consilio suo ipsi praesto futurus sit, Societas declarationem eiusmodi grate accepit eidemque acquievit.

3 Convictionem seu moderationem penae in bonis ob non solutum portorium propria voluntate initum, quam et Societas Londinensis et ii qui hic resident aliquoties adhibendam petierunt, quod attinet, tunc Senatus et literis suis Societati Londonensi ipsisque residentibus coram et scripto et sermone satis declarat, cum pena huiusmodi a Principe constituta usuque cum hic tum alibi recepta perque voluntariam portorii submissionem tacite agnita convictionem aut moderationem authoritate propria adhibere nequeat, negocium hoc ad ulteriorem Societatis Londoniensis resolutionem utrimque reiectum fuit.

4 De mercium Braunsberga aut Regiomonti emptarum navibusque in portum Elbingensem impositarum, imponendarumve a Portorio immunitate concedenda, cum Societas immunitatem eiusmodi ab initio sibi permissam, neque pacto aliquo prohibitam immutatamve diceret, Senatus vero praeterita hoc tempore incommodorum ex immisione eiusmodi mercium recensione, etiam ab initio vi pactorum de omnium mercium exportandarum portorio solvendo initorum, illas quoque intelligi et comprehendi debere contenderet, quatenus conservationem confirmationemque obtinere neque de portorio non integre soluto traduci Societas vellet: Societas

hac etiam in parte Londoniensium voluntatem exspectandam censuit, ita ut qui interim de mercibus eiusmodi portorium solvere nollent, merces illas extra territoria et aquam seu portum Elbingensem navibus inmitterent.

5 De verbi divini ministro religionisque suae privato exercitio Societati concedendo, cum Senatus rationes exposuerit, cur id hactenus impetratum non fuerit, nec concedi ab illo authoritate publica possit, Societas excusationem Senatus hoc tempore libenter admisit, sua interim libertate in hoc sibi salva et integra citra tamen Senatus aut cuiusque alterius iudicium reservata.

Actura Elbingae die sexta Mensis Novembris Anno Domini Mille Quingentesimo nonagesimo octavo, assistentibus Magnifico et Generoso Domino Georgio Carew, Serenissimae Reginae Angliae oratore, spectabilibus et famatis dominis Georgio Braun, Burgrabio et Proconsule, et Ioanne Sprengels a Rokem itidem Proconsule Elbingensis Senatus, Wilhelmo Banker Deputato, Ioanne Morell, Leonardo Hanydarde, Christophoro Sam, Edmundo Francisci, Roberto Bechidits, Thoma Ives et Gregorio Bland, Assistentibus Societatis, nomine delegatis.

*N. 121.*

*Elbingae, 9 Novembris, 1598*

*Pronconsul et consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de negotiis mercatorum.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 243.*
*Eadem ac epistola edita in Vol. El. IV, pp. 234-5, N. 150.*

*N. 122.*

*Gedani, 16 Novembris, 1598*

*Magistratus Gedanenses*
*ad Elizabetham reginam;*
*litterae commendatoriae pro Georgio Carew.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 243 v*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 235-6, N. 151.*

*N. 123.*

*Zamoscii, 12 Novembris, 1598*

*Ioannes Zamoyski*
*ad Georgium Carew;*
*pro litteris sibi missis gratiam agit, amicitiam Poloniae cum Anglia fovendam declarat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 244* Magnifice Domine. In his literis, quas ad me Elbinga Magnifica Dom. V. scripsit, etsi multam laudem certarum virtutum in me conferat, tamen non is ego sum, qui magnifice de me sentiam, et quas mihi tribuit laudes agnoscam. Rudem et non in magna re me esse sentio. Sed sit hoc benevolentiae Mag. Dom. V.rae erga me, quam ego amplector. Caeterum quod propter tarditatem ingenii, et tenuitatem virium praestare non possum, fide ac pietate erga Ser.m. Regem meum ac patriam suppleo. Quod ad me Mag. Dom. V.ra summam legationis suae perscripsit, gratum est mihi: quod vero exposuit quaedam, in quibus minus sibi sit satisfactum, id tale esse arbitror, ut nihil Ser.mo Regi sit tribuendum, cuius humanitatem facilitatemque in aditu sibi concedendo, se scribit cognovisse: locus et res illae, quas tunc turbatas fuisse scribit, infestumque armis mare, hospitii commoditatem illam, quam desiderabat, praepedivere. Pollet Mag. Dom. V.ra plurimum prudentia, non dubito, quin optime illud norit: Principum ministrorum munus esse, coniunctionem inter Principes fovere, asperitates, si quidem oriantur, lenire: quae astringant, non quae labefactent amicitiam, proponere: id quod etiam persuasum habeo Mag.$^{m}$ D. Vestram esse facturam. Ego quidem, quae ad me scripsit, ad Ser.m Regem quamprimum referam, et maxime in comitiis in memoriam revocabo, quod Regia Maiestas pro sua benignitate, exemplo maiorum, res huius Regni, cum Senatoribus eiusdem, ac graviores etiam cum Ordinibus tractare soleat. Cupio certe pro tenuitate mea, ut amicitias tanto plures Sacra Regia M.tas contrahat, et regnum tanto autem magis, ut haec pristina prioribus Regibus utrinque quasi per manus porrecta cum Ser.ma Angliae Regina conservetur, et officiis mutuis augeatur, Credoque M.tem Regiam dominum meum clementissimum nihil quod aequitas poscat, a se desiderari passurum: idem etiam de Reginali M.te Angliae facile mihi persuadeo.

Epistolam ad me Illustrissimi Domini Comitis legi, eique rescripsi, sed quod in praesentia non licuit, ut congrederemur, unaque essemus, id tamen si aliquando continget quanti Ill.mi Domini Comitis commendationem aestimem, Mag. D. V.ra quam mihi defert benevolentiam libentissime declarabo: nunc officia illi mea quantula sunt, defero. Cupio Mag. D. V. bene valere.

Samoscii pridie Idus Novembris Anno Domini 1598.

Mag. Dom. Vestrae studiosissimus amicus Joannes Zamoiski

Regni Poloniae Cancellarius et exercitus Generalis Capitaneus.

*N. 124.*

*Londini, Iunii, 1598*

*Robertus Cecil*
*ad Georgium Carew*
*de rebus ab eo gerendis in Polonia.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 245-247.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 212-6, N. 139.*

*N. 125.*

*s.l. 20 Ianuarii, 1598*

*Georgius Carew*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de variis rebus a se gestis in Polonia.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 247-254 v.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 238-51, N. 153.*

*N. 126.*

*Zamoscii, 20 Iunii, 1600*

*Ioannes Zamoyski*
*ad Robertum Cecil;*
*Sigismundum Bathoreum, affinem suum, commendat.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 255* The Chauncellor of Polland to Sir Robert Cicele

Illustris et Magnifice domine, amice charissime et observandissime.

Quod a Sacra Regia Maiestate Angliae per litteras cupio maxime impetratum, id ea ratione maturius esse assecuturum existimavi, si Ill.m et Mag. V. eadem de re litteris meis appellassem. Petitio autem mea ad Serm. ipsius Maiestatem haec habet: impetravi a clementia ipsius facultatem Ill.mo D. Sigismundo Bathoraeo, mihi arcta affinitate coniuncto, in Angliae regno commorandi. Nam ut longam impeditamque navigationem pertaesi, appellendi ad portum miro desiderio flagrant, sic ille ex turbulenta et res humanas suas seque miscente fortuna cupit, tanquam in portu,

sic in ditione Serenissimae Regiae Mat.is suae quiescere, eiusmodi Reginae, quae suas ipsa maximas laudes superet humanitatis clementiaeque praestantia. Adiuvet rogo Ill.tris et Mag. D. V. intercessione sua, apud gratum hominem operam suam ponet. Quacunque in re potero Ill. et Mag. D. V. deservire tam libenter id tam studiose faciam diploma, quemadmodum quidem confido a Sua M.te impetratum tradet Illustris et Mag. D. V. generoso domino Guilelmo Brusio, quem ea de causa in Angliam consulto misi.

Opto Ill.m et Mag. D. V. bene valere. Datum Zamoscii die XX Junii anno domini M. D C.

*N. 127.*

*Zamoscii, 20 Iunii, 1600*

*Ioannes Zamoyski*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de eadem re.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

Chauncellor of Polland to her Majestie.

*F. 256* Sacra Regia Maiestas, domina domina clementissima.

Bonam valetudinem ac prosperos successus Maiestati Vestrae a Deo precor, et studium et observantiam meam diligenter commendo. De affine meo Illustri D. Sigismundo Bathoraeo cum vellem ad Ser.mam Regiam Maiestatem Vestram scribere, plurimum me ad id confidentius faciendum magnitudo humanitatis R. M.tis Vestrae confirmavit, quae tanta est, et ita in cunctis hominum sermonibus per magnam orbis partem celebratur, ut nihil sit illustrius, quo de genere laudis neque ego quidem tacere possum. Memini litterarum ad me Regiae Maiestatis Vestrae, quarum humanitatis memoria nunquam ex animo meo discedit. Non est quod Regiae M.tis V.rae mobilitatem ludumque fortunae Ill.mi D. Sigismundi narrem: non latet Regiam Maiestatem Vestram. Oro ut ab aestu rerum adversarum liceat illi in regno Vestrae Regiae M.tis requiescere. Dabit hoc inprimis Regia Maiestas Vestra Clementiae suae, quae regum maxima est virtus: dabit immortali memoriae Divi Stephani clarissimi regis: dabit Varietati fortunae, cuius impetum pauci devitant. Hoc nomine ad Regiam Maiestatem praestantem virum, iuris totius doctorem Guilelmum Brusium nisi, qui ad me diploma publicae fidei Regiae M.tis Vestrae a clementia M.tis V.rae Regiae impetratum referat. Quod reliquum est, Deum Opt. Max. comprecor, quo diuturnam incolumitatem Regiae M.ti Vestrae tribuat.

Datum Zamoscii die XX Mensis Junii, Anno Domini 1600.

Sac. Reg. M.tis Vestrae
observantissimus Servitor
[Joannes Zamoiski]

*N. 128.*

*Zamoscii, 20 Iunii, 1600*

*Ioannes Zamoyski*
*ad comitem Essexiae*
*de eadem re.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 257* Illustrissime Domine, amice charissime et observandissime.

Cum ad Sacram Regiam Maiestatem Angliae scriberem, renovandam quoque putavi veterem nostram inter nos litterarum missionem: quam ego non idcirco intermissam esse existimo, ut perpetuo cessaret, sed, ut tanquam quietus novalis ager, uberiorem mutuae benevolentiae afferret fructum. Ad id autem faciendum talem mihi occasionem fortuna obtulit. Magnopere a Ser.ma Sua Maiestate contendo, ut ab eius clementia obtinere possim Ill.mo D.no Sigismundo Bathoraeo, meo affini, potestatem commorandi in Regno suae Regiae Maiestatis. Et si quidem magnam spem faciat Sacrae ipsius Maiestatis summa clementia, in homines praesertim huius ordinis et loci, procella fortunae perculsos, tamen non minimum me adiutum ea in re confido, si Ill.ma Dominatio vestra suam quoque intercessionem interponet. Quod ut faciat, vehementer rogo. Est hoc virtutis Ill.mae D. V.rae, quae nunquam esse inhumana consuevit. Devinciet sibi Ill.ma D. V. hoc favore suo, et me, et affinem meum: et si quid erit, in quo usui possim esse Ill.mae D. V. magno studio, ut sum, efficiam. Opto Ill.mam D. V. bene valere.

Datum Zamoscii die 20 Junii anno Domini M D C.

Ill.mae D. V.rae amicus deservire paratissimus

Ioannes Zamoiski Regni Poloniae Cancellarius et exercitus Generalis Capitaneus.

*In dorso:* Ill.mo D.no D. Comiti Exsexiae Sacrae R. M.tis Angliae Consiliario et Supremo belli Duci, d.no amico char.mo et observandissimo.

*N. 129.*

*Elbingae, 28 Iunii, 1600*

*Cives Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*licentiam pro Christophoro Cletrow, Londinensi, tormenta pro civitate Elbingensi exportandi postulant.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 258* Serenissima Regina Potentissima, Princeps ac Domina Domina Clementissima. S. Maiestati Vestrae Regiae observantiae nostrae studia humillime deferentes, foelicitatem et diuturnam florentissimi Regni incolumitatem precamur.

Dedimus, Serenissima Regina, negocium Civi et Mercatori cuidam Londiniensi Christophero Cletrow pro usu Civitatis huius novo vallo ex parte muniendae ferrea aliquot tormenta maiora isthic coemendi: Coeterum cum mercium eiusmodi exportandarum facultatem nemini absque speciali gratia et licentia Sacrae M.tis Vestrae Regiae permissam esse intelligamus, Sacram Vestram Ma.tem Reginalem quo decet venerationis et observantiae studio demisse rogamus dignetur pro gratia sua erga nos Regia clementissime annuere, ut tormenta eiusmodi pro vallo alio quam Civitatis huius usui comparata exportare negotiorum gestori nostro praememorato liceat. Nos Clementiam S. M.atis Vestrae Regiae hoc in negocio nobis declaratam perpetua grati animi memoria celebrabimus, et cum inferiores nos esse intelligamus, quam ut illa ex parte S. M.ti Vestrae Regiae gratias referre possimus, subditis illius apud nos authoritate et clementia Serenitatis Vestrae negotiantibus studia et officia nostra paratissima quavis in re nunquam non oblata cupimus. Sacram Maiestatem Vestram Regiam quam diutissime salvam et florentem cum inclyto regno conservari a Deo Opt. Max. et secundari optamus. Datae die XXVIII Mensis Junii Anno Salvatoris M: D C: Elbingae

Sacrae ac Serenissimae R. M.tis Vestrae

devotissimi Praeconsul ac Consules Regiae Civitatis Elbingensis.

Serenissimae ac Potentissimae Principi ac Dominae etc.

*N. 130.*

*Zamoscii, 19 Iunii, 1600*

*Matthaeus Piscoviensis*
*ad Robertum Cecil*
*petens informationem de viris illustribus*
*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 259.*

*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 259-60, N. 158.*

*N. 131.*

*Westmonasterii, 23 Augusti, 1600*

*Christophorus Parkins* *(Vet. styl.)*
*ad Robertum Cecil*
*de Ioanne Zamoyski deque Sigismundo Bathoreo*
*ab eodem commendato.*
*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 260* Doctor Parkins D.no. Cicili.

Right honorable, I was pourposed to be with your honor to morrowe to deliver what I had understood from the gent sent from the Chauncellor of Polland, but this evening I was warned by Mr. Carew Herbert his Pursmaster in her Majesties name for her highnes service to be to morrowe

at the Comons with him, Soe that being diverted from my former purpose of beinge with your Lordshippe, I thought good to write my opinion concerning the Polland matter. Sigismond of Transilvania is persued to death by the Austrians, therbie supposing to enioye peaceablie this Province.

The Polls be devided in factions: the wiser desireous to keepe Sigismond for the daie, yet liked of the Countrie, imputing the present evell events to the Craft of his adversaries, and his youthfull unadvisednes. The same is: the Chauncellor desireth a pasport by a patent from her Majestie in publique maner for his remaininge in England. The said Chauncellor in all respects is one of the best and most honorable subjects in Christendom, and in his Countrie somewhat more than an absolute subiect, able to doe much good or evell to her Majesties subjects in those partes. And therefore not slightlie regarded either by showe or non awnsering his letters; on the other side, a pasport by patent in publique forme from her Majestie cannot be given without involving some scilent scorne to the Emperor now by Sigismonds armie investing Transilvania, who thoughe by reason of his late factious and false grounded Mainedate against her Majesties subiects in Germanie, hath deserved no good inclination from her Majestie, yet maie it seeme nothinge Princelie to show an affection of revenge in this small matter: neither seemeth it necessarie that her Majestie write anie aunswere, but rather that the Chauncellor bee in effect sattisfied for the saftie of Sigismond, which he principallie intendeth by a Common letter from such Counsellors as he hath written unto, I meane the Lord Treasurer and Chamberlaine and yourself, wherebie he maie be assured by theire lettres, wriiten by her Majesties Commaundement, that whomsoever the said Chauncellor shall commend by his pasport or patent of commendacion, coming in maner of a private person, as a gentleman and straunger with some fewe servitours, he shalbe suffered to abide quietlie in England without anie offence or molestation and to retourne whither him pleaseth, carrieing himself ther without anie publique offence and scandale. /

*F. 260 v* Some other perticulars I have understood of his messinger not incredible, fitter for speach then letters which I will declare at my next beinge with you. And this in humble manner I take my leave this 23 August from my poore lodginge in Westminster, 1600.

Your honors ever at commaundment
Ch. Perkings.

*N. 132.*

*Otlandiae, 8 Septembris, 1600*

*Elizabetha regina Angliae* *(vet. stylo)*
*ad Ioannem Zamoyski*
*de commoratione Sigismundi Bathorei in Anglia concedenda.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 261.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, p. 262, N. 161.*

*N. 133.*

*Otlandiae, 9 Septembris, 1600*

*Robertus Cecil* *(vet. styl.)*
*ad Ioannem Zamoyski*
*de iure commorandi Sigismundo Bathoreo in Anglia concesso.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*F. 262* To the Chauncellor of Poland from Sir Robert Cicell etc.

Illustris et Magnifice Domine, Amice observandissime. Ipsae Illustris Magnificentiae vestrae literae apud Ser.m Reginam dominam nostram clementissimam tantum valuerunt, ut nulla intercessione mea opus fuisse viderit, si tamen res postulasset, huic humanitatis officio non defuisse. Regia vero Majestas petitam Illustr. Domino Sigismundo Bathoraeo in hoc regno suo, qui etiam commorandi copiam in gratiam Illustr. Mag. Vestrae clementer concessit, cuius quidem concessionis beneficio sine alio Diplomate bona fide frui pro voluntate secure poterit, quod quidem si qua tandem ratione publica testatum cupiat, litterae patentes ab Illustr. Mag. Vestra eo ipso nomine celatae [a] abunde suffecerint, uti Ill.mus ille ubi accesserit, reipsa experiretur nostramque eam ad rem operam propositam paratamque inveniet. Quod reliquum est, me meaque officia Ill.mae Mag. Vestrae diligenter commendo, eidemque prospera omnia exopto. Datae ex Aula Otlandiana 9 Sept. 1600.

Illustris Magnificentiae Vestrae
studiosissimus
[Robertus Cecil]

a) celitae *Ms.*

*Explicit Ms. Cottonianus Nero B. II.*

*N. 134.*

*Elbingae s.d.*

*Consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*pro litteris sibi missis gratias agunt; negotia ad ulteriores tractationes remittunt.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero B.V.*

*F. 284* Illustrissimae... Principi ac Dominae Dominae Elizabethae Dei gratia Angliae, Franciae et Hiberniae Reginae, fidei defensori et dominae nostrae clementissimae.

Serenissima Regina, potentissima Princeps, Domina Domina clementissima. Sacrae Ma.ti vestrae R. observantiae nostrae studia humillime deferentes, foelicitatem omnem et diuturnam florentissimi Regni incolumitatem sub auspicatum huius auris ingressum optamus.

Ternas prioribus mensibus literas a Maiestate V.R. ad nos clementis-

sime scriptas quo par fuit debito venerationis studio accepimus, quorum priores excusationem habuer[unt] ac [de]fensionem subditorum illius pariter ac nostram contra Anseaticorum quorundam inimicas adversationes, Alterae quam[dam] privilegiorum mutuorum formulam eamque tum a nobis approbandam, tum a Sac. R. M.te domino nostro clementissimo confirmandam. Postremae atque eae novissimae praeter priores etiam de commissariis egere, qui si quid in illo privilegio desideraretur, ultro citroque consulant et rem eam perficiant: harum singulae et expectatae sic gratae nobis eo nomine acciderunt, quod et animi voluntatem Reginalis in nos atque causam communem, significationem illustrem, et studium earum rerum, in quibus sat diu versamur, ad exitum perducendum singulare continerent. Itaque pro observantia nostra M.ti V.R. de clementia et benignitate ista, qua nos et causam communem cum Sac. R. M.te Domino nostro clementissimo coniunctim tuendam subscripsit, quantas possumus gr[atias] maximas agimus. Et ab eadem maiorem in modum petimus ut h[abeat] nostrae responsionis moram, quae ob deliberationes necessarias et Co[mitia] Regni (quibus nostros etiam Nuncios mensibus interesse oportuit), di[ ] et publicas occupationes et declarationis Regiae expectationem fa[ciendae] in benignissimam partem accipere dignetur.

Caeterum quod ad ipsas M.tis V.R. litteras attinet, [dubium] quidem nobis nullum est, quin de communis causae adversus Anse[aticos] defensione M.tas Regia Poloniae, dominus noster clementissimus, ita animum suum M.ti V.R. literis suis iam exposuerit eiusdemque optimae /

*F. 284 v* voluntati mutuo quodam affectu et studio suo responderit, ut facile illa sit acquietura. Nam qua benignitate Rex et dominus noster clementissimus illas M.tis V.R. literas exceperit ac perlegerit, nobiscum patrocinium promiserit ac literas nostras ad Gedanenses scriptas approbarit, Collega noster, qui mandatario M.tis V.R. tum in reddendis illius literis tum in responso petendo affuit, satis nobis significavit. Verum adhuc quidem Anseatici (preter solos Gedanenses, qui privatis suis rebus distinentur) neque exactis proxime Regni Comitiis apud M.tem Regiam neque in Prussia, quod sciamus, aperte quidpiam tentarunt, tametsi de quorumdam adventu Warsaviae rumor quidem sparsus et expectatio inanis concitata esset. Itaque ut iidem advenissent, imparatos certe nos in tuenda causa communi non reperissent, cui nec deinceps si quid usus postularit pro virili nostra deerimus neque M.tem V.R. id ignorare patiemur.

Quod vero privilegii nobis communicati formulam eiusque articulos concernit, eos quemadmodum oportuit revolvimus et expendimus dilligenter. Ac sane quidem cognovimus quod tametsi pleraque ex sententia et verbis notationum nostrarum desumpta et in certam formam redacta sint, tamen multa desiderentur, multa etiam preter illa, de quibus cum oratoribus mutuo actum et conventum est adiecta sint. De hiis cum deputato Societatis Salkinio conferre quidem volumus, sed quia is mandata de ea re nulla se habere diceret, negotium nobis omnino reiiciendum fuit. Ideoque Ma.tem V.R. ut clementissime nobis ignoscat oramus. Posthaec vero novissimae M.tis V.R. literae a cubiculario Regio ex Anglia reverso nobis redditae fuerunt, quibus praeter priora significabatur, probari M.ti V.R. ut si forte Cancellos, quibus circumscripta a nobis videtur, egressa sit, dentur commissarii qui ultro citroque de iis si quae adhuc in privilegio desiderentur, peragant.

Quarum quidem sententiae utpote expediendae et perficiendae semel rei convenientissimum facile quidem complectimur.

*N. 135.*

*s.l. s.d.*

*Ignotus*
*ad usum officii*
*de conditionibus pacis*
*inter regem Poloniae et archiducem Maximilianum.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Galba, D. IV.*

*F. 268* Conditiones pacis inter Serenissimum Regem Poloniae et Illustrissimum Archiducem Maximilianum Bendzini constitutae anno 1589.

1. Illustrissimus Archidux Maximilianus titulo Regni abstinebit.
2. Lubowlia cum omni apparatu bellico, uti intercepta est, restituetur.
3. Pacta et antiqua foedera inter utrasque nationes renovabuntur.
4. Serenissimus Poloniae Rex ad diem XX Aprilis mittit (extra tamen Senatores) legatum ad Caesaream Maiestatem, quod tamen in hunc finem erit ut consulatur dignitati Caesareae.
5. Legatus Caesaris ad Regem Poloniae veniet pro 16 Maii, coram quo Rex cum Proceribus pacta, conventa et foedera iuramento firmabit.
6. Rex Poloniae maiores Legatos ex Senatu expediet ad Caesarem et Principes reliquos domus Austriachae, qui tum temporis vel ipsimet vel per Nuntios in aula Caesarea versabuntur, ubi dabitur illis cautio sufficiens et iuramentum ab omnibus de conventis factis et foederibus servandis, tam a Principibus quam Ordinibus regnorum Ungariae et Bohemiae, Moraviae, Austriae et Silesiae, et hec legatio incidet in diem XV Junii.
7. Illustrissimus Archidux Austriae XVI Julii discessurus est ex Herold [a] vel Bythonium vel Bidzinum et cum omni honore deducitur, in itinere a Rege visitabitur, quod omnes futurum sperant, Lublini.
8. Illustrissimus Maximilianus XXVIII Julii cum attigerit ditiones Caesareas, transactionem pacis cum proceribus Germanis iuramento firmabit eamque obligatam dabit iis qui illum nomine Regio deducent.
9. Austriaci non dabunt Mesehis [b] contra Polonos auxilia.
10. Damna et iacturae mutuo compensate.

*In dorso:* Conditiones pacis inter Regem Poloniae et Maximilianum.

a) *sic in ms.*
b) *recte*: Moschis.

*N. 136.*

*Varsaviae, 19 Maii, 1597*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Status Generales confoederatarum Provinciarum Belgicarum*
*commendans Paulum Działyński.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Galba, D. XII, F. 138.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 186-7, N. 126.*

*N. 137.*

*Elbingae, 6 Novembris, 1584*

*Ioannes Herbert*
*ad Franciscum Walshingham*
*de tractatu mercatorio cum Polonis praeparando.*
*(orig., exemplar v. F. 68-73)*
*B.M. Cotton, Galba, D. XIII.*

*F. 6* May it please your honor, that according to the kings order for my voyage [a)] to Lublin, to the Convocation of the nobilitie of Polland, there assembled the X[th] of August; signified unto me by the Burgrave of Elbing at his returne from Coorte, I tooke my iorney thether, the fift of August, after oure English accompt; and arrived there the XIII[th]: the XIIII[th] I sent to the Lord Chauncellor, to knowe his pleasure, but coulde have no accesse for my selfe to speake with him; such was his busines: the kings secretarie came to me, and promised to empart my coming to his Ma.[tie] so that daie I expected aunswere from the Chauncelor, or the Secretarie.

The XX[th] I repaired to the L. high Marshall, whose office is to procure accesse in such Assemblies; and as I desired him, so he gently promised to procure me audience, ageinst the morowe. From him I went to the L. Chauncelor, and delivered him your letter: he promised to further the suite as he might, but was of opinion, for the soliditie therof, to have yt referred to the generall assemblie: the K. he saied was offended with the former Commissioners, for that they yelded not up their opinions, and therfore was in doubt what was to be done. Myne aunswere was, that they alleged, that private Instructions was the cause therof; but in fine, his iudgment was, that newe Commissioners might be chosen, oute of the bodie of the nobilitie there assembled, at this Convocation, and wished me to direct my speech to that ende.

The XVI[th] being sondaie, after service and sermon, at XI of the clock I had open audience, contrarie to myne expectation, in the hering of an .C. or more Palatines, and Castellanes: if I were astonied in that assembly, especially not having determined to speake in such an audience, I hope you will not blame me. Yet having delivered hir Majesties letter, I kissed the kings hand; the L. Chauncelor was commaunded to rede thesame; which being red, the L. Chauncelor repaired to his place. The high Marshall placed me to syt, and the K. willed me to speak. The contents of my speech were theze. That many lettes had happened, why the Commission graunted by his Ma.tie could not have his due and speedie execution: as first the absence of the L. Treasurer one of the /

*F. 6 v* cheef in thesame Commission, who was otherwize busied in the kings affaires; then the mandate prohibitorie or generall letter of his Ma.tie inhibiting all straungers to trade with straungers, in the lande of Pruse, the controversie also between Dantsk and Elbing, aboute the abridging of the chanell of the river of Nogath; the which appalled so oure nation, as they began to bethink where they might plant themselves elsewhere. Wherefore we dispatched a messenger to his Ma.tie to understand his mynde touching eche of those points; who gave us such a gracious and princely aunswere as it renewed an assured hope in oure nation, to plant

24. Item conclusum, concordatum et conventum est, quod libera atque integra potestas sit Mercatoribus Anglis adventuris, ad quemcumque sive Anglum sive civem divertendi; sic tamen, ut ne quis, qui eos hospitio sit excepturus, maiorem inde hospitum numerum acquirat, quam qui ex Senatus constitutione Civibus praescriptus erit. Praefecto vero, seu deputato Societatis dicto, (quod is sibi Assistentes, pro aliorum absentia, nunc hos, nunc illos, habere debeat) liberum et concessum sit, quot et quos volet Anglos apud se excipere et hospitare: qui tamen numerum quadragenarium non excedant.

25. Item conclusum, concordatum et conventum est, quod Ponderatores, [libra]tores, Mensuratores, Cranae Praefecti, Probatores, Proxinetae, Ligatores, Operarii, Aurigae, mutuo cum consensu Senatus et Societatis Deputatorum eligantur: qui apud utrosque etiam, in officiis et muneribus suis fidei iuramentum praebeant; et mercede laborum suorum, tam a Senatu quam a Societate designata contenti sint; quorum etiam consensu [mutuo] negligentes, et minus fidi, ab officiis suis removeantur. Quod si [ullius] ex praedictis ministris, aut negligentia, aut culpa in Mercibus dictorum mercatorum, quid Damni detur, idipsum unusquisque qui illud dederit, [arbitrio] Proconsulis et Deputati praestare debeat.

26. Item conclusum, concordatum et conventum est, quod cuicumque Anglo libera facultas sit, de suis bonis ex recepta per ipsos et usitata in Anglia iuris forma, Testamento suo libere disponendi: praeterquam de iis, quae vel dotem Elbingae constitutam concernunt, vel ex haereditate ibidem obvenerunt; quae sub cautione sufficienti praestita, uxoribus et heredibus ipsorum expedit manere salva: et ideo de iis omnibus disponendi ratio juri municipali Civitatis Elbingensis reservatur.

27. Item conclusum, concordatum et conventum est, quod custodia rerum mobilium ab Anglis defunctis, de dicta societate existentibus, testato intestatoque relictarum, penes Praefectum seu Deputatum dictum et Assistentes dictos sit, ita tamen ut prius inventarium earum ex iuris formula conficiant /

*F. 45* et uniuscuiusque creditorum defuncti ratio habeatur, priusquam ea bona ex ipsorum custodia dimittantur.

28. Item conclusum, concordatum et conventum est, quod unusquisque de Societate Anglus, qui velit ius Civitatis Elbingensis obtinere, non prius in civem recipiatur, quam literae probe actae vitae suae, et honestae a Societate dimissionis testes a Praefecto seu Deputato dicto ad Proconsulem Elbingensem afferat. Quisquis autem sic attulerit, et in numerum civium receptus est, liberam facultatem fundos et alia bona immobilia emendi et possidendi habeat, ut alii cives ulli aut habere possent aut habent.

29. Item conclusum, concordatum et conventum est, quod liceat cui-

cumque et unicuique civi Elbingensi res soli et fundos suos, pro plena solutione debitorum suorum cuicumque de dicta societate existenti oppignorare, eosdemque sic oppignoratos ad plenam debitorum solutionem ex forma pignorum vendendorum a iure civili praescripta distrahere et divendere, quacumque alia consuetudine in contrarium non obstante.

30. Item conclusum, concordatum et conventum est, cum nihil ad[eo] liberis Mercatorum Commerciis adversetur, atque quotidianae et no[vae exactiones], quod singuli de societate dicta Angli, ab omnibus et singulis [pensitatio]nibus, quae a Senatu Civibus aut nunc impositae sunt, aut in [posterum] impensantur, Liberi et immunes sint. Caeterum de iis Anglis, qui [praeterquam] quod negotiantur, eodem etiam quo Cives iure, domos et edificia [habere] volunt, convenit, ut ratione aedium idem quod Cives praest[ent].

Quod vero ad ea exactionum genera, quae a Serenissimis Poloniae Regibus, aut subditis, aut exteris impo[nentur], Cives Elbingenses suo nomine: et nos Serenissimae Reginae [nostrae] nomine, earum vacationem a Rege Humillime petimus.

31. Item conclusum, concordatum et conventum est, quod [Serenissima] Regina Angliae, omnibus Civibus Elbingensibus, perpetuis [futuris temporibus] facultatem concedat, per terras, maria, vel aquas dulces [ad] quecumque loca, et oppida, ac portus quoscumque Ditionum suarum, [cum] navibus, mercibus et rebus suis tuto et secure accedendi, ac in [eisdem] quamdiu volent, commorandi, omniaque et singula ad eorum usus com[moda et], necessaria emendi, et vendendi, tam cum Regni Angliae incolis [quam] advenis quibuscumque, ab iisdemque Ditionum suarum locis, oppidis, [et] portubus, ad loca quaecumque sive sua, sive aliena, cum rebus, mercibus et navibus suis quibuscumque, pro arbitratu suo redeundi, non secus ac [si] Reginae ipsius proprii forent subditi; ac in omnibus Ditionum [suarum] locis, tam in iis rebus, quae ad iuris processum spectant, quam [quae ad] contractus attinent, ut proprii Reginae Angliae et indigenae Angli [tracta]buntur. Et si quae praeterea a benignitate Reginali impetrari [possunt] ut ea ta[nquam ins]erta in hoc Privilegio habeantur. /

*F. 45 v* 32. Item conclusum, concordatum et conventum est, quod omnes et singuli nativi Angli, qui in Regnum Angliae perfidi, et a fide sua desciscentes reperti fuerint; non solum beneficio horum Privilegiorum excludantur, et careant: sed etiam iure omni Civitatis Elbingensis (si in Civium numerum recepti sint) ipso facto (postquam Rebelles hic ex Anglia denunciantur) decidant et priventur. E converso etiam, quod eiusmodi nativi Elbingenses, qui in patriam suam perfidi, aut qui Rempublicam Elbingensem propter constitutam hanc liberorum commerciorum sedem insectantur (postquam tales esse, in Angliam perscriptum est:) omni etiam in Anglia, et Civitatis iure, et Privilegiorum horum beneficio careant et excludantur.

33. Item conclusum, concordatum et conventum est, si aliqua dubietas, ambiguitas, obscuritas, seu quaestio inter quemcumque de dicta societate Anglum et Civem Elbingensem, in, aut super aliquo articulo Privilegi huius, capite, seu membro aliquo, alicuius articuli in hoc Privilegio comprehensi, oriatur, aut moveatur; quod interpretatio, resolutio, et explicatio eiusdem, ad normam aequitatis a iure Civili praescriptam

referatur; et iuxta eamdem explicetur, et terminetur; nec propter tale aliquod exortum dubium, totum privilegium labescat, aut frustretur, sed in suo robore et firmitate nihilominus consistat et permaneat.

Joan. Herbertus
Willys Salkins

Johannes Sprengel a Robern
Johannes Grunaw
Georg Braun
Hans Boetger

*N. 144.*

*Elbingae, 4 Augusti [1584]*

*Ioannes Herbert*
*ad Franciscum Walsingham*
*de tractatu et rebus annexis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Galba, D. XIII, F. 45 v-48 v.*
*Eadem ac epistola iam edita in vol. El. IV, pp. 53-57, N. 30.*

*N. 145.*

*Elbingae, 27 Iulii, 1584*

*Ioannes Herbert*
*ad Elizabetham, reginam Angliae;*
*remittit exemplar actorum commissionis, quam Stephanus rex Poloniae in negotiis Elbingae instituit.*
*(cum 11 documentis A-K adnexis).*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Galba D. XIII.*

*F. 48 v* The Actes of the whole proceding of the K. of Polandes Commissioners in examining the consequences of the Hall to be established at Elbing for the English Nation, 1584.

*Grodnae, 9 Februarii, 1584*

*A. [Litterae Stephani regis Poloniae ad commissarios designatos]*

Commissio S. R. Ma.tis.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque etc., nec non Transylvaniae Princeps.

Reverendo, Magnificis et Generosis, Petro Costka de Stangenbergk, Episcopo Culmensi, Petro de Potulicze Palatino Brestensi, Joanni Dulsky Castellano Culmensi, Regni nostri Thesaurario, Branscensi, Rogosnensi, Suecensi, Surasensique Capitaneo nostro, Stephano Grudzinski Castellano Naklensi, Stanislao Kostka Succamerario Culmensi, Syncere et fidelibus dilectis gratiam nostram Regiam.

Reverende, Magnifici Generosi, syncere et fideliter nobis dilecti. Egit nobiscum superioribus annis Serenissima Regina Angliae soror nostra per oratores suos de certis Commerciorum Anglicanorum in regno hoc nostro, maxime autem Elbingae, exercendorum facultate, quae res quia non minus cum Reipublicae subditorum nostrorum quam ipsius Serenissimae Angliae Reginae hominum utilitate coniuncta futura videretur, nuncque denuo in eodem negotio per Oratorem suum nobilem Joannem Herbertum Serenitas eius nos appellarit, libenter pro nostra erga Serenitatem eius mutua benevolentia et rei quae proponitur utilitate, in eam nos partem dedimus, ut non modo non gravate hac de re cum Serenitate eius communicaremus, verum, quantum fieri eius possit, gratificari etiam Serenitati eius cupiamus. Cum autem tria potissimum hoc in negotio diligenter consideranda nobis sint, leges primum atque instituta regni, terrarumque Prussiae iura, commodum deinde Reipublicae, tertio loco negotiationum, quemadmodum supra etiam dictum est, Elbingae instituendarum aequitas et opportunitas sinceritatum ac fidelitatum vestrarum prudentiae atque industriae, quae aliis in Reipublicae negotiis perspectae nobis sint, negotium hoc committendum pro commissariis nostris ad id deputandos existimavimus, quemadmodum et praesentibus deputamus, qui diligenter omnibus, quae ad totum hoc negotium pertinere possint, consideratis, quid per leges publicas nostroque cum commodo tota hac in re fieri possit dispicerent: Hortamur itaque Synceritates vestras, ut re diligenter inter se ac /

*F. 49* cum praefato Serenissimae Reginae oratore communicata, certo die qui accomodatissimus illis videbitur, Marienburgi conveniant, totaque causa in diligentem considerationem vocata, cum praefato Serenissimae Reginae oratore, vel ipso vel uno aut pluribus eius mandatariis, de ea tractante, quibusque de rebus vel dubitationis aliquid habuerint, vel ex iure et utilitate publica convenerint, primo quoque tempore ad nos referant, quo nos partim nostram de singulis, si quae in controversia fuerint, sententiam ostendere, partim auctoritate nostra omnia accomodare possimus, unius aut alterius vestrum absentia non obstante, aliter Sinceritates et Fidelitates vestrae pro officio suo ac gratia nostra non facient.

Grodnae, die IX mensis Februarii Anno Domini M D LXXXIIII, Regni vero nostri octavo. /

[Ex Commissione Sacrae Regiae Maiestatis propria]. Litterae Sacrae Regiae Maiestatis ad Commissarios.

*B.* [*Litterae Stephani regis Poloniae ad Petrum Kostka, primum commissarium*].

Stephanus Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae Etc. nec non Transylvaniae Princeps.

Reverende, syncere nobis dilecte, etc. Deputamus Synceritatem vestram una cum et generosis Petro de Potulicze Palatino Brzestensi, Joanne Dulsky, Castellano Culmensi, Regni nostri Thesaurario, Branscensi, Rogosnensi, Suecensi, Surasensique Capitaneo nostro, Stephano Grudzinski Castellano Naklensi, Stanislao Kostka Succamerario Culmensi, Syncere et fideliter nobis dilectis, quemadmodum ex ipso Commissionis nostrae instrumento plenius Sin[ceritas] vestra intelliget, ad postulata Serenissimae

Angliae Reginae de negotiorum ab utriusque subditis exercendorum mutuis commodis cognoscenda: de quibus quae nostra existimatio sit, ex instructione nostra, quam praeter has literas [Commissionis] nostrae primo quoque tempore per Cubicularium nostrum ad Synceritatem vestram [mittemus,] Synceritas vestra cognoscet. Ea ubi ad Synceritatem vestram pervenerit, hortamur, ut re cum ceteris collegis suis ipsoque Serenissimae Angliae Reginae Oratore nobili Joanne Herberto communicata, idoneoque tempore communi consensu constituto, Marienburgi cum iis conveniat, Commissioneque hac nostra aliquanto ante publicata, ut ad quorumvis Terrarum nostrarum Prussiae incolarum noticiam [pervenire] possit, si qui quibus de rebus ad negotium hoc pertinentibus Sinc[eritates et Fidelitates vestras] privatim instruere voluerint, audiant; quas ab aliis rationes cognoverint, cum praefato Serenissimae Reginae Oratore communicent, secundumque supracommem[oratam] instructionem nostram, ac, ut maxime ea dignitate et utilitate publica eis esse videbitur, omnia tractent administrentque. In primis non levem quidem negotiorum exercendorum facultatis [a)], iustam tamen praeterea Commodi ac Regalium nostrorum summam autem Iuris legumque publicarum rationem habeant. Quod cum fecerit, si quibus in rebus tractatio substiterit, vel etiam convenerit de utroque certiores nos cum Collegis suis faciet: quo nos etsi quid dubitationis fuerit, auctoritate nostra id tollamus eamdem[que auctoritate] nostra ad omnia accommodemus. Synceritatem vestram bene [valere cupimus] /

*F. 49 v* [Datum Grodnae], die IX Mensis Februarii, Anno Domini M$^{0}$ D$^{0}$ LXXXIIII, Regni vero nostri anno octavo. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

a) *sic in ms.*

*C.* [*Elbingensium expositio*]

Petrus Costhca Dei gratia Episcopus Culmensis, Petrus de Potulicze Palatinus Brestensis, Stephanus Grudzinski Naklensis, Stanislaus Costhca Succamerarius Culmensis a S. R. Maiestate Domino nostro clementissimo Commissarii in causa et causis infrascriptis Deputati omnibus et singulis quorum interest tenore presentium significamus: Quod cum S.R. Maiestas, Dominus noster clementissimus, nobis clementissime mandasset iniunxisset, ut negotium inter Serenissimae Angliae Reginae subditos et mercatores, et inter spectabiles et famatos Proconsulem, Consules et totam Communitatem Civitatis Regiae Elbingensis propter certam commerciorum Anglicanorum in dicta Regia Civitate Elbingensi exercendorum facultatem iuxta praescripta et mandata ipsius S.R. Maiestatis, Domini nostri clementissimi, diligenter cognosceremus, et inquireremus, et cum Magnifico Domino Joanne Herberto Serenissimae Reginae Angliae Oratore vel eius Serenitatis Mandatariis de eodem negotio tractaremus, Communicato inter nos consilio, vicesimum diem Julii ad conveniendum, et negotium istud perficiendum Elbingae assignavimus, et partes, quarum interest, praesertim Thoronienses, Gedanenses, Marienburgenses, et reliquas Civitates ad hanc ipsam commissionem literis nostris innotescentes vocavimus. Cum autem ad praestitutum diem Elbingam venissemus iurisdictionemque vigore auctoritatis nostrae Commissoriae a S.R. Maiestate domino nostro clementissimo hac in parte nobis commissa fundavissemus, et per publi-

cum Notarium commissionem S.M. publicassemus, tum eodem die nomine spectabilis Senatus et totius communitatis Civitatis Regiae Elbingensis Deputati coram nobis comparuerunt, et nos in haec verba affati sunt: Reverendissime, Magnifici et Generosi Domini, Domini gratissimi R.M. et G.D., vestris paratissima observantiae et cultus sui studia officiose defert Magistratus et Communitas Civitatis Elbingensis faustissima quaeque eisdem et Commissionis Regiae conficiendae exitum foelicem exoptamus.

Ad primum quidem quantas potest gratias Sacrae R. Maiestati Domino nostro clementissimo agit, quod habita benignissime ratione et eorum et Serenissimae Reginae Angliae orator petiit, et Civitatis huius R.M. et G.D. vestras commissarios delegerit, ut quae de liberae negotiationis Anglicanae exercitio ac sede regio consensu ultro citroque acta, conventa ac in certa quaedam capita redacta fuerunt, exactius ea discuterent: deinde et R.M. et G.D. gratias se debere agnoscit, quod ad eam S.R. Maiestatis voluntatem explendam sua quoque studia tam benigne adiungentes, ad dictum huic rei diem frequentes adesse munusque suum obire voluerint. Quod quidem ut prospere eveniat atque ex dignitate S.R. Maiestatis et Reipublicae Civi-

*F. 50* tatisque huius regiae commodo atque etiam R.M. et G.D. vestris sempiternae laudi et delectationi sit, Deum Opt. Max. precatur. Caeterum, ut R.M. ac G.D. vestrae statum huius rei brevem quandam summam eorum, quae ad commissionis huius rationes pertinent, quaeque adhuc usque acta cognoscant, pro eo atque Civitatis cuius interest pauca quaedam exponenda videntur. Floruisse quondam hanc Elbingensem commerciorum frequentia nec multo inferiorem vicinis suis negotiando fuisse, eo maxime tempore quo Istulae flumen in Habi sinum se oneraret, et brachium suum Nogatum extenderet, tum navigationes veteres per regnum Daniae et monumenta alia, tum ac edificiorum antiquorum forma ac structura, quae ad excipienda frumenta ac merces comparata est, satis docere potest. Verum succedentibus annis fatali quadam rerum ac temporum vicissitudine et per ipsius portus et fluminis mutationem et bellorum diversorum calamitatem in eas angustias redacta fuit, ut et navigationibus et commerciis hominum destituta, in medio pene foro gramina videret, Cui vastationi et solitudini civitatis huius succurrere volentes Serenissimi Poloniae Reges D. Sigismundus primus, et D. Sigismundus Augustus alias atque alias iuvandae illius rationes clementissime inierunt. Verum posteaquam haec S. Maiestas vestra ad inclyti Poloniae Regni felicissima gubernacula divinitus erecta fidesque illi, ut ab aliis Ordinibus, ita ab hac quoque Civitate, data fuit, pro clementia sua Regia de commodis illius augendis cogitare, et prope iacentem erigere coepit, inventa eius provehendae et ornandae via hac opportunissima, nimirum ut Nobilitati atque Regni Incolis liber negotiandi usus cum exteris et transmarinis ibidem concederetur, ideoque hinc auctoritate sua Regia, Edicto prius publice promulgato et ad transmarinas Civitates misso, postea etiam in Conventu omnium regni Ordinum consensu, sigilloque publico confirmavit. Qua libertate concessa, inter caeteros etiam Angli, qui id temporis multis difficultatibus Dantisci premebantur, invitati fuerunt, qui etiam peculiarem ac stabilem quandam suarum negotiationum sedem certis rationibus sibi concedi ibidem petierunt. Quibus cum agendi et tractandi potestatem simul atque R. Maiestas fecisset, mox vicini Gedanenses, quia et Anglos a se averti, et suis negotiationibus nonnihil inde decedere, existi[marent] nihil non contra tentarunt. Ac primum quidem per seipsos varia impedimenta obiecerunt,

deinde et per alios, in primis per socias quasdam Civitates Ansaeas, quas ita et in Anglos, et in Elbingenses concitaverunt, ut illos quidem vel gravissime mulctatos, vel e civitatibus omnino exclusos vellent: hi vero, quibuscum illi essent, nisi dimitterentur, extrema atque atrocissima [quaeque] minitando intentarent. Quos tamen omnia minus morati sunt Elbingenses propterea quod Anglos in fidem tutelamque regis sui susceptos /

*F. 50 v* literisque publicis munitos excludere minime fas esse ducerent; et periculosa atque [extrema] quaedam Anseorum consilia adversus Serenissimam Angliae Reginam, quae amicitiam cum suo Principe coleret, citra consensum et voluntatem Regis sui, salva sua fide sequi, pariter cum quibusdam aliis Civitatibus sociis vererentur. Qua re cognita, Maiestas Regia non modo Cives suos Elbingenses contra adversationes eiuscemodi clementissime obfirmavit, verumetiam ad pertractandum cum Anglis porro excitavit, sic tamen, ut nihil statui vellet, antequam id approbasset, ratumque habuisset. Ideoque cum Serenissima Regina Angliae, quae suos subditos negotiantes, quemadmodum aliis in Regnis, ita his etiam in locis certa societate et praefecto certis de causis constare atque Elbingae potius quam alibi esse cupit, per Oratorem suum plene de his cum Elbingensibus egisset, rem eam certis quibusdam capitibus atque articulis comprehensam ad R. Maiestatem retulit. De quibus etsi Regia Maiestas constituere quidem iam ante potuisset, tamen qui et Regnum Poloniae universum et terras Prussiae concernerent, eosdem R.M. et G.D. vestris Commissariis suis exactius paulo discutiendos prius committere maluit. In quibus nihil alienum esse a Constitutionibus vel iuribus publicis Regni aut Terrarum Prussiae, sed ad publicam potius et communem utilitatem omnium Regni incolarum pariter omnia referri, pro sua eximia prudentia facile intelligent. Neque probare Gedanenses poterant libertatem illam negotiandi Elbingae concessam iuribus et constitutionibus publicis repugnare aut prohiberi, utut caput quoddam mutilatum protulerint et sua quadam interpretatione in alienum sensum detorquere studuerint.

Causae vero cur de iure suo aliquid remittant, et aliis concedant, Elbingenses [rationes] nimis habent graves, et quidem manifestiores, quam ut hic eas repeti sit necessarium. Quorsum enim Privilegia, quorsum iura et libertates sint, si eis uti nequeant? Jam vero dum aliis de iure suo nonnihil communicant, ad se quoque non parum commodum inde redire sentiunt, atque ex publica utilitate privatam capiunt: Ideoque nunc conceptos eos et oblatos articulos R.M. ac G.D. vestrarum aequissimo iudicio et dexteritati examinandos qua par est observantia committunt. Ac si quid sit, quod vel e Reipublicae vel Civitatis huius minus fore ipsis videatur, vel cuius ratio exactior requiratur, de eo admoniti et conferre cum R.M. ac G.D. vestris, et singulorum, si necesse sit, articulorum rationes exponere, et eorumdem benignissimam declarationem expectare sunt parati.

R.M. et G.D.V.

addictissimi Deputati Regiae Civitatis Elbingensis

Finita oratione nos pro munere nostro omnem operam et diligentiam exhibituros esse, illis promisimus, ut negotium istud Anglicanum (iuxta intentionem et instructionem ipsius S.R. Maiestatis, domini nostri clementissimi) a nobis quam diligenter perficeretur. Ad huius autem negotii diligentem requisitionem propter Gedanensium absentiam istud ad sequentem diem distulimus.

*F. 51* Sequenti vero die Internunciis Civitatis Regiae Gedanensis [facultate] nos adeundi concessa debitaque salutatione ac gratulatione [premissa paratos] se quidem ad audiendum esse dixerunt quid in hoc Anglicano [negotio] illis proponere vellemus. Itaque causam cur huc venissemus mandatum, voluntatem et mentem S. R. Maiestatis Domini nostri clementissimi illis exposuimus et exemplum Articulorum Anglicanorum illis tradidimus, sententiamque [eorum] et iudicium super singulos ab illis expetivimus. Illi vero rei difficultatem [et tempo]ris angustiam pretendentes pro informatione huius negotii Anglicani obnixe nos rogarunt, ut generalia quaedam contra illos Articulos [proferre] possent, paratos se postea esse, perlectis ac bene perpensis iisdem articulis, specifice et singillatim ad singulos articulos et quidem breviter [respondere]. Habito igitur nos consilio, loquendi facultatem illis concessimus, qui in hunc modum, qui sequitur, exorsi sunt:

*D.* [*Gedanensium expositio*]

Informatio negotii Anglicani

Ad negotium Anglicanum quod attinet, duo potissimum considerari videntur. Unum quod ea res ad infringendas Civitatum et Incolarum [regni] libertates maxime pertineat; alterum quod isthaec libera exterorum [cum] exteris negotiatio tam cum Regni quam Civitatum et Incolarum [Prussiae] maximo incommodo et detrimento coniuncta sit, quod utrumque sequ[entibus] argumentis demonstratur. Primum enim ea est Civita-[tum et] Incolarum Prussiae inter se quasi gemina coniunctio, et anti[qua] libertas, quod cum peregrinis et extraneis quaecumque merc[ium] genera in omnibus Civitatibus libere soleant exercere, vicissim [autem null]i extraneorum cum extraneo, sed saltem cum Civibus et In[colis negoti]ari liceat. Hoc iure Prussi utuntur non solum ultra Hominum memoriam, sed insuper tam longo retro tempore, quo vel longissima consuetudine et praescriptione usurpari possit, quam utique perpetua pacifica [et num-] quam interrupta possessio optimo iure confirmat, et ad omni contraria impetitione vindicat. Hanc libertatem quoniam Elbingenses cum caeteris civitatibus communem, non autem soli propriam habent; neces[sario se]quitur, quod usum sui iuris abjicere quidem liberum illis sit, ex[traneis autem] cedere, eosque in communionem publicae libertatis recipere, absque caet[erorum, quorum] interest, consensu, imo cum eorum damno et praeiudicio se minime possint. Neque certe exemplum uspiam extat in terris Prussiae liber[am] eiusmodi negotiandi facultatem ullis unquam extraneis, nisi forte per ab[usionem], fuisse concessam. Quamvis enim glorientur Angli olim ordinis [tempore] eam sibi libertatem indultam fuisse, nunquam tamen hoc prob[are] potuerunt, imo contrarium extat in actis publicis quod scilicet [hoc ipsum] ut obtinerent Angli ordinis tempore saepius ac saepius tentav[erint] quidem, verum cum cruciferi satis intelligerent illorum postulata cum [summa ac] certissima subditorum suorum pernicie coniuncta fore, non solum ea prorsus repudiar[unt, sed etiam] quoties subditorum iuribus et libertatibus /

*F. 51 v* in Anglia derogaretur, tota Prussia Anglis interdixerunt, donec in integrum sibi subditi restituerentur. Ac posito quod tale quidpiam proferre possent, id authenticum tamen esse non poterit, siquidem manifestis indiciis constat, quod in variis actionibus olim inter Anglos et

Prussos, ratione commerciorum habitis, scripta quaedam hinc inde fuerint proposita, quibus modus aliquis earum libertatum determinaretur. Ea autem ad effectum perducta et authenticis scriptis communita fuisse actis publicis minime continetur, d[onec] tandem Anno 1473 conventio Traiectensis utrinque acceptaretur. Itaque licet Anglis in Prussia negotiari et commercium exercere tam Elbingae quam alibi (more tamen consueto) cum civibus et incolis, prout caeteris extraneis ius est, et uti Conventio Traiectensis ultimo concepta et conclusa demonstrat: in qua nihil de speciali quopiam in Prussia privilegio ne verbo quidem excipitur, nec Anglis alia libertas quam ea, qua antiquitus usi gavisique fuissent, reservatur. Praeterea inceptum istud eo etiam est iniquius, quod Angli, cum Prussiae civitates et incolas libertatibus et privilegiis, ante ducentos et amplius annos in Anglia optimo iure comparatis, non ita quidem demum uti prohibeant: et omnium illos commerciorum libero usu penitus excludant; nunc etiam ultro sese ingerunt et omnem lapidem movent, quo domesticas quoque illorum libertates evertant. Incommoda vero, quae ex hoc Anglorum instituto tam ad Poloniae Regnum, quam terras Prussiae redundabunt, adeo sunt perspicua, ut multis verbis non indigeant. Primum enim monopolii exercitium Anglos hoc pacto instituere palam, vel ex illorum postulatis apparet, cum se solos volunt esse commerciorum omnium arbitros, et ea ad unicum locum et ad certos saltem Mercatores suae societatis restringunt; unde constat tam Regni quam terrarum Prussiae incolas, atque adeo caeteros extraneos omnes, Anglicos etiam reliquos, pristina sua libertate privari, quam hi Collegae sibi solis vindicare nituntur. Deinde periculosi res exempli est, quod magis etiam Monopolii studium detegit, quod mercibus pro suo libitu leges dicere volunt: et pro ratione temporis commercia vel abrogare vel sancire: prout inter sese iam antea ipso facto statuerunt, ne vel minoris quisquam venumdaret merces ex Anglia adportatas, vel pluris emeret merces ex his regionibus rursum exportandas, quam ab ipsorum Collegio prius collaudatum esset atque edictum. Quod nihil est aliud quam omnes Regiae Maiestatis subditos in ordinem cogere, et pro suo arbitrio et commodo mercibus usum ac precium quantum ipsis videbitur constituere. Quod etiam legibus iuris communis interdictum est; cuius generis etiam illa sunt, ex ipsorum statutis, ut pannorum et aliarum mercium Anglicanarum non quantum quisque desiderat, sed certum numerum aut quantitatem importet, neque aliis quam certis et statutis temporibus mercimonia devendat. Item ne quisquam sociorum usquam merces suas aut distrahat aut alibi traducat, aut emptas recipiat nisi in loco monopolii ubi consedisset.

*F. 52* Et item licitum non sit Anglis mercatoribus alibi quam Elbingae domicilium habere: eiusmodi vero leges et statuta tam incolis figere et refigere, cum in Regno Poloniae nunquam auditum est ac facile intelligi potest talia futura processu temporis isthaec statuta, quae per multum Anglis servient, plerisque autem regni et Prussiae incolis maxime incommodabunt. An etiam expediat exteris licere ut in locis alterius jurisdictioni subiectis sibi ipsis ius dicant, et peculiarem iuris ordinem praescribant, nunc in medio relinquatur. Illud autem dubium non est, quin auctoritati regiae et publicis legibus permultum deroget, quod Elbingae Angli iurisdictionem non tantum in suos, se etiam in extraneos et subditos regios desiderare videntur, si in abusum res devenerit, quia verendum est ne quod nunc actoris arbitrio committitur, successu temporis ad exemplum et consequentias perducatur. Monopolii fundamentis hoc modo substractis,

quid inde necessar[io conse]quatur, nemo non intelliget, cum omnes omnino nationes quae [extra] patriam negotiantur, non eorum, quibuscum commercia exercent, [sed sua] lucra et compendia sectari consueverint. Atque hoc inde etiam [apparet], quod iam ab eo tempore, quo Angli Elbingae mercari coeperunt, [in more] habuere, ut cum merces in his regionibus pro suo arbitrio comparare possent, pecunias ex divenditis mercibus suis collectas optimo q[uoque auro] vel argento permutarent, et illud omne in Angliam transmitterent. Quod eo cum maiore harum Regionum incommodo fit, quod in Anglia contraria lege cavetur, ne quisquam inde numeratam pecuniam praeter quo[tidianum] viaticum exportet: cum tamen a Regni Poloniae subditis vel merces ex hisce provinciis in Angliam transvehi vel argentum literis cambiorum magno cum emolumento commutari hactenus observatum fuit. Quoniam igitur Angli merces Anglicanas ad hanc solum societatem [suam] contrahant suoque arbitrio dispensare velint, hoc modo Civitatibus et Incolis Prussiae primam et precipuam crescendi augendique sui occasionem ex earumdem mercium negotiatione precludunt, et sibi solis mercaturam [istam exer]cere, et Anglicanam navigationem, Prussis penitus exclusis, soli maxime usurpare nituntur, neque solum penes Anglicanas merces inc[ommodum] istud haerebit, sed generaliter inde futurum est, ut quam subditi Regii ex omnium exterorum commerciis utilitatem capere consuevere, ea tota ab Anglis praeripiatur. Mercibus ergo plerumque ad se contractis et ad lucrum suum revocatis, ipsa ratio dictat Anglos ditari, subditos autem Regios mercimoniis destitutos paulatim exhauriri. Hoc enim omnino subsequetur, quod Angli secundum leges, quas sibimetipsi praescribunt, suo arbitratu precia non tantum suis mercibus ex Anglia asportatis intollerabilia [maximaque] imponent, verumetiam aestimationem /

*F. 52 v* earum [mercium] quas vicissim a subditis huius regni coemere volent, minorem constituent atque adeo utrinque venditionibus emptionibusque sibi lucrabuntur. Quod quidem inclytum Poloniae Regnum eiusque incorporatae provinciae suo maximo iam nunc experiuntur malo. Nam ex quo mercatores Prussiae a negotiatione Anglicana fuerint exclusi, precia pannorum Londinensium singulorum ad decem et plures florenos excreverunt, Ut non iam de aliis mercimoniis sermo nullus habeatur, Hinc necessitate inevitabili futurum est, ut Angli paulatim summam mercium Anglicanarum caritatem in hoc regnum invehant, omnium subditorum opes corradant, regnum evacuent, et ingentes thesauros ex incolarum et Civium ruinis comparatos secum auferant. Quippe si quae adversa atque graviora huic regno tempora immineant, collectis regni divitiis ad suos locupletiores redibunt, subditi vero nec quod ad publicam necessitatem conferant habebunt, nec emergere ulla ratione poterunt, quibus in summa rei familiaris difficultate ad inopiam redactis, quis tandem eorum laborante Republica contributionis onera sustinebit? Siquidem illi, qui opes undique contractas alio convertunt, nihil in publicas necessitates erogabunt. Hi facultatibus exhausti parum facere poterunt. Civitates sane in Prussia praecipuae super commerciorum libertate antiquitus fundatae sunt, ut inde maiores consequerentur nervos ad Rempublicam, quando opus esset, sublevandam: qua libertate erepta fieri non potest, ut in statu suo diu consistant. Et in universum nemini dubium est, qui regni totius intersit, ut facultates subditorum potius quam exterorum indies augeantur, ac opes et utilitates ex mercimoniis provenientes domi sint potius, quam foras exportentur. Illud etiam nequaquam negligendum est, quod hoc Anglo-

rum instituto navigatio his ex terris Prussiae, quae ad Regiam Maiestatem spectant, iam dudum celeberrima, nunc paulatim fit infrequentior, eoque modo Poloniae regnum quamplurimis commoditatibus, quae ex navigationis subditorum exercitio et transmarinarum regionum commercio provenire solent, plane destituetur, neque vero magnum in eo versatur incolarum regni commodum; uti vulgo videtur quod Elbingae pannos Anglicanos expeditius sibi comparare possint et quasi delectum mercandi habeant; eodem enim vel viliori precio Gedani vel alibi emere possunt. Multo vero maioris aestimandum est illud incommodum quod eveniet, cum Angli soli in commerciis regnabunt; et, [ut] antea dictum est, pro arbitrio mercibus precium constituent, postquam bene prospexerint, ne alibi quam Elbingae merces Anglicanae comparari possint. Quae sane totius regni incolarum servitus esset minime toleranda. Quantillum autem hoc est, quod omnibus Civibus Elbingensibus eandem libertatem in Angliae regno vel etiam maiora [pro]mittunt? cum non ignorent eos, uti parum illic negotiantur, ita in evehendis pannis, vel aliis mercimoniis Anglicanis non multum ipsis [obfu]turos. Enimvero Elbingensibus aeque ac caeteris civitatibus harum [in Anglia] libertatum ius iam dudum competit; nec opus est ut denuo tanti illud emant. Quin etiam hoc inter utrumque interest, quod Civitatibus Prussiae Anglicae libertates non precario, nec ex mera gratia, sed pro bene [meritis erg]a Angliae regnum, proque multis et gr[avibus im] pensis concessae [sunt]. /

*F. 53* Angli vero nihil tale, neque de Poloniae regno, [neque] de Prussiae terris publice unquam promeriti, pares nihilominus immunitates concupiscant, et Elbingae interim, maiorem etiam quam ipsi cives habent, omnium ferme rerum libertatem comparare sibi studeant. Quae res universis Regis incolis possit esse documento, monopolium istud nec ad re[gni commodum] quodpiam nec vel Elbingensium vel cuiusvis alterius Civitatis vel incolarum Prussiae utilitatem institui, sed ad privatum saltem Anglorum compendium et lucrum destinari. Eaque de causa Anglorum post[ulata non] tantum cum insigni publici iuris et Regiae dignitatis diminutione co[niuncta] esse, sed etiam cum maximo et irrecuperabili subditorum omnium damno et immo cum primis caeterarum Civitatum Prussiae exitio certissime paulo post consecuturo. Tandem etiam Gedanenses, quibus maxime prae caeteris omnibus per hoc monopolium incommodatur, Regiae Maiestati Domino suo clemen[tissimo] possunt non humillime ad animum revocare, quod in novissimis tract[ationibus] clementissime recepit, Civitatem illam reipsa perspecturam id cum ad Maiestatis suae benignam propensionem non exiguam accessionem fecisse: tum ad propria Civitatis commoda augenda plurimum etiam pertinuisse; praesertim ubi Maiestas sua reipsa ostendisset, Regno etiam et Reipublicae ipsi expedisse ut in Gedanensem potissimum prae caeteris Civitatem omne genus [mercium] ex regno devehatur. Denique ut ibi commerciorum cum transmarinis nationibus tanquam unicum horreum aliquod et publica sedes collocetur.

Rescripsit etiam clementissime Regia Maiestas in Gedanensi[um responso] negotiationem, quae contra publica terrarum Prussiae iura, moresq[ue ac] consuetudinem maiorum Elbingae ab Anglis exerceatur, iam tunc [sine] ulteriori mora prohiberet. Qua fiducia potissimum freti G[edanensis] civitatis ordines tractationes illas humillimum Maiestatis eius obseq[uium] tandem concluserunt. Quapropter aequissimum fuerit si Regia Maiestas benignissime existimet ad curam et sollicitudinem suam per-

tinere, quibus potissimum modis in augenda re familiari et redintegrando frequentiori commerciorum exercitio, quod hactenus vehementer diminutum fuerit, Civita[s] illa possit adiuvari. Accedit ad haec, quod Regia Maiestas non ita dudum universalibus literis suis in Prussia publico promulgavit (quas status terrarum [utpote libertatibus] suis consentaneas acceptarunt:) ac statuit ut privilegiis qu[ibuscumque, si]gna forte contra ius publicum ac prisca Civitatum et terrarum Prussiae iura et privilegia emanarint), non obstantibus, nemo posthac peregrinorum contra iura et privilegia terrarum Prussiae ulla in Civitate locove alio negotia exerceat. Quibus omnibus cum ex diametro repugnet Anglorum apud Elbingenses institutum, Gedanenses pro sua parte, et eo quod ipsorum interest, (interest autem quam maxime) humillimis precibus obsecrant, ut R. M-tas cives et incolas Prussiae suae penes antiquissimas libertates clementissime conservet; et quod in fidelium subditorum calamitatem et perniciem Angli moliuntur, ad effectum perduci minime sinat. Sed pluris potius facere suorum subditorum /

*F. 53 v* fortunas dignetur, quam ut in exterorum quorumcumque gratiam eas tantopere per hoc monopolium labefactari dignetur.

Eodem etiam [die] praefati Internuncii, uti quidem nobis promiserant, sententiam et iudicium super omnes et singulos articulos scripto comprehensum in subsequentem modum nobis obtulerunt.

I. Portus Prussiae patente omnibus, modo negotiationes fiant, modo consueto, et iuribus ac libertatibus terrarum et Civitatum salvis. Nam hoc ius cum exteris commercandi antiquissima consuetudine solis Civibus et incolis competit: exteris autem liberam cum exteris negotiationem concedi, cum civium et incolarum certissimo dispendio et exitio coniunctum est.

II. Hic articulus iuribus universae Prussiae derogat, praesertim maritimis tam in Regali quam in Ducali Prussiae civitatibus: est contra pacta perpetua et omnes patriae leges, et receptas longissimas consuetudines, quae D.D. Decessores Poloniae Reges omnes, et ipsa Serenissima Moderna Regia Maiestas sacrosancto iureiurando confirmavit. Non igitur quod omnibus commune hactenus fuit, uni Elbingensi Civitati concedi potest.

III. Si modo hac in parte caeterarum Civitatum libertatibus non praeiudicet, nos praescribimus Elbingensibus quid aliis concedere vel edificare velint.

IV. Nihil ad nos pertinet, quia non de Religionis exercitio, sed de commerciis agitur.

V. Pertinet ad Regiae Maiestatis auctoritatem, et nunquam simile quid in Poloniae regno fuit auditum. Demonstrat itidem quod iure Monopolari Elbingae vivere Angli constitutum habeant. Quae etiam et qualis futura sit illa forma iuris-iurandi, qua ex Diplomate Reginae Angliae suos obstringere voluit, facile Maiestas vestra ut prudentissimus Princeps intelliget. Nulla enim ratione magis quam ea usum commerciorum restringere possint.

VI. An expediat quod exteri in locis alterius iurisdictioni subiectis sibi ipsis ius dicere possint, Maiestas Regia pro sua Regia prudentia benignissime considerabit.

VII. Hic articulus ferme prae ceteris Anglorum studium detegit et quam pern[iciosa] haec illorum Monopolia et universo Regno et terris Prussiae futura sint, satis demonstrat, statuta enim et leges ex suo commodo pro consideratione [temporum] exteris figere et refigere nunquam in hoc regno auditum, multo minus licitum. Considerabunt quidem Angli tempora, non ex aliorum, sed sua utilitate [et] statuta talia condent, quae ipsis permultum servient: omnibus vero Regni incolis incommodabunt plurimum. Testantur hoc leges, quae iam conditae sunt, et usu servantur.

VIII. Pertinet itidem articulus hic ad ius monopolii stabiliendum, et conventicula contra leges et Reipublicae auctoritatem inducenda.

IX. Hic articulus itidem ad Regiam et Magistratus authoritatem [pertinet], quae non facile exteris concedi solet.

X. Hic iterum Angli magistratum sibi subjicere student, et maioris Angli alicuius alios defraudantis existimationem, quam miserorum subditorum fortunas faciunt estimantque.

*F. 54* XI. Nisi et in hoc articulo anguis lateret, non [tot verbis in re plana et mani]festa laborarent.

XII. Eiusdem generis hic est de producendis testibus articulus, nisi quod compertum sit Anglos dum ab aliquo subdito ad dicendum testimonium producatur, Ordinarii Iudicis iurisdictionem recusare et ad Praefectum suum provocare.

XIII. Quod per se omnibus tribui aequitatis ratio postulat, id vel non paciscendum erat, res mysterio non caret.

XIV. Pari aequitate nititur hic articulus nisi Angli tota generalitate coercitionem illam sibi tribuere vellent. Quod admittere et grave et periculosum esset.

XV. Vendicatio et condictio rei furtive, ut iure communi omnibus aliis, certe et Anglis libera est; non subest igitur ratio, cur speciatim sibi [caveri] velint.

XVI. Spectat hic articulus ad imperium quod Angli desiderant stabiliendum, sine causae enim cognitione et relatione aliquem ex alterius arbitrio incarcerare servitutis aliquid habet, et occasionem praebebit, ut magis magisque legibus suis iniquis commercia constringant, et quosvis ad eas servandas adigant.

XVII. Libera sunt illa Elbingensibus, modo fiant absque caeterorum quorum [interest] praeiudicio.

XVIII, XIX. Hic omnes Civitatis leges non publico civium usu, sed privato com[modo m]etiuntur Angli: et quia hae res ipsorum Elbingensium iura, plebiscita et libertates concernunt, liberum est ipsis de iure suo concedere, quid velint. Saltem communibus libertatibus suo facto non derogent.

XX. Libere si exteri cum exteris commercari poterunt, qua ratione Civitates tam amplae conservabuntur vel Civium facultates augeri poterunt? Hac enim unica ratione Civitates ad splendorem perveniunt, ut tanto commodius re[publicae] necessitati quovis tempore subvenire possint.

Quod certe minime futurum est, si diutius in exteros translati, illi ad extremam redigentur inopiam, quae vero tenuioris fortunae hominibus Angli concedere videntur, ea in speciem fiunt et ut aliquo praetextu perniciosum studium hoc tegant.

XXI. Vere in hoc articulo testantur Angli, quod omnem emergendi occasionem praeripere velint: non enim merces emptas exportare, quod exteri consueverunt, sed cuius pro arbitrio revendere expetunt. Illi igitur Belgis et Hollandis, Gallis, Suecis, merces suppeditare, et omnem negotiationis utilitatem in se transferre poterunt.

XXII. Et in hoc articulo sibi hoc Angli tribui postulant, quod Civibus maxime debetur: minutatim enim res distrahere, proprie ad Cives pertinet, qui ex ea re victum quaeritant; et ut fucum hominibus faciant, praem[ittunt] quidem in genere se pannos omnes minutatim per ulnas non divendituros, [sed] preciosiores excipiunt, utpote in quibus maior spes lucri consistit [et] plus emolumenti expectari potest.

XXIII. Speciem quandam aequitatis hoc in se caput continet, dum Elbingenses onerandis et exonerandis navibus aliis praeferri videntur. Sed si penitius inspiciatur, videtur in precii constitutione plurimum situm esse, quod si in potestate societatis futurum sit, facile illos arcere et vel suos Anglos vel alios promovere poterunt.

*F. 54 v* XXIV. Nostra parum interest, quot hospites recipere cuilibet illorum integrum sit.

XXV. [Quod] Angli officiales iureiurando sibi obstringere et stipendia etiam constituere velint, hoc nisi cum insigni ipsorum commodo, et subditorum detrimento coniunctum esset, non tam sollicite agerent. Nec recenseri potest quanta et quam multa hanc rem subsequentur incommoda, si pondera et mensurae exterorum stabunt arbitrio.

XXVI. Haec domestica sunt Anglorum compendia, et nihil ad publicam negotiationem faciunt.

XXVII. Merito custodia bonorum relictorum penes Magistratum esse deberet, ut in reliquis Civitatibus, partim ne illa haeredibus pereant, aut intervertantur, partim ne, si forte defunctus haeredibus careat, fisco aliquod praeiudicium fiat.

XXVIII. Videntur Angli restringere velle Elbingensem libertatem in concedendo iure civili, dum neminem recipi volunt, nisi qui a collegio commendatus fuerit.

XXIX. Si exteris licet fundos in Civitatibus possidere, facile Colonia mutabitur; et ex Prutenis fient Angli: multa etiam ex hoc articulo simulate agi, et in praeiudicium caeterorum creditorum committi possent.

XXX. Ex inaequalitate onerum ferendorum facile perspici potest, quales Respublica tempore necessitatis habitura sit subditos et Cives.

XXXI. Hic Angli singulari privilegio Elbingensibus concedere videntur, quae et longe maiora non solum ipsis, sed omnibus Civitatibus Prussiae in Anglia a multis centenis annis licita permissaque fuerunt: videnturque Angli dum concessione hac reliquos subditos Maiestatis Regiae excludunt, non Elbingensium, qui rarius vel nunquam eas in partes perve-

niunt, sed suis rebus consulere, ut aliis exclusis, ipsi rerum potiri, et soli commodo negotiationis frui possint.

XXXII. Magni et periculosi exempli res est, quod hi collegati absolutam sibi potestatem usurpare volunt, quos volent rebelles et perfidos iudicandi. Ac si quis fortassis etiam Gedanum venerit, aut ibi Domicilium habuerit, eumdem huic numero adscribent, uti iam de facto fieri videmus.

XXXIII. Quoniam capita supra scripta repugnant iuribus, libertatibus et consuetudinibus terrarum Prussiae, frustra hic de interpretatione pac[torum] agitur, quae nunquam coire possunt. Et haec habent in hac temporis angustia Internuncii Gedanenses, quae super his articulis ad voluntatem Re[verendissimi] et Magnificorum Dominorum Commissariorum exhibenda putaverunt. Si quid aliud preterea Senatui Gedanensi pro pleniori informatione Regiae Maiestatis necessarium videtur, senioribus suis, cum quibus in specie super his articulis nunc consulere non possunt, integrum reservant.

Nos informationem Internunciorum Gedanensium in hoc negotio Anglicano et iudicium eorum super singulos articulos diligenter perpendimus, et pro[ut] nobis erat mandatum, cum Magnifico Domino Oratore, quid internuncii Gedanenses nobiscum ea de re egissent, contulimus, et scripta eorum illi communicavimus. Qui quidem D. Orator hanc quae sequitur informationis Gedanensium dilutionem nobis tradidit.

*E.* [*Gedanensium scripta expositio*]

*Vera et succincta dilutio informationis Gedanensium in negotio Anglicano.*

*F. 55* Gedanenses mercaturae Anglicanae sedem Elbingae positam duobus modis cupiunt irritam efficere, primo, quod tam ipsam dicunt Civitatum et incolarum Prussiae libertates infringere: secundo, quod eam affirmant tam cum regni quam Civitatum et incolarum Prussiae maximo incommodo et detrimento coniunctam esse.

Haec ut confirment, primo loco consuetudinem quandam obtendunt, qua retro decursis seculis quamplurimis in Prussia extraneis negotiandi facultatem in his terris semper negatam esse volunt. Nos talem ullam consuetudinem aliquando fuisse plane negamus: et Elbingenses, qui idipsum debent cognoscere, praecise negant. Et ut talis ulla aliquando aut revera fuerit aut fuisse Gedanensibus affirmantibus hoc loco concedatur. Cum tamen sacra regia Maiestas Poloniae in publicis totius regni comitiis 10 die Martii Anno M$^{0}$ D$^{0}$ LXXVIII Elbingensibus concesserit facultatem emporium apud se tam exoticarum quam Prutenicarum mercium constituendi, in eoque etiam cum mercatoribus transmarinis eo confluentibus pro voluntate sua agere permiserit, etiam cum iurium suorum aliqua laxatione, nos eam consuetudinem tantum valere non debere putamus, ut contra publicum istud totius regni decretum, scriptis commissum et confirmatum valere debeat. Quod autem Anglis dicunt, ne sub Cruciferis aliquid adversum consuetudinem predictam in his terris Prussiae concessum fuisse; Ad illud quod affirmant Mercatores Anglicos Prutenos suis in Anglia privi[legiis] prohibere; Insuper et ad illud, quod monopolium ab ipsis institui di[cunt]: Certe, cum Serenissimae Maiestatis Regiae superioribus annis duobus scriptis, quorum unum Informatio brevis fuit, quo ordine et quo modo sit ab antecessoribus Regibus Angliae, et a Regina

moderna in causa Anseaticorum a primis temporibus, quibus eorum privilegia in commissum incidere, [usque ad] Hodiernum diem progressum; Alterum fuit dilutio brevis ob[jectorum] de Monopolaribus et usurariis contractibus, quibus Anseatici Anglos Mercatores negotiationes in littoribus maris Baltici exe[rcentes] apud Caes. Maiestatem et apud alios Principes passim inique def[erunt, de]claratum sit Mercatores Anglicos antiquitus sub Cruciferis in terris Prussiae eiusmodi iura habuisse: Serenissimos etiam Reges Angliae [iustissimas] ob causas ita cum Anseaticis egisse: postremo societatem istam [mer]catorum Anglicorum in Orientales partes navigantium ob rationes valde graves institutam esse: nec ullo modo Monopolii posse insimulari, [cum,] inquam, ista omnia eis scriptis Serenissimae Regiae Maiestatis ostensa sint, eaque plenissime satisfecerunt; hic nos illa repetere non putavimus et Reverendissimas et Magnificas Dominationes vestras illis diutius distineri nolle existimavimus. Neque sane hic possumus non admirari quod Gedanenses tanta pr[udentia et] mercaturae usu valentes viri, Societatis Anglicanae in suos [mercatores] iurisdictio[nem improb]ent; eiusdemque in legibus, quae ad merc[aturam pertinent /

*F. 55 v* sanciendis auctoritatem ferre non possint, cum tot et tam praeclari iurisconsulti in auctoritate et iurisdictione illa explicanda elaborarint, non quasi dubitarent an Societates eiusmodi quidquam tale possent; sed declarantes quo modo et in quibus causis talia sancire eis liceat: quos quidem cancellos et societas Anglicana tam libenter quam etiam necessario est receptura. Ubi autem speciatim quasdam leges Anglorum Gedanenses referunt ac si eas societas Mercatorum Angliae aliquando sanxisset, nimirum de commerciis aliarum nationum abrogandis, de precio suarum mercium constituendo, de certa pannorum Anglicorum quantitate in has terras Orientales transvehendas statisque temporibus quibus eos liceat vaenum exponere, deque solo Elbingae domicilio Anglorum constituendo: nihil sane unquam tale decretum est, et si quando aliquid eiusmodi sanciendum esset, sine Elbingensium notitia et consensu habito (qui in praeiudicium Emporii sui nihil decerni sinent) statui aut decerni plane non posset.

De auro et argento quod allegatur, ac si mercatores Angli utrumque tam magno numero in Angliae Regnum secum exportarent, non possent certe Gedanenses ignorare, quanto cum dispendio id Anglus quispiam facturus esset: cum aurei Hungarici (quos solos verisimile est eos exportare), longe magis et pluris in his terris veneant, quam in Anglia valent. Parem sane efficaciam et illud habet, quod Anglos dicant Anglicanam navigationem, Prussis penitus exclusis, usurpare niti: nam si continuam et quotidianam fere tam Elbingae quam aliis etiam in Civitatibus Prussiae navium structuram et fabricam considerent, de eo sane non est quod conquerantur; neque enim plures iam naves Anglicanae Elbingam veniunt, quam venerunt olim Gedanum, cum ibi emporium Anglorum esset. De precio queruntur Anglicarum mercium: certe precium si maius est quam olim fuerat, et bonitas pannorum precio respondet, ut interea taceatur, pretium Prutenicarum mercium, quod in multis ad duplum, in quibusdam ad triplum eius precii pervenit, quo olim eaedem comparari solebant. Nec est, quod tam contemptim Gedanenses elevant reciprocam Elbingensium mercatorum in portibus Angliae admissionem, liberumque concessum mercaturae usum et exercitium: tam enim late patens est privilegium istud a Serenissima Regina Angliae concedendum Elbingensibus, quam id [quod]

reciproce mercatoribus suis concedi postulat: Latius autem pateat ut a quoquam iure flagitari nequit.

Quod autem Gedanenses civitatem suam commerciorum omnium [Civitatum Prussiae] transmarinis nationibus unicum horreum et sedem publicam constitui [affirmant], in eo sane nimis aperte sese produnt, et seipsos privati sui [compendii] magis quam utilitatis publicae studiosos esse arguunt: neque tamen ideo quisquam sapiens credet, eandem etiam Sapientissimae Summaeque Regiae Maiestatis mentem esse, quin potius sacra Maiestas sua pro more aliorum regum atque [Principum,] /

*F. 56* qui diversarum quandoque mercium diversa Emporia solent constituere, sic constituet rationes suas, ut ne qua una civitas in immensum crescat, sed et aliae etiam ex aequo possint emergere, ut interea taceamus nec hoc loco urgeamus, quas et quam graves causas, Serenissima ipsa M-tas habeat, propter quas, si non magis saltem ex aequo debeat Elbingensibus favere, atque Gedanensibus.

Ad extremum quod affertur, de edicto illo Serenissimae Regiae Maiestatis suae [prohibitorio], quod in conventu nuperrimo totius Prussiae est publicatum, prude[ntiae vestrae], quae tum temporis ibi affuerunt, omnium optime idipsum cognovisse [deb]ent, quarum relationi de eodem et Civibus Elbingensibus qui praesen[tes fuerunt], nos totos in hac re referre volumus.

Parum ergo faciunt omnia ista a Gedanensibus allegata ad id efficiendum, quod conantur. Residentiam nempe Anglicarum mercium, quae nunc Elbingae [est] instituta, aut Civitatum et incolarum Prussiae libertates ullo pacto [infrin]gere, aut cum totius Reipublicae detrimento coniunctam esse: quin p[otius] istis omnibus sic discussis et aperte dilutis contrarium potest [elucere.] eam ipsam nempe Residentiam Elbingae positam magno cum emolumento Reipublicae et auctione etiam libertatum in multis rebus non Prussiae solum, [sed] aliarum etiam Ditionum regni esse institutam.

Feria rursus secunda quae fuit 23 Julii Deputatos Elbingensium advo-[cari] curavimus, ut nobis si quid contra Gedanensium informationem [de] negotio Anglicano et super articulos eorumdem haberent ex[ponerent.] Illi vero ob huius negotii summam difficultatem et temporis [angustiam] dilationem a nobis obnixe petierunt, quam et illis conces[simus]: [Feria] tandem tertia Deputati ipsi Elbingensium hanc confutationem [inform]ationis Gedanensium, et ad censuram de conceptis privilegiis [Anglicani] articuli, responsionem nobis in hunc ut sequitur modum [obtulerunt].

Quae et coram nuper, et scripto de instituto liberae ne[gotiationis] Anglicanae exercitio R.C.M. ac G.D. vestris proposuimus [ea cum et] paulo prolixiora et a R.C.M. ac G.D. vestris proculdubio [satis] percepta sunt, minime repetenda iudicamus. Iam quia R.C.M. ac G.D. vestrae per Magnificum Dominum Oratorem Serenissimae Reginae Angliae [illa] etiam nobis communicari benigne voluerunt, quae hesterno die (a vicinis nostris) Gedanensibus adversus eumdem commerciorum Anglicorum usum et [articulos] mutuo consensu conceptos diversis scriptis oblata sunt, gratias quidem eisdem de benignitate ea magnas agimus. Verum optaremus t[antum] nobis temporis ad respondendum suppetere, quantum illis ad medit[andum] et proponendum fuisse videtur. Quo quia excludimur, ipsius causae [aequi]tas primum nos solatur; deinde R.C.M. et G.D. vestrarum benignitas [qua] freti, quod haec nobis angustia negavit sarciri posse confidimus.

Intelleximus vero duo potissimum causae fundamenta posita, vel[ut Ax]iomata quaedam a vicinis nostris Gedanensibus ad subvertenda [commerciorum] Anglicanorum exercitia afferri; unum quod ea res ad infringendas Civitatum vicinarum Prussiae /

*F. 56 v* libertates spectare, alterum quod detrimenta universo regno nostro allatura putetur. Quibus positis illi plura etiam inconvenientia in consequentiam astruere non verentur, quae tamen a reipsa et a gente illa sunt alienissima. Quibus fundamentis convulsis ea etiam, quae extruere volunt, facile concidere posse arbitramur. Nam quod ad constitutum fundamentum seu caput in hac causa afferendum affertur, de prima et gemina quadam negotiandi libertate, eam potius ex ipso iure gentium antiquissimo et ex statutis et libertatibus singularum civitatum, quae privilegiis Principum, a quibus concessa sunt, nituntur, et velut leges quaedam municipales sunt, quam ex recepta consuetudine aliqua originem suam ducere atque pendere censemus. Nam cum commerciorum usus etiam iure gentium liber sit, statuta vero civitatum pro cuiusque commoditate et ratione fiant, et nunc augeantur, nunc minuantur, prout cuique commodum ac bonum ac visum sit: non haec sane generali quadam consuetudine genuina, sed iure ac more quodam municipali censeri videntur, quum quod leges possunt, idem possint et statuta. Et sicut per leges prohiberi alienatio in non subditos, et onera subeuntes, commercium item certarum rerum et alienatio ac translatio Dominii prohiberi potest; Ita et per statuta. Iam penes quos statutorum condendorum ius est, penes eosdem et potestas est, ea ipsa ex utilitate et commoditate Civitatum metiri atque immutare. Neque tertius quispiam in loco alieno sine eius, qui iurisdictionem tenet, voluntate et authoritate ius sibi aliquod acquirere potest, tametsi v[ero] Elbingenses ab antiquo Gedani et in tota ea ditione peculiare ius quo libere negociandi ex Privilegiis Principum magno partis, acquisiverint, non tamen propterea Gedanensibus et aliis idem Elbingae competere aut constitutum esse concedunt, nec reipsa doceri poterit.

Qua autem ratione ipsis etiam Anglis olim et in Prussiae Civitatibus [et] aliis Ansaeis liberum usurpatumque fuerit, non cum Civibus tantum, sed etiam cum quibuscumque negotiationes exercere, de quibus Traiectana concordia meminit, et ad priora item atque antiquiora Privilegia de libero [inter]cursu sese refert, id cum Serenissimam Reginam Angliae concernat, vel [ipsa] vel Orator illius suo tempore et loco ostendet.

III. Equum quidem est sua cuique privilegia, modo legitime iis utatur, [salva] esse, ita optaremus etiam Anseorum Privilegia, quae in Angliae Regno [olim] praeclare parta fuerunt, etiam nunc sicut ab antiquo conservari. Ve[rum] quorum culpa acciderit, ut eorum iam usus vel negetur, vel in desuet[udinem] abierit, nemo rectius norit, quam ipsi adeo Gedanenses et qui iis conscii sunt, atque alii eorum complices: quibus hoc ad posteritatem] omnem excusandum relinquimus. Atque haec de primo Axiomate r[efutando] satis sit.

IV. Sequitur iam caput seu fundamentum alterum, quo incommoda, quae ad inclytum Poloniae regnum ex concessa Anglis ea commerciorum libertate [redundare] /

*F. 57* putantur, longo ordine recensentur. Ac quidem quam vere et recte insimulentur Angli, quod soli omnium commerciorum [arbitri esse] ad unicum locum et solos societatis eius mercatores ast[ringere velint eorum] quibus Anglicae negotiationes probe cognitae sunt, syncero [iudi-

cio permittimus.] Neque enim vel merces omnes totius regni Poloniae et magni [Ducatus Lithuaniae] aliarum incorporatarum Ditionum, ad has oras ac Civitates Prussiae, multo minus Elbingam, pervenire possunt, aut solent; neque si possint, tamen ad eas omnes comparandas Anglorum de societate ea qui hic negotiantur [fa]cultates omnes sufficere possent, quandoquidem praeter cineres, p[icem aridam] et liquidam, ceram et ligna, linum, cannabem, funes nauticos et [id genus alia] quedam, haud fere quidquam navibus suis in Angliam transportare [soleant.] [Quas] vero merces ex Angliae regno asportant, eas omnibus plane totius [regni] incolis advenientibus venales exponunt.

V. De societatis illius privatis quibusdam Constitutionibus ad ius fori non spectantibus, quae in repraehensionem vocantur, non deerit magnifico [Domino] Oratori et societati ei iusta responsio atque causae informatio; ad [quam] nos hoc loco referimus. Quod vero Angli mercium suarum domicilium non minus nunc Elbingae, quam prius Dantisci figant; id quis [repre]hendat? cum nusquam eos rectius et libentius esse conveniat, quam [quo] et merces suas apportent, atque deponant, ac fortunarum suarum sedem [figant], et quo Serenissimae Reginae voluntas eos certis de causis ducat.

VI. Non est a iure alienum, ut corpus aliquod societatis de contrac-[tibus et] rebus suis leges sive constitutiones aliquas sibi faciat, quibus [qui in] eo corpore continentur, tanquam voluntario quodam vinculo li-g[entur]. Quod si vero etiam alii sese libera voluntate sua eidem [subicere] velint, quis vetet? quum hoc in cuiusque libero arbitrio pos[itum est. Non] tamen se haec notio in invitum extendit, multo minus in eas causas [quae] ad legitimum et ordinarium Iudicem, cui quisque subest, pertin[ent].

VII. Miramur vero Gedanenses (qui negotiationum non suarum ta[n-tum, sed] et vicinarum veluti censores quidem haberi volunt,) non hic [considerare,] quae Anglorum negotiatorum conditio sit, qui ut plurimum suas tantum [merces] in has terras apportare, et ex iisdem distractis alias com[parare] atque naves Anglicas onerare soleant: quae cambiis plane non conve[niunt]. Caeterum si rem recta secum via reputare, et in suos dili-gent[ius] [inspic]ere velint, proculdubio comperient, non paucos Gedani reper[iri qui] sui tantum quaestus gratia meliora quaeque numismata in exter[a loca] et in Belgium exportent, alia vero deteriora ibidem recusa minimique valoris magno numero non sine maximo detrimento publico rep[ortent,] adeo ut iam talerorum quorumdam valor vix septem grossos [nostrates] excedat. Qua re quam universo Poloniae regno irrecuperabile prorsus damnum detur satis explicari non potest. Quae tamen censores [isti] cum unde proficiscantur, vel ex inscriptionibus, facile videant, Anglis imputare non verentur.

VIII. Quod vero ex negotiationibus suis Angli in his etiam locis, quae suis mercibus /

*F. 57 v* frequentant, ac locupletant, sua vicissim commoda legitime [com]parare studeant, cum tanta navigationis pericula, tantis cum sumptibus subeant, minime illis vitio dandum est. Quod vero leges negotiationibus et mercibus, tum suis, quas afferunt, tum alienis, quas hinc exportant praescribere dicantur, id num fieri ab illis, et quomodo posset, non sane videmus, Caeterum quod pretia rerum pro temporum et locorum varietate ac difficultate nonnunquam crescant, id cum aliis ex causis, tum ex monetae diminutione atque decremento fieri experimur.

IX. Civitates quidem maxime eas, quae negotiationum et navigationum commoditatibus gaudent, libertate etiam commerciorum prae caeteris [et] maxime peregrinis frui, non est iniquum, cum onera et munia pu[blica] prae caeteris subire cogantur. Ea vero libertas cum statutis singularum civitatum pro cuiusque iuribus et privilegiis regatur, et ad communem utilitatem referri debeat, cur pro temporum, locorum et hominum ratione et commoditate, vel laxari vel restringi non possit.

X. Cur navigatio ex terris Prussiae propter Anglorum libera commercia infrequentior reddi dicatur, non perspicimus, cum ea S.R. Maiestatis subditis non minus quam aliis omnibus pateat, nisi propter vel temporum horum perturbationem et maris pericula, vel salis etiam transmarini, quo pleraeque naves onerari solent, extra Prussiae negatam exportationem, de qua vel ipsi Gedanenses saepius conquesti sunt, ea minuatur?

XI. Quod vero commoditates eas, quae ex societatis huius Anglicanae negotiatione ad universum regnum et subditos illius plurime redeunt, tantopere ele[vantur], id tametsi non dubitamus quin Serenissimae Reginae Orator plane prosecuturus sit: tamen hoc saltem cuiusque iudicio expendendum relinquimus; annon ubi mercium copia et cuiquam eas quocumque velit emendi libera potestas est, ibidem et commodiori pretio eaedem comparari possint ac soleant? Quae vero commoda cum Elbingensibus ex mutua negotiationum in Anglia libertate reditura deinceps sint, non attinet ad Gedanenses curiosius inquirere; [sed] hoc potius qua ratione pristinarum libertatum usu careamus. Nobis q[uidem] hoc maxime propositum est, ut libertate negotiationum concessa, Ci[vitas] haec undiquaque commercio hominum ante destituta, nunc vicissim freq[uentari] et ad meliorem statum reduci possit. Commoditates autem eas, quae ex [libertate] hac commerciorum Elbingae, et ad universum Regnum Poloniae et ad omnes ac singulos incolas redundant, plerosque iam suo commodo sentire et intelligere arbitramur; dum et frumenta ac merces suas quibuscumque velint quantocumque libere divendere et quae desiderant a quibuscumque pro commoditate sua [com]parare emereque possint. Gedanenses vero dum Anglorum monopolium a[ccu]sant, eosque modis omnibus insectantur, et vicinos quibuscum sunt in [invidiam] vocant, annon eo ipso nomine sese suspectos reddant et privati com[modi] [studi]um suum nimis prodere videantur, aliorum esto iudicium. Nam dum omnes omnium mercium negotiationes ad se solos converti, et ad suam civitatem [Gedanensem] prae caeteris omne genus mercium ex Regno devehi, ibidemque com[merciorum] cum transmarinis nationibus tanquam unicum horreum aliquod et [publicam sedem] collocari petunt: eamque etiam ob rem, adeo ut Istulae flumen /

*F. 58* miris artibus eo convertere moliantur, non abs re monopolii speciem quamdam prae se ferre et omnium aliarum Civitatum ruinam secum trahere videntur, quibus quidem incrementa sua et reliquarum negotiationum affluxus nunquam sane invidemus, modo nobis illi non invideant, hocque divino et R[egio] beneficio et aliorum, qui nobiscum esse volunt bona voluntate et studio obtinere possimus. Ac sane quod S.R. Maiestatis clementissimae promiss[is et res]ponsis nitantur, id non iniquum est, cum ipsi etiam, ut par est, responsis et promissis Regiis nihil sanctius ac religiosius habeamus. Sed quod liberam hanc Elbingae concessam negotiationem sublatum iri, et ad Gedanensem civitatem omne genus negotiationum reduci sperant, in eo confidimus S.R. Maiestatem pro pari erga omnes

et singulos subditos suos, Civitatis quoque suae Elbingensis non minus quam Gedanensis ratio[nem benigniss]imam habituram esse, quum liberam hanc commerciorum ra[tionem] gravibus iustisque de causis, consulto omnium ordinum Regni con[sensu, publicis] Comitiis confirmavit, et Serenissimae etiam Angliae Reginae subditisque illius certam residentiae spem Elbingae clementissime fecerit. Ac sane plurimum cum sua, tum legis universae interesse pro sapientia sua Regiae intelligat, ne una saltem Civitas Regia, sed multae floreant: et sing[ulae commer]ciis suis contineantur. Quandoquidem ad ferenda Regni et Reipublicae [onera] pariter omnes ex aequo vocentur; quamvis aliae aliis et magnitudinis [dis-] tentia et potentia et opibus plus possint, ideoque magis praestare [valent]. Quod vero ad literas eas R. Maiestatis universales attinet, quas [Gedani pro] informatione quadam sua a R. Maiestate minus plene edocta obtinuerunt quasque status terrarum utpote libertatibus suis consentaneas accepisse illi scribunt, atque magnopere urgent: Eas primum negamus [ab] Ordinibus harum terrarum ita acceptatas fuisse, tanquam libertat[ibus et consti]tutionibus terrarum omnino consentaneas, sed eatenus saltem, [quatenus cum] Constitutionibus iis convenirent. Par autem fuerat Gedan[enses Regiae] Maiestati totum illud constitutionum publicarum caput integre, et n[on altera] parte mutilatum proponere, nec aliqua quadam interpre[tatione] in diversum sensum traducere. Nam cum idipsum caput mercato[res] et praesertim peregrinos sive exoticos homines saltem in villis [et pagis] negotiari prohibeat, Gedanenses idipsum non iam ad villas et [pagos, sed] ad omnes adeo Civitates et imprimis quidem ad negotiationum liber[tatem] Elbingae concessam sinistre contra mentem ipsius Constitutionis, [contra votum] Consiliariorum Terrarum, et contra ipsius etiam Regiae Maiestatis declar[ationem] extendentes, detorquent, quum tamen sequentia verba, quibus pri[iora] explicantur, merces omnes et res vendibiles in Civitate iuxta veterem consuetudinem duci, et in foro publico, non in pagis, venales haberi iubeant. Neque ullos mercatores, nedum peregrinos a negotiationibus in Civitatibus, sed in pagis et villis tantum, ubi mercatos esse norint, excludant. Ideoque humillima et plenissima cum fiducia omnino [de S. R.] /

*F. 58 v* [M.te Dno] nostro clementissimo id persuasissimum habemus: Maiestatem suam, [quod] semel maturo consilio, totius Regni Ordinibus, quorum ea res utilitatem et commodum concernat, approbantibus, constituit, id sancte conservaturam esse. Ex hac simplici et plana responsione nostra, R.C.M. ac G.D. vestrae pro singulari prudentia et dexteritate sua perbenigne co[gniturae], speramus, quam infirmis fundamentis et rationibus ea subsistant, quae a vicinis Gedanensibus ad institutam Elbingae Anglicorum commerciorum utilitatem ac sedem labefactandam et tollendam opponuntur; et quam illi omnia ad se commercia a vicinis Civitatibus omnibus contra communem et publicam utilitatem pertrahere studeant. Quae ut R. C.M. ac G.D. vestrae benignissimo iudicio suo recte ponderare, et apud S.R.M. Dominum nostrum clementissimum, et publicae totius Regni utilitati ac plurimorum potius quam unius Civitatis Regiae commodis ex aequo favere, in primis vero Civitatis Regiae huius Elbingensis res concisas bonitate et patrocinio suo prosequi diligenter qua par est observantia, maiorem in modum perquam demisse iterum iterumque oramus. Quibus nostra vicissim gratae mentis studia, et officia paratissimis animis deferimus, et quibuscumque possimus rebus probare studebimus.

*F.* [*Elbingensium responsio*]

Ad Censuram Gedanensium de singulis concepti Privilegii Anglicani articulis responsio.

I. Libera quidem iure gentium omnibus in Locis et portubus sunt commercia nisi legittime prohiberi possint: verum quia Angli variis quibusdam difficultatibus aliquando se prae caeteris alicubi pressos meminerint, [eadem] illis et occasio data fuit sibi rectius consulendi. Itaque ut publica veluti fide tuto, libere et secure in hoc regnum vivere ibidem com[morari], mercari, et redire possint hoc articulo veluti publicis quibusdam fidei literis providendum sibi existimarunt. Quod vero ad allegatam [libere] negotiandi cum exteris consuetudinem attinet, priori [scripto] nostro respondimus.

II. Volunt sane pacta perpetua, ut liberum sit cuique in quem velit [locum] seu portum secure appellere, nec arcent quenquam; verum nec iura [Prussiae] Terrarum publica nec pacta prohibent, quo minus quis rerum et fortunarum [suarum] domicilium in quo visum sit illi loco constituat. Itaque et in ar[bitrio] Serenissimae Reginae Angliae et subditorum illius positum est, in quo vel[int] loco negotia sua exercere. Sed cum certis de causis Elbingam de[legerit], in qua subditos suos quadam societate legitime constari et con[tineri] cupiat, nemo hoc illi vitio dabit. Neque id adeo novum et inu[sitatum] est, cum hoc ipsis etiam in aliis Regnis ac Regionibus ultro conc[editur], et quidem amicitiae ei, quam Serenissima Regina Angliae cum Regia Maiestate [habet], plane conveniens sit.

III. Merae facultatis est, aedes et areas suas quibus libeat precio [elocare.]

IV. Hoc articulo Angli ratione Confoederationis in regno Poloniae constitutae Religionis suae exercitium sibi reservari pe[tunt.]

*F. 59* V. Vult Serenissima Regina Angliae subditos suos sicut in aliis regnis ac Provinciis, sic et his in terris certo quodam corpore sive societate legitima constare; et Praefecto atque Assistentibus eius, tum ut facilius contineantur, tum ut fides in contractibus rectius observetur. Itaque cum mercatorum Collegia ut alia sint licita ac societatis Magistro seu Seniore carere nequeant, hoc quoque illis negari non potest, quod quidem et iam olim observatum esse constat. Quapropter nihil S.R. Maiestas alienum fecerit, si hoc ipsum illis concesserit: nec est quod propterea monopolii et restricti commerciorum usus insimulentur; cum non solum iis, sed et aliis pariter usus eorumdem commerciorum tam in Regno Angliae quam in terris Prussiae concedatur. Et quidem collegia eiusmodi fraudes etiam ac circumventiones, quae in contractibus committi solent, prohibere facilius possint.

VI. Permissum est iure licitis collegiis, ut in contractibus et rebus ad illa pertinentibus Praefectus cum adiunctis aliquam notionem habeat, atque in iniuriis levioribus coertionem aliquam. Id, cum e re sit, neque iurisdictioni vel tranquillitati publicae officiat, in repraehensionem cadere non potest.

VII. Quia collegia licita super rebus ad professionem et societatem suam privatim pertinentibus constitutiones aliquas facere possint, iure vetitum non est, modo eae iurisdictioni Magistratus non derogent. Ideoque ne hoc quidem Anglis de societate negari potest; verumtamen cautum est

ne quas inter se constitutiones praesertim de commerciis publicis faciant nisi Magistratu conscio et consentiente, qui pro sua prudentia providebit, ne quid pro affectu et libitu suo eiuscemodi statuant, vel civibus ac Civitati vel aliis quibuscumque praeiudicio damnove ulli esse possint. Ideoque ut in aliis quibusdam, sic et in hoc articulo praeter meritum monopolii insimulantur.

VIII. Satis et in hoc articulo tum S.R. Maiestati tum civitati atque Magistratui provisum esse existimavimus, ut ne quid, dum privatim rerum et negotiationum suarum causa conveniunt, Angli in praeiudicium cuiusquam agant. Icirco tanta sollicita Gedanensium cura non erat opus, cum non ignorent etiam Opificum collegiis id non negari.

IX. Quemadmodum sexto articulo ostenditur, Iurisdictionem Deputato seu Praefecto societatis cum Assistentibus competere in solos Anglos de contractibus inter se controvertentes: ita hic locum habet eo casu, quo cum Anglo agit extraneus, cui quidem praeter Ordinarium loci iudicem etiam voluntaria iurisdictio relinquitur, ut, si malit, coram Deputato et Assistentibus eius Anglum convenire possit. Quod cum iure cuique liceat, non est quod quisquam propterea ordinariam Magistratus iurisdictionem labefactari existimet.

X. Qui creditori nulla alia re magis quam solutione consulitur, idcirco conventum est, ut debitoris conditio ad Deputatum deferatur, si forte is aliquam solutionis rationem invenire et graviora avertere possit, sin minus, Magistratus officio suo fungitur. Quare inique in hoc et in aliis articulis Angli perstringuntur, quod Magistratum sibi subjicere studeant.

*F. 59 v* XI. Non est alienum ea etiam, quae iure communi sancita sunt, ambiguitatis vitandae causa in mutuis conventionibus repeti.

XII. Iniuriam Anglis in hoc etiam articulo fieri certum est; convenit enim et cautum est, ne ordinariae iurisidictioni se ullo modo subtrahere possint, ac ut velint suae iudici partes relinquantur.

XIII, XIV, XV. Tametsi summa aequitate etiam hi articuli nitantur, tamen Monopoli notas effugere non possent. Nam et 13⁰ quidem omni procrastinatione semota, in debitis liquidis expedita iustitiae administratio brevissimo temporis spatio definitur. In 14⁰ vero, ut mutua delinquentium coertio sit, sancitur. In 15⁰ autem res furto rapinave ablatae, apud quemcumque repertae fuerint, legitimo domino vindicantur.

XVI. Notionem quidem Deputato in Anglos suos in Civilibus causis et [coer]tionem etiam aliquam in Praefractos et immorigeros usque ad carceris paenam, a Senatu concedi, modo de indemnitate iniuste detentionis caveatur, a Jure non alienum est. Verum quod imperium propterea illi aliquod sive ius animadvertendi in facinorosos gladio attribui dicitur, id a vero longe est alienissimum.

XVII, XVIII, XIX, XX, XXI. In his articulis coniunctim fere de libertate commerciorum aliis Elbingae communicanda praecipue agitur: quam necessitas primum Civitatis prope iam omnibus Commerciis destitutae: deinde Regia auctoritas et publicae communisque utilitatis ratio suasit. Nam de iure et libertatibus suis aliquid aliis certa ratione Elbingenses concedere, et Civitatis conditionem meliorem reddere maluerunt, quam sine earum communicatione omnium fere hominum commercio et negotiationibus dest[itui]. Qua in re, cum aliis suas libertates salvas relinquant, nemini faciunt iniuriam.

XXII. Convenit cum Anglis atque hoc ipsis etiam propositum est, ut res et merces suas Elbingae comparatas recte exportent. Quod si vero aut necessitate aut tempore excludantur, ne mercium iacturam faciant, revendendi eis remedio consultum est, sic tamen ut in [grosso] modo merces eas revendant, neque etiam pannos suos min[utatim] distrahant nisi preciosiores quosdam, quibus integris emendis [non] cuiusque ratio atque facultas suppetit. Quare emptoribus saepe magis quam ipsis consulitur.

XXIII. Aequitatis est, ut incolarum operae extraneis praeferantur et prec[ium] iustum constituatur, mutuo eorum, quorum usui deservire debent, con[sensu].

XXIV. Praestaret Gedanenses tam in caeteris omnibus, quam in hoc articulo se aequos praebuisse.

XXV. Conceditur Anglis, ut operarios quibus uti velint sibi indigenas deligant, verum ut fidem illorum tanto melius sequantur [et probatiorem] habeant, convenit, ut in praesentia Deputati iuramenta magi[stratui] praestent: et de precio cum illis certo agatur. De ponderibus vero et mensuris nihil eo articulo agitur. Necesse enim est quemcumque /

*F. 60* [receptis et iustis eius loci ponderibus ac mensuris acquiescer]e.

XXVI. Caverunt iuri suo municipali Elbingenses in [testamentis ab Anglis con]dendis, ne quid praeiudicii afferatur.

XXVII. Consulto Magistratus Elbingensis rerum a defunctis Anglis [relictarum curam] et custodiam Deputato et Assistentibus eius committit; s[tatuto] sicut inventario ex iuris forma confecto bona defuncti haeredibus non [tradantur] priusquam creditoribus, si qui sint, integra solutio fiat.

XXVIII. Consuetum est, ne quis iure Civitatis donetur, nisi qui testimonium nativitatis et honestae vitae afferat. Quod si igitur quisquam societati renunciari et [in numerum] Civium recipi velit, non vident cuius testimonio rectius iuvari posset [quam] ipsius societatis praefecti.

XXIX. Non est hic articulus alienus vel a iure, vel a constitutionibus harum terrarum, ut si cui peregrino, non Civi, fundus sive domus aliqua ex debitis pignori sive Hypothecae loco data sit, et solutionis faciendae causa, distrah[atur debeat], ea non aliis quam civibus divendatur.

XXX. Nulla re magis quam libertatibus negotiantes advenae allici solent. Itaque ut et Angli facilius detineri et sedes negotiationum eorumdem firmius [stabilita esse] posset, beneficio hoc devinciendi erant. Quo tamen illi, qui Civium more [hospitia] aliis praebent, gaudere non possunt, sed una cum civibus paria onera [ferant].

XXXI. Liberum intercursum mutuum (et si quid sit aliud eiuscemodi) E[lbingensibus] in Anglia promissum, quem rariorem vel nullum Gedanenses fore ominantur, divino et Regalibus beneficiis se obtenturos confidunt Elbingenses ac si quid ab aliis etiam eiuscemodi impetrari posset, per ipsos facile licet.

XXXII. Nihil sibi imperii Societas in Anglos perfidos et a priore fide desciscentes sumit, sed tantum societate ea exclusos vult.

XXXIII. Negant omnino Elbingenses capita supra scripta iuribus, [libertati]bus et consuetudinibus terrarum Prussiae repugnare: Sed ii[sdem] iuri et aequitati maxime convenire affirmant. Itaque si quid [dubietatis] in iis forte emerserit, ne Privilegium, quod firmum et perpetuum

esse [debet, ali]qua ratione labefactetur, interpretatio eius ad normam aequitatis [et iuris] scripti iustissime revocatur.

R.C.M. et G.D. vestrarum addictissimi
Deputati Regiae Civitatis Elbingensis

Feria deinde quarta cum Domino Oratore egimus, eique post aliquot mutua colloquia sententiam et voluntatem S.R. Maiestatis super sing[ulos] articulos proposuimus, quod de verbo descriptum infra sequitur.

*G.* [*Commissariorum sententia*]

Magnificorum D.D.D.D. Commissariorum de Negotio Angli[cano] iudicium ex sententia et voluntate R. Maiestatis:

1. De negotiatione libera; ut ea fiat sine iurium ac fractuum Regalium [et] publicarum regni legum praeiudicio et iniuria; Praeterea ne depositor[ia reli]quarum Civitatum deteriora fiant, cum leges de commerciis peregrinorum in Prussia maxime latae sint, et negotia non per villas ac Pagos, sed in foris [civitatum] /

*F. 60 v* [consuetis] ac publicis nundinis exerceant; imprimis autem portoria, [vectigalia] que aliaque omnia quibuscumque in locis ditionum suae Maiestatis ab aliis solvi consueta, ipsi quoque persolvant. Salvi conductus ita concedi debent, ut ne qua [alia] in causa nisi in qua subditi Regiae Maiestatis vel alii peregrini prehendi [a)] aut fide publica consulere sibi solent, ex Anglis quoque quisquam petere quem necesse habeat; omnis tamen fraudis excludendae causa, ut quoties Elbinga ulterius in ditiones Regias progrediantur, a Magistratu Elbingensi literas passus accipiant.

2. Potest Anglis permitti, si ita iis videatur, ut Elbingam potissimum eant; ut autem auctoritate Regia ad certum locum commercia restringantur, aut quominus quis alio etiam se conferre cum mercibus suis possit prohibeatur, repugnare videtur cum iuri publico, tum maxime pactis ad terras Prussiae spectantibus, quibus libera omnibus exteris in quemcumque voluerint locum pro eorum arbitrio appellendi, facultas conceditur. Ac ut Elbingae potissimum sint, permitti potest; ut vero auctoritate Regia ad certum locum quisquam cogatur, concedi nemini potest nec debet.

Quia vero etiam de mercatoribus peregrinis, qui continua in urbibus negotia habent, Petricovienses Constitutiones $2^0$ extant, quibus aequo cum aliis civibus iure negotiari vetantur, qui soli res nullas in Civitate possideant nec iuramento Magistratuum obstricti sint: etsi pugnare eae cum tali, qualis ab Anglis, postulatur negotiationum ratione videantur: ad aliarum tamen Prussiae civitatum morem [res] omnis revocari debet: ac quo iure Gedani, Regiomonti, ac in aliis vicinis civitatibus exteri utantur, eodem ut ipsi quoque iure Elbingae sint.

3. Aedes permitti possunt, si de omnibus aliis conventum fuerat.

4. Cum in urbe Elbingensi praeter Catholicae et Augustanae Religionis exercitium nullum aliud publice hactenus fuerit, conscientiaeque causa [novum] introduci vix ferendum sit, concedi quidem Anglis liberum exercitium [Reli]gionis ita tamen potest, ut idem subditis Regiae Maiestatis in Anglia permittatur, et tam Catholicae, quam Augustanae Religionis Regiae Maiestatis subditi vicissim libere sibi suam quique religionem exercere possint. Mortui etiam eorum inter religionis Augustanae mortuos sepeliri possunt.

5. Praefectus Assistentesque permittantur, sic tamen ut Commissariis S.M. Regiae iuramentum exhibeant.

6. Iurisdictio ita conceditur, ut ea inter Anglos solos versetur; et privatarum rerum actiones, aut leviores iniurias, quemadmodum ab illis ipsis propositum est, tantum pertineat, ne aut subditus aliquis suae Maiestatis vel peregrinus quicumque alius, qui ad collegium non pertineat, actor existat, forum eorum sequi teneatur, id quod multo magis in reo observando erit. Si nimirum Anglus quis cum alio negotium habeat, ne alibi quam coram Ordinario iudice eum conveniat.

7. Cum statutorum condendorum duplex ratio esse videatur, quarum altera quae ad morum et vivendi disciplinam pertinet, altera quae negotia atque mercium estimationem complectitur, prima ita illis permittenda est, ut eorum, quae ipsis prius placuerint, a regia Maiestate deinde confirmationem petant. /

*F. 61* Ut de commerciorum ratione, quid statuant aut omnino precium ullum cuiuscumque generis mercibus imponant, cum legibus Regni monopolia omnia vetita sint, concedendum non est; ut vero ad libertatem tota haec res reducatur, ac nullis quidem legibus precia rerum astringantur, sed contrahentium arbitrio atque industriae permittantur, ut nimirum quanti quisque possit vendat vel emat, tolerari potest.

8. Ut convenire societas in unum locum possit, facile permittitur; iuramentum nihilominus praestare tenebuntur, quo nihil in praeiudicium aut damnum vel regiae Maiestatis vel Reipublicae vel Civitatis Elbingensis suscepturos se promittent, vel ex naturalibus subditis regiae Maiestatis super conventibus suis aliquem adhibeant.

9. Iurisdictio 6$^{0}$ articulo commemorata est. Ad arbitrium quidem quod attinet, si quis vel subditus regiae Maiestatis vel extraneus coram societatis Praefecto aut assistentibus convenire quem voluerit, cum in quemcumque iudicem consentire quis possit, concedi potest; quemadmodum et quo minus appellationi re[nunciarit] ut autem qui expresse ei non renunciarit, appellationis beneficio aut [honorario] Iudice uti prohibeatur, iuri consentaneum non est. Moratoriae literae salvi conductus, protestationes, provocationes, etc, ita concedi possunt [ut] quo iure in huiuscemodi causis subditi Regiae Maiestatis, maxime autem Prussiae incolae, utantur, eodem ipsi quoque utantur, nec huiusmodi [in] rebus sine subditorum Maiestatis Regiae iniuria extraordinarium privi[legium] indulgeri potest.

10. Anglus si bonis labidicatur, priusquam is carceri mancipetur, Praefectus ac societas auctoritatem prius suam interponere pro eo permittitur, si transigi forte cum creditoribus possit, ita tamen ut si fuga is sibi interim consuluerit, periculum omne a Societate prestetur.

11, 12, 13. De actionibus civilibus ac criminalibus testimoniorum ratione, iur[is item] processu in negotiis observando Elbingenses ac Angli mutuo consensu legem sibi huiusmodi rebus ferant, alii tamen subditi Regiae Maiestatis [vel peregrini] quicumque, quibus negotii quid cum Anglis intercesserit, ea lege oblig[ari] non debent.

14. Delicta quidem punienda sunt, nobilitatis tamen libertati (in cuius causis a Toroniensibus ac aliis statutis discedi non debet) praeiudicii nihil afferatur.

15. De condictione atque vindicatione rei furtivae contra advenas quidem [ius] Civitatis observandum: in Anglorum et Elbingensium causis privata lege ab eo discedi potest.

16. Carcer quoque publicus ad continendos in officio suos, si Magistratum inde[mnem] praestent, eis conceditur.

17. Possessiones iure civium ut possideri ab omnibus aequum est, ita Angli qui res soli possident, conditione civium uti debent, ut nimirum statim ac in ali[cuius] rei possessionem venerint, iuramento Civitati denunciantur; Civesque fiant, onera ex aequo ferant, atque societatis corpore ac communione omni segregati civitati adiungantur; conductitias possessiones eo iure obtineant, quod est in aliis civitatibus observari consuetum.

18, 19, [20]. Esculentorum et poculentorum usus, cum id totum ad privatum civium Elbingensium commodum /

*F. 61 v* [spectet], arbitrio permittitur, modo quae inter se constituerint, non in aliorum etiam qui eo venditent, incommodum convertantur.

[21]. Commerciorum exercendorum libertas ita quidem eis conceditur, ut commodis Nobilitatis id iuris reservetur, ut cum ea libere immediateque contrahant. Ut autem cum aliis vel peregrinis vel, praeter Nobiles, incolis Regni qui [ius Civitatis] Elbingensis non habeant, in loco Emporii Elbingae eum ad modum negotia exerceant, cum id cum terrarum aliarumque civitatum Prussiae iuribus pugnet, satis causae sit, cur id concedi illis non debeat. Itaque ad alios (excepta Nobilitate) quod attinet, non potest omnino ea in re a publico Civitatum Prussiae iure recedi nec quidquam aliud permitti, quam ut quo iure in illis caeteri exteri sint, eodem [ipsi] quoque Elbingae utantur.

22. Ulnaria pannorum venditio ita illis conceditur, ut eos pannos, quorum ulna ternorum florenorum precium excedit, per ulnas vendere possint.

23. Conceditur et id, ut qui portuum ac navium exonerandarum earumdemque in portum introducendarum curam habituri sint, mutuo consensu Magistratus et Societatis mercedes accipiant, removerique ab iis, si officium suum non faciant, possint, modo ut ad ea ministeria non nisi cives Elbingenses vel alii subditi R. Maiestatis, qui in potestate Magistratus Elbingensis sint, adhibeantur.

24. Hospitium excipiendorum ius cum ad privatam civium Elbingensium utilitatem totum pertineat, pro eorum etiam arbitrio de eo decidendum illis permittitur.

25. Quemadmodum 23⁰ articulo permissum est, de portitoribus aliisque ministris, sic hic quoque articulus accipi debet, ut nimirum ita quae de iis petuntur, concedantur, ut nulli alii quam qui vel Civitatis Elbingensis ius consec[uti] fuerint, vel alias subditi R. Maiestatis sint, in officiis et ministeriis huiusmodi collocentur.

26. Ius testamentorum quamvis cum dotales et creditas solas res excipiunt, [iuri] communi Culmensi, quo bona inter virum et uxorem omnia communicantur, praeiudicare videantur; quatenus tamen id ad solam Elbingensium utilitatem pertinet, quisque privatim legem sibi dicere pos-

sit, hac conditione admittitur, ne alii subditi R. Maiestatis aut peregrini quicumque, qui Elbingae cives non sint, iure obligentur. Ii etiam, qui ex Anglis ius Civitatis Elbingensis acceperint, cum tempore nihil cum Societate commune habituri sint, Civitatis etiam iure in rebus uti debent. Fisci autem ius salvum sempre in bonis caducis et aliis permaneat.

27. Custodia rerum a defunctis relictarum penes Praefectum et Assistentes sit; vicissim vero universa societas bona fine periculum earum rerum in se re[cipiet] creditoresque, si qui ex haereditate quid voluerint, indemnes praestabit.

28. Praeter Praefecti etiam commentationem liberum sit Elbingensibus iudicum quos[cumque] videatur sibi asciscendi.

29. Potestas etiam conceditur possessiones pignori accipere, easdemque [distrahere], modo cum illis quae de acquirendis iis supra commemorata sunt, sueque Maiestati Regalia ac Reipublicae civitatis item Elbingensis iura in contractibus ad ali[os] spectantibus integra maneant.

[30]. Qui res soli in Civitate possident, si in ea negotiari velint, Secundum [b] Co[nstitutiones] Petricovienses ius Civitatis accipiant, pariaque cum reliquis Civi[bus] onera ferant.

*F. 62* Qui vero hospitum vice viventes, nec possessiones ullas nec ius Civitatis habent eos, quod Gedani, Regiomonti, aliisque in Prussiae Civitatibus a peregrinis praestatur idem Elbingae quoque ab Anglis huiusmodi praestari decet [cumque etiam] eo iure ac haud parum meliore quam in aliis Civitatibus, maxime autem Gedani ac Regiomonti, alii peregrini negotia exerceant, ipsi Elbingae nunc negotia sua, tractare instituunt, ut ad similitudinem Gedanensium portus de suis quoque [mercibus] portorium ibi suae Maiestati persolvant, ratio ipsa postulat: a coeteris autem teloneis ac contributionibus, cum subditi R. Maiestatis ac nobiles ipsi immunes non sunt, [meliori] conditione, quam qui in Regno hoc suae Maiestatis optima sint, utantur, contendere non debent. In hoc autem toto genere cum per se aequissimum sit, ut qua re privatorum facultates maxime et parantur et continentur, ex eadem Reipublicae quoque (sine qua ne illa quidem stare possint) nonnihil accedat; [multo minus] illi etiam id recusabunt, qui praecipuo quodam commerciorum exercendorum iure ac libertatibus a R. Maiestate afficiuntur.

31. Quod ad vicissitudinem libertatum ac iurium attinet, alienum cum a [communi foederum] ratione, tum ab aequitate ipsa videtur, non vicissim omnes potius S[ubditi] universumque Poloniae regnum cum regno Angliae, quam Elbingensem [civita]tem solum hoc loco inter se comparari; tribui eidem nihil certi, sed qu[ae] partim in incertum Serenissimae Reginae voluntatis eventum conferantur, partimque [hu]manitatis ratione nulli negari possint: In omnibus denique diserte potius cum iurisdictioni ordinariae, tum Portoriis, contributionibus, aliisque oneribus publicis eo ipso subjici, quod cum aliis subditis Serenissimae Reginae exequentur, tum ipsi ab iis omnibus liberari se a R. Maiestate petant. Itaque quale ip[si privi]legium a R. Maiestate acceperint, easdem omnino libertates ipsi [quoque] subditis R.ae Maiestatis omnibus vicissim a Serenissima Regina praestent.

32. Ne alieni perduelles aut in Principem suum remque publicam per[fidi] recipiantur, etiam nullis pactis intercedentibus, humanitas ipsa com-

munis[que] Principum necessitudo postulat, quo minus hac in re difficultatis sit, Ea aut[em in]primis aequalitas servari debet, ut hac quoque in causa, non Res[publica] Elbingensis, sed R. Maiestas Regnumque ipsius cum Serenissima Regina Regnoque Angliae [com]parentur. Sed et religionis causa, ac humanus error, quae nihil [cum] perduellione commune habent, hic quoque merito excipi debet, id enim [cum Serenit]as quoque eius minime inhonestum sibi ducat, ut suae Religionis homines [cala-] mitosos clementia ac liberalitate sua foveat, idem si Regia quoque [Maiestas] tanquam Princeps Catholicus Catholicae religionis hominibus aut a-[liis] praestet, quorum calamitas clementia R.[a] digna sit, minime id sua M[aiestas] improbatura est.

33. Interpretatio Privilegii, cum id a sola Regia Maiestate concedi [possit], non nisi a Maiestate Regia, successoribus suae Maiestatis, peti debet, si quid ali[cuius] dubitationis in eo acciderit.

Ad quos ut nobis responsum daret, et quae in iis aut obscura aut d[ubia] viderentur explicaret atque declararet, dictus Magnificus Orator [certum] sibi temporis spatium tribui a nobis postulavit; quod quidem nos [ei fa]cile et libere concessimus.

a) *sic in ms.*
b) Sedem *Ms.*

*H.* [*Elbingensium recursus ad regem Poloniae, cum privilegiorum citationibus*]

*F. 62 v* [Sexta] feria Elbingensium Deputati, primo ad ea quae nos ex illis [scire] [vole]bamus, nimirum de imponendo ab Anglis precio: de gemina et antiqu[issima] statuum in commerciis cum peregrinis exercendis coniunctione, atque libertate, de aliquo praeterea, quod eo commerciorum genere oriri posset detrimento, responderunt: idque etiam responsum scripto comprehensum, simul etiam privilegiorum, quae nos authentica inspectamus, quaedam capita ad comprobandam causam suam nobis tradiderunt, quod quidem est huiusmodi.

Reverendissimi Magnifici ac Generosi Domini, Domini gratiosissimi. Quibus rationibus et fundamentis vicini Gedanenses eam commerciorum coniunctionem, quam authoritate et consensu Regio cum Societate Anglica Elbingenses inierunt, dirimere et labefactare nitantur, ex duplici eorumdem scripto, quod R.C.M. ac G.D. vestrae nobis pleniore communicarunt: Magistratus et Communitas Elbingensis universa satis intellexit. Ad quae quantum per temporis angustiam licuit, ita respondit, ut quia praeter nudas assertiones a Gedanensibus probationis nihil afferretur, inficiando contra uteretur. Quoniam vero R.C.M. ac G.D. vestrae, quorum fidei et prudentiae negotium hoc a Regia Maiestate discutiendum est commissum, benigne monuerunt, ut si quid praeterea documentorum et monumentorum veterum haberemus, quod causae nostrae serviret, id omne proferremus; edocerique simul voluere, utrum Angli precia rebus ac mercibus pro arbitratu statue[rent], atque utrum gemina aliqua Civitatum coniunctione et antiquissima libertate inita cum peregrinis et Anglis commerciorum ratio impediatur; Denique utrum ea libertatum nostrarum communicatio civitati huic aliquando detrimento esset futura. Nos pro observantia nostra,

et M.R.C.M. ac G.D. vestrarum commonefactione, nomine Civitatis huius, qua par est observantia, et gratiarum actione omni complectentes, nec benignae illarum voluntati nec officio nostro ea in re deesse voluimus. Itaque quod ad primum illud caput attinet, quo monopolii cuiusdam insimulantur Angli, quia precia mercibus suis et alienis vendendis emendisque statuere dicuntur, tametsi ipsos sese excusaturos speremus, tamen hoc quidem nos vere affirmare possumus, non esse nos illius eiuscemodi facti conscios: neque id fieri facile posse, cum non Elbingae tantum, sed et in aliis civitatibus merces suas quibus indigent, parare necesse habeant, ubi et plures [sunt] alii mercatores, qui easdem merces emere soleant. Cumque non emptorum sed venditorum sit, precium mercibus suis imponere, illos hic quoque ex voluntate aliorum pendere oportet. Quod vero pannorum pretia crescant, id nos propter vectigalia atque exactiones indies magis hinc inde crescentes, et propter numismatum diminutionem et variationem fieri existimamus, cum pro [esti]matione monetae mercium quoque aliunde allatarum pretia constitui soleant. Et nonnulli etiam panni bonitate ac valore, atque etiam ulnarum multitudine praestent, unde et precia assurgunt. Caeterum geminam illam Civitatum Prussiae mutuarum negotiationum coniunctionem, et antiquissimam libertatem, [quam Geda-] nenses tanquam ex consuetudine quadam praescripta sibi et Civitatibus aliis Elbingae atque alibi libertatem cum exteris negotiandi communem vindicare, et propterea nos libertatem nostram exteris communicare, ipsis nolentibus, non posse /

*F. 63* asserunt. Perinde ut priori scripto nostro fecimus, negamus omnino utpote a re ipsa alienam. Etenim res ipsa et usus atque observantia in Civitatibus omnibus quotidiana illam refutat, et contrarium plane docet. Neque enim ea cuiusque Civitatis est, ut civis in alias quam in sua cum peregrinis libere contrahere, iisdem sua divendere et ab iisdem mercari suaque exportare, extra nundinarum publicarum tempora possit. Non id Regiomonti, non id Torunii, non Brunsbergae, non Marienburgi, non in aliis civitatibus conceditur. Verum quod nonnullae libertatem eam cum peregrinis negotiandi Dantisci habeant, eam ipsis tuendam relinquimus Elbingensibus; vero quod ea libertate Dantisci uti liceat, peculiare est, non quidem ex genuina alicuius coniunctionis aut antiquissimae consuetudinis racione, sed ex privilegiorum antiquissimorum iure, quae privilegia a Principibus magno parta, (ut ex eorum capitibus annexis apparet), atque a Serenissimis Poloniae regibus continua serie una cum caeteris privilegiis omnibus generatim confirmata habent. Gedanensibus vero et aliis civitatibus hoc Elbingae mutuum esse aut concessum unquam fuisse doceri non poterit. Et sane quidem Gedanenses cum omnibus commoditatibus privatis ac fortunis suis pro temporis occasione nemine consulto prospiciunt; alios idem facere ac suis rationibus, sine detrimento communis boni, immo emergente publica utilitate, statutis concedentibus, consulere licere negant. Quemadmodum in 17$^{0}$ etiam articulo videre est, ubi nobis objicitur, quod peregrinis numero civium non ascriptis conductionem aedium concedamus. Quod ipsumet Gedanenses frequenter fecisse scimus; sed post tumultus illius tempora demum novo quodam statuto mutasse, facile ut appareat, haec et similia non ex genuina aliqua coniunctione vel antiquissima libertate, sed ex statutis civitatum dependere. Quod vero de libertatibus nostris propriis, quibus nihil nobis prius aut antiquius est, hoc tempore concedendum aliquid et communicandum aliis statuerimus, necessitas ipsa et civitatis huius multis modis pressae atque omnibus plane

commerciis destitutae, coniuncta cum interitu conditio nos plane coegit, quam et iam antea Serenissimi Poloniae Reges ipsi coram, non sine dolore perspexerunt: et de remediis quibusdam huius in meliorem statum redigendae co[gitarunt]. Quae tamen minus profuerunt, quam id quod postremo haec S.R. Maiestas [de] libera negotiatione exteris concedenda et literis suis Regiis initio clementis[sime] invenit, proposuit ac promulgavit, et deinde in Comitiis Regni cum inclyto Senatu [et] omnium Ordinum approbatione sanxit. Quemadmodum ex iis quae offerimus s[criptis] contat. Vidit enim sapientissimus Princeps civitati huic nulla ratione alia rectius consuli potuisse. Quapropter et haec civitas, cum qu[a] ratione aliae Civitates crescere et florere coepissent consideraret, et a Serenissimis D.D. Decessoribus R.R. ius statutorum pro civitatis huius commodo con[dendorum] et mutandorum concessum haberet, illamque rem ex publica et communi Civita[tis] utilitate fore speraret, libenter est complexa. Neque solum Nobil[itati] inclyti regni, sed et Anglis Serenissimae Reginae nomine literis petentibus commerciorum libertatem promisit, atque concessit, quibuscum deinceps, et de hac commerciorum sede figenda, permittente Maiestate Regia, tractare instit[uit.] Ac sane quidem sentit iam haec Communitas eam ipsam negotiandi libertatem [peregrinorum]que frequentiam, non modo publicae omnium Regni incolarum utilitati servire, sed et [suis privatis rationibus nulli] /

*F. 63 v* adhuc damno esse; unde meliora indies Deo ac Principe suo favente [sperat] exemplo aliarum civitatum, quae hac ipsa ratione ad meliorem statum sunt perductae. Nam quorsum privilegia atque libertates, si usus eorum nullus est, et communicatione aliqua fructus maximus capi posset. Id vero nec constitutionibus regni nec Terrarum Prussiae iuribus adversari, neque aliarum civitatum libertatibus derogare. quibus cautum esse Regia Maiestas voluit, ex iis quae antea adduximus, facile apparere speramus. Itaque cum Elbingenses quicquid de laxanda et indulgenda Elbingae commerciorum libertate fecerunt, auctoritate M.tis Regiae et Senatus regni, ac statutis suis concedentibus necessariis de causis et publicae et privatae utilitatis iuvandaeque civitatis huius causa legitime et citra aliorum praeiudicium consulto, iuribus et constitutionibus publicis non prohibentibus, exemplo aliorum fecerunt : a R.C.M. ac G.D. vestris iterum atque iterum summa cum observantia petunt; Si rem omnem ad S.R. Maiestatem dominum nostrum clementissimum referre velint, ut si quidem illa minus commode aut dextre ab aliis de his informata sit, nunc planius edoceatur, et clementissimae illius voluntatis et scriptorum, ac Senatusconsulti prioris, atque Serenissimae Reginae Angliae Oratorisque ac subditorum illius, quibus optima spes facta, et res ipsa comprobari coepta est, huius denique Civitatis a Regia clementia pendentis benignissima ratio habeatur.

R.C. M. ac G.D. vestrarum

Addictissimi Deputati Civitatis Elbingensis.

Verba ex Privilegio Mestvini Ducis Pomeraniae etc. Elbingensibus anno 1293 dato transcripta.

Quare praesentium et futurorum indagine declaramus: Mestvinus Dei gratia dux Pomeraniae respectis fidelibus servitiis civium de Elbinga, quae patri nostro simul et nobis saepissime impenderunt, contulimus eisdem pro quadam summa pecuniae omnimodam libertatem tam in aquis quam

in aliis partibus nostris quae ad nostrum spectant Dominium, videlicet, terram nostram intrandi, transeundi, merces suas vendendi et emendi quascumque voluerint, et nihilominus ad suas Provincias unde veniunt redeundi sine omni exactione, telonio et solutione.

Actum et datum in Dansck etc.

Verba ex confirmatione a Praemislone Elbingensibus
Anno 1294 descripta.

Praeterea nos memoratos superius cives de Elbinga cupientes omni [nostra] prosequi gratia qua possumus et favore, iam annotatam libertatis [dona]tionem, quam ipsis Inclytus Princeps Dominus Mestwinus Patruus noster Dux Pomeranorum, ut supra habetur, contulit, habito maturo Ba[ronum] nostrorum consilio presentibus confirmamus, volentes inviolabiliter t[empore] procedenti per nos et nostros posteros dictam Libertatis plenitudinem [observari].

Actum et datum in Dansk

Verba ex Confirmatione Wladislai Regis Poloniae Elbingensibus
[Anno 1398 data desumpta]

*F. 64* Praeterea Nos Wladislaus Dei gratia Dominus nunc regni Poloniae [memo]ratos cives de Elbinga cupientes omni nostra prosequi gratia qua possumus et favore, iam annotatam libertatis donationem quam inclyti [Principes felicis] memoriae antecessores nostri superius memoratis Civibus de [Elbinga contulerunt], habito consilio nostrorum Baronum maturo, praesentibus confirmamus [volentes] per nos et nostros posteros inviolabiliter observari, sigillorum nostrorum [muni]nime roborantes. Actum in Dansk.

Verba ex Privilegio D. Cazimiri Regis Elbingensibus
Anno 1457 dato scripta.

Vnd gevven en undt dirlawben wilkeren abezuthun undt zuse[tzen] nach bekmemigkeitt ihrer Stadt Sonderlich zuvermeidung [man]cherly umvillen, und gewaltt, die ihn in zubrechunge ihrer alten Privilegien, von unseren nachkemlingen odir arwalden ges [chehen] mochte etc.

Verba ex Privilegio D. Sigismundi Regis
Elbingensibus Anno 1521 dato desumpta

Ac in primis in eadem Civitate nostra Elbingensi emporium sive Depos[itorium] generale omnium rerum venalium et mercium decernimus et consti[tuimus]. Praeterea admittimus tenore praesentium, ut ex oppidis et distri[ctibus] Vissnensi, Prassnissensi Dominiorum Ducum Masoviae, nec non No[vae Civi]tatis, omnia vitalia libere in Civitatem praedictam inducantur, ac ill[ic de]ponantur et vendantur. Et licet interdiximus sal illud trans[marinum] in Dominiis nostris et Ducatu Masoviae, ex singulari tamen [gratia] nostra, qua Elbingenses post hanc devastationem amplectimur, per[mittimus] praesentibus, ut ipsum sal extraneum ad supra scriptos dist[rictos]. Visnensem, Prassnissensem et Novae Civitatis tantum, iidem Civitates [pro pecu]nia sive rebus quibuscumque vendant libere, et illud sal ab iis, Inc[olae supra]scriptorum Districtuum Visnen. et Prassvis-

sen. et Novae Civitatis [emant] et recipiant, illoque utantur nulla ab hoc poena illos sequente.

Verba ex Privilegiis D. Sigismundi Augusti
Regis Elbingensibus Anno 1552 datis descripta.

Conspicati quoque cum Elbingae essemus statum rerum eius Civitatis eo tendere, ut nisi gratia nostra Regia illi subveniatur, interire eam Civitatem sit necesse, volentes benignitatis nostrae Regiae erga eamdem Civitatem Elbingensem ipsiusque Incolas exhibere significationem: De certa scientia et [licentia] nostra Regia et de consensu Senatorum et Consiliariorum omnium nostrorum nobiscum in praesens existentium, Stationem mercium unius diei quae Curribus ve[huntur], in Civitate praefata instituendum duximus atque adeo praesentis pr[ivilegii] vigore instituimus pro institutaque haberi volumus, perpetuis temporibus duraturam etc.

Datum in Civitate nostra Gedanensi etc.

Quia c[um] non ita pridem Elbingae fuissemus, eumque rerum statum comperi[issemus] ut nisi beneficentia nostra Regia civitas illa aliqua ex parte sublevaretur, ob praeclusas /

*F. 64 v* [vivendi] rationes in deteriorem conditionem Civitatem illam, (cuius inc[olae] olim de Serenissimis Antecessoribus Poloniae Regibus praeclare sunt [meriti]), indies pervenire ac tandem interire oporteret, Volentes itaque praesentiae nostrae ibidem apud praefatam Civitatem nostram Elbingensem eiusque communitatem gratam memoriam relinquere, Hac praerogativa eamdem uti et frui temporibus perpetuis vigore praesentis Privilegii nostri volumus, ut ex nunc et posthac perpetuis temporibus Incolae et Cives Civitatum et Oppidorum nostrorum Masoviae, Prasnicz, Wizna, Nowemiastho et Janow cum ipsorum districtibus, territoriis, incolis et subditis, qui Curribus, mercibus oneratis aut non oneratis pro comparandis et coemendis halecibus iter faciunt, non in alio loco Haleces comparent aut coemant, vel pro mercibus commutent, quam in Civitate nostra praefata Elbingensi, perpetuis temporibus, et in aevum. Unde quocumque voluerint liberam habebunt praefati Civitatum dictarum Masoviae Incolae abducendi, devehendi, et in usus quosvis beneplacitos convertendi praefatos Haleces facultatem etc. Vobis vero Civitatum et oppidorum Masoviae, Prasnicz, Wisna, Nowemiastho et Janow Civibus et incolis et aliis in districtibus seu territoriis praefatis commorantibus, serio mandamus nec deinceps curribus alia ex Civitate quam Elbingensi haleca in Masoviam avehere quovis modo, colore aut praetextu audeant, pro debito suo et gratia nostra, etc.

Datum in Civitate nostra Gedanensi.

Verba ex literis S.R. Maiestatis ad Elbingenses
Anno 1577 scriptis desumpta

Nos vero literis ad omnes Principes et Civitates maritimas dimissis ad vos portumque vestrum liberam facultatem navigandi et mercimonia omnia vobiscum exercendi concessimus. Itaque admonendas fidelitates vestras esse duximus, ut quo maius commodum utilitatemque inde se assequuturos posse credant, eo maiorem diligentiam et curam in [per]ficiendis iis de quibus scribimus adhibeant, Facturae in eo sunt fidelitates vestrae, non

modo sibi et rebus suis rem necessariam, sed et nobis omnibusque, qui ad illas navigationes facturi sunt, gratam.

Datum Bidgostiae die 20 Februarii etc.

Verba ex Responso Sacrae Regiae Maiestatis ad articulos et petita Elbingensium Anno 1578 dato descripta

Cum Sacra Regia Maiestas intelligat quanta fide semper Civitas El[bingensis] erga Serenissimos R. ac Regnum Poloniae fuerat, cumque iam etiam ipsis tempore foelicis sui imperii eam cognitam et probatam habeat, nihil pri[us vult] quam ut illius peticionum ac necessitatum per omnem occasionem dig[nam et] aequam rationem habeat.

Atque emporium quidem quod attinet, secundum petita huius articuli S.R. [Maiestas] cum Senatu Regni hoc fieri clementer concedit salvis iuribus legitimis aliarum Civitatum et Portorii.

*F. 65* Verba ex articulis et petitis Elbingensium in responso praecedente allegatis descripta.

Quo Regiae Maiestatis amplissimorumque Senatorum ac ordinum [inclyti huius] regni clementia et benignitas in Civitatem Regiam Elbingensem ob fidem atque integritatem Regiae suae Maiestati Regnoque exhibitam perpetuo publicoque exemplo posteritati commendetur, Senatus Communitasque eiusdem Civitatis humillime petit:

1⁰ Ut emporium Civitatis illius olim quidem satis celebre, hactenus autem aliquamdiu neglectum de coetero frequentetur et Civitati negotiatio restituatur, deportatis illuc ex regno frumentis aliisque mercibus. Quod ut fiat, etiam cum iurium suorum aliqua laxatione, liberum commerciorum usum cum transmarinis, et Nobilitati et genti Polonicae Civitas conced[ere est] parata. Jure saltem fore in iis rebus ac mercibus, quae terra [advehi] solent, Civibus suis reservato.

2⁰ Hoc ipso quoque die Dominus Orator nobis ad ea capita, quae [fuerant] ei a nobis posita, scriptum responsum nobis exhibuit, paucisque verbis [oravit,] ut rem omnem quemadmodum acta esset ad Regiae Maiestatis noticiam d[edu]ceremus.

*I.* [*Oratoris Angliae declaratio*]

Responsum autem est id quod sequitur.

Declaratio D. Johannis Herberti Serenissimae Reginae Angliae Oratoris ad Responsum R. ac Magnificorum D.D.D.D. Commissariorum Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae oblatum ipsi D. Oratori 25 Julii 1584.

1⁰ In hac libera negotiandi facultate ad quaecumque loca vel oppida [vel] portus quoscumque ditionum Serenissimae Maiestatis suae quam Serenissimae Reginae [Angliae] nomine Dominae nostrae clementissimae Mercatoribus Angliae concedi petimus, nihil aliud rogamus, quam ut omni ea libertate frui ipsis liceat, [quae] nec municipalibus legibus repugnet, nec ullo modo Regio fisco deroget.

Praeterea quod ad mercandi modum attinet, id est quod volumus;

ut negotia sua in foris Civitatum consuetis, ac publicis nundinis secundum iura Prussiae exercere illis liceat, non autem per villas ac Pagos in praeiudicium aliarum Civitatum. A portoriis autem, et aliis teloniis ac collectis, [quae] iure recepta sunt, eximi mercatores nostros nequaquam petimus. S[ed] ut mercatores per Capitaneos locorum et Officiarios Regios arrestis nullis subjiciantur, nec ab illis quicquam pro itinere publico extorqueatur, quae etiam Regiam Maiestatem suam clementissimam illis concessuram esse in spe bona sumus. Ad salvos autem conductus quod spectat, cum Angli ge[neralem] quemdam salvum conductum habeant a sacra Regia Maiestate confirmatum, non opus [est] illis ullo speciali, nec etiam literis passus sui a Civitate Elbingensi concedendis modo ipsis ratione Residentiae suae, quae Elbingae est, declinatione fori uti ne denegetur, cum in aliis Civitatibus molestabuntur.

2⁰ Valde sane gratum est nobis, quod Serenissima Regia Maiestas Poloniae merc[atoribus Anglis liberum permittat, velintne] /

*F. 65 v* Elbingam potissimum ire necne; nihilominus non putamus absonum re futurum, aut a ratione discrepare, si quod hactenus privato quodam consensu reciproco factum est, ut Gedani manerent, id nunc Elbingae per auctoritatem Regiam facere possint.

2⁰ Et cum quaeque civitas suas proprias leges fori et constitutiones habeat, non videmus rationem ullam cur Civitas Elbingensis iis ipsis constitutionibus ad peculiares ullas, aut Petricovienses aut Gedanenses, constitutiones astringantur [a)], praesertim cum rescripto Regio in publicis Comitiis approbato ea liberam potestatem habeat exteris omnibus liberum intercursum concedendi. Quae sane causa fuit cur Serenissima Regina Angliae Domina nostra clementissima Oratores suos toties, tanto cum sumptu suo ad Regem miserit, ut certa sedes Elbingae mercatoribus suis Concederetur, ubi libera ea negotiandi facultate uti possent. Speratque Regina Angliae, cum Elbingenses ius illud legitime sibi acquisiverunt, Sacram Regiam Maiestatem Poloniae illud mercatoribus Anglicis non negaturam.

3⁰ Acquiescimus.

4⁰ Sperat Serenissima R. Maiestas Angliae id non negatum iri mercatoribus suis, quod omnibus aliis nationibus in Polonia liberum relinquitur et concessum est.

5⁰ Cum Mercatores Angli ubicumque locorum aut gentium vivant, ad iusiurandum eiusmodi non astringuntur: sperat R. Maiestas Angliae, quod nec in [Polonia] ipsis ea necessitas erit imponenda, quin ut tam facilem suis subditis se praebere velit Sacra Regia Maiestas quam Hispaniarum, Galliarum, Belgiique Principes se in suis mercatoribus faciles et praebuerunt hactenus [et] iamiam praebent.

6⁰ Priorem partem responsionis istius libentissimis et gratissimis animis nos acceptamus: quod autem ad posteriorem eius partem attinet, nihil eius[modi] petitum est in hoc articulo.

7⁰ Quod ad autoritatem statutorum condendorum attinet, cum id et legibus antiquis Romanorum et communi omnium hodierni temporis sit comprobatum ut vel minimum quodque sodalitium suas sibi et suis possit leges praescribere, non in iis rebus solum, quae ad vitam et mores, sed etiam quae ad artes suas exercendas attinent), mirari satis non possumus Magnificos D.D.D.D. Commissarios Regios se in eo tam difficiles nobis praebere: Quod vero incertum est de pretio [aliquo] mercibus imponendo,

id non solum legibus alienum est, ut concedi possit, [sed] etiam longe a mente nostra abfuit aliquid eiusmodi postulare.

8⁰ Cum unusquisque in Societatem praedictam ascriptus iuramentum prestiturus sit, se ea omnia quae in suis articulis continentur observaturum, non videmus cur illud iuramentum vicissim hoc loco urgeatur; aut cur alius quisque, [qui] de ipsorum societate non est, ipsis in ipsorum curiis et conventibus adiungi debeat, cum in iis solummodo de controversiis agatur, quae inter Anglos solos [oriri] poterunt.

9⁰ Primam partem huius responsionibus libenter amplectimur; quae vero [dicuntur] de moratoriis literis, salvis conductibus, exceptionibus etc., habent Angli /

*F. 66* Causas gravissimas, cur a Sac. R. M. sua humillime contendant, ut non sine causae cognitione ac literis testimonialibus (quod per infortunium valde grave in facultatibus sint lapsi, qui eas petunt) eae cuiquam aliquando concedantur. Itaque eo magis et vehementius nunc petuntur, quam prius [quod] ex illis multi nuperrime per fraudem malam cuiusdam [Petri Colleba]e civis Lublinensis ius insignem iacturam in bonis suis etiam ad multa [millia] florenorum fecerint.

10⁰ Hunc articulum concedi nobis est pergratum, quia tamen Debitor, qui est incarcerandus, est in custodia ministri publici, non videmus cur societas [ad] periculum praestandum, si sibi fuga prospexerit, obligari debeat.

11⁰, 12⁰, 13⁰ De autoritate procuratoris constituendi deque testimonio ferendo [sine] ulla gentis aut Religionis exceptione, quod utrumque Anglis concessum est, [libenter] acquiescimus. Quae vero Magistratus Elbingensis de iuris pro[cessu in] causis omnibus inter Anglos, et quoscumque alios oriundis Anglis concessit, cum ea et iuris aequitate, et receptis moribus aliarum gentium sunt consen[tanea], speramus Regiam Maiestatem illis facilem se praebituram.

14⁰ Reciprocam delinquentium coertionem, ut rem aequam et iustam, [conce]dendam fore, spe bona ducimur. Privilegia vero Nobilitatis [(cuius-] modi ea sint) speramus a iure communi aliena non esse.

15⁰ Quod ad vindicationem rei furtivae attinet, cum per privilegia et iura municipalia terrarum Prussiae concessa ea sit, miramur Magnificos [D.D.D.D.] Commissarios Regios eam in controversiam hoc loco vocavisse.

16⁰ Acquiescimus.

17⁰ Quod ad conductionem aedium attinet, Regia Maiestas Angliae suos [subditos] sub legibus Elbingensibus libenter subjicit. De acquirendis autem [aedibus] in perpetuum nihil eiusmodi in hoc articulo insertum est.

18⁰ Acquiescimus.

19⁰, 20⁰, 21⁰ Cum libera cum exteris negotiatio mercium non solum ex re sit Nobilitatis Poloniae, sed etiam omnium Poloniae et Civitatum et Incolarum, nec in iure est aliqua discrepantia posita (quod ad mercatum et e[mendi] vendendique attinet:) inter Nobiles et alios regni indigenos, [non videmus] cur id ipsum nobilibus concedi, aliis vero subditis negari debeat: aut cum incommodum unius aut alterius peculiaris Civitatis Prussiae id res[tringi debeat] quod laxatum, aliarum omnium urbium et Civitatum Poloniae tanto cum emolumento coniunctum est, Neque Magistratus Elbingensis hoc articulo Anglis qu[idq]uam Mercatoribus

(quoa[d] libertatem commerciorum) concessit, quod non iure optimo concedere potuerunt. Est enim Magistratui Civitatique Elbingensi (in testimonium perpetuum fidelitatis suae erga Sacram Maiestatem suam in rebus d[ubiis] praestitae:) a Regia Maiestate concessum, ut liberum intercursum atque liber[am] omnium suarum mercium, tam venditionem quam emptionem omnibus exteris und[ecumque] ad Civitatem suam commeantibus possint concedere, quod etiam V[arsaviae in] publicis regni Comitiis est approbatum: De qua re itidem Sa[cra Regia M.tas ad] /

*F. 66 v* [plur]es exteras maritimas Civitates suas literas perscripsit [ut de] eo libero intercursu certiores facti, libentius et promptius ad eamdem Civitatem suam accellerarent. Quam rem tot modis confirmatam et [com-] probatam Serenissima Regina Angliae ex dignitate Regia esse non in unius aut alterius Civitatis commodum (ad praetensas ipsarum obiectiones) revocare.

22⁰ Hic articulus ad postulatum Elbingensium conscriptus est, quorum (ut emptorum scilicet:) commoditati in hoc casu provisum est; Anglos enim nec solere, nec libenter velle suos pannos minutatim vendere apertum est. Si vero haec venditio ad .3. florenos in ulnas singulas restringatur, nos in eo libenter acquiescimus.

25⁰ Acquiescimus.

26⁰ Cum ius testamenti condendi omnibus omnium gentium atque nationum legibus semper liberum et concessum est, nos petimus ut nec ad Culmenses nec ad alias ullas leges municipales nostri homines contra leges et consuetudines Angliae astringantur.

29⁰ Acquiescimus.

30⁰ Cum Magnifici D.D.D.D. Commissarii Regii id inter alia Commissionis huius capita in mandatis habeant, ut dilgentem et seriam Terrarum Prussiae iurium rationem habeant, non possumus non aliquantulum admirari, eos ista in hoc articulo commemorare, quae contra iura et privilegia Terrarum Prussiae aperte pugnant. Nam portus omnes Terrarum Prussiae (tam ex pactis perpetuis Sigismundi primi cum Alberto Domino Prussiae, quam ex Privilegiis a D. Casimiro omnibus Prussiae civitatibus concessis) a theloniis, portoriis, et omnibus aliis exactionibus nobis liberi esse permittuntur. Et Regia civitas Elbinga eamdem separatim sibi concessam immunitatem habet, concessam inquam, tam ab Ordinis Ma-[gistris] ab antiquo, quam posterioribus etiam hisce annis a moderna Serenissima R. Maiestate Domino suo clementissimo comprobatam. Nos vero petimus enixe, ut Magnifici D.D.D.D. Commissarii Regii aliquam potius rationem habeant novae illius mercium aestimationis (quod in ostio lacus Habi Dux Prussius imposuit [non] solum mercibus, quae ex sua iurisdictione evehuntur, sed etiam eis, quae [ex] Elbinga aliisque locis suae Serenitati subiectis transportantur, quod quidem cum maximo praeiudicio tam Privilegiorum Terrarum Prussiae, quam subditorum Regiae Maiestatis coniunctum est.

31⁰ Cum Regia Civitas Elbingensis ex auctoritate Regia Domini sui clementissimi Serenissimae Reginae Angliae subditis, ut fixam apud se mercaturae sedem [ponerent et] libere negotiationem exercere possent, peramanter concesserit, R. Maiestas Angliae iis vicissim easdem immunitates in Anglia gratiose concedendas esse existimavit. Aliae autem Civitates atque urbes tum Prussiae tum [Poloniae] easdem ibi immunitates habe-

bunt, quas aliae omnes amicae confed[erataeque g]entes sibi habent, cui rei in primo articulo, ubi de generali negotiationum [facult]ate agitur, facilime provideri potest.

*F. 67* 32⁰ facile quidem concedimus Ma.cis Dnis. Commissariis] Regiis ut haec de non fovendis perduellibus provisione reciproca sit inter utrumque regnum, simul etiam et assentimur in illo altero, ut solius re[ligionis causa] profugae in numero perduellium ne habeantur.

33⁰ Cum in his articulis solummodo de negotiatione cum mercatoribus exteris conclusum sit, in quorum causis decidendis ius civile, ut aequissima [quaedam] norma apud omnes pene nationes receptum est, nos existimamus aequiorem [modum] statui non posse in dirimendis eiusmodi dubietatibus ortis, quam si [ad iuris] civilis normam dirigantur.

Cum igitur tam Dominus atque Deputati Elbingenses quam etiam [Gedanenses] internuncii iure causam suam iustam niti et antiqua consuetudine conte[nderen]t, de omnique re Suam Maiestatem Regiam edoceri peterent; nosque item expressum Maiestatis mandatum haberemus, ut causam hanc totam et negotium de [commercio] Anglicano diligenter cognitum atque exploratum ad suam Maiestatem referre[mus], satisfacere volentes suae Maiestatis Regiae Domini nostri clementissimi voluntati atque mandato, conscripta haec universa Commissionis a nobis expeditae [nostris] manibus, subscripta et sigillis obsignata nostris cum paratissimorum [Servitiorum] nostrorum et fidei commendatione ad suam Regiam Maiestatem transmisimus, ut sua Regia Maiestas pro sua singulari Regia prudentia iudicio arbitrioque suo de toto hoc Anglicanae causae negotio statueret atque decerneret.

Actum et datum Elbingae, die vicesima septima Mensis Julii Anno Domini 1584.

*K.* [*Relatio commissariorum regis Poloniae ad eundem regem*]
Sacratissimae Regiae Maiestati Poloniae etc.,
Domino Domino nostro clementissimo.

Serenissime Rex et Domine, Domine noster clementissime, subiectionis nostrae fidem et paratissima servitia Serenissimae Maiestati vestrae cum summa demissione, Serenissime Rex, de mandato S. Maiestatis vestrae convenimus Elbingam, [atque de] commerciorum Anglicanorum negotio, quemadmodum Maiestas vestra nobis pr[aescrip]serat, cum Domino Oratore Serenissimae Reginae Angliae diligenter contu[limus, ac] plane Commissionis munus pro officio fideque nostra omni ex parte acc[urate] obivimus. Ex civitatibus autem, quas per literas nostras ad eam quoque rem advocavimus, soli tantum Gedanensium internuncii adfuerunt; q[ui etiam cur] Anglicana postulata minime locum habere deberent, tum oratione, tum [scripto] conati sunt ostendere. Sed cum et Dominus Orator aequitatem postulatorum astrueret, et Elbingenses donatas sibi a D.D. Poloniae Regibus immunitates et extremo loco a Maiestate vestra concessum ius proferrent, quod illis primo suo in Civitatem ingressu Maiestas vestra contulit, nos, mandatum Maiestatis vestrae in toto hoc negotio secuti, neque iudicium ullum nostrum interponere, et rem omnem ad Maiestatem V. referre voluimus. Mittimus itaque Maiestati vestrae acta Commissionis ex quibus M.tas vestra et diligentiam fidemque nostram cognoscet, et ipsa

denique pro sua divina prudentia intelliget, quid sit in posterum de tota hac causa atque negotio [statuendum] Diligentissime praeterea perquisivimus, an Angli pro suo [arbitrio et suis et ali]enis /

*F. 67 v* mercibus precia imponerent, sed nihil hic de ea re potuimus expiscari quin et Angli dicerent [b], nihil eiusmodi quicquam a se unquam ten[tatum] esse, quod se scire dicant, in solius Maiestatis vestrae esse potestate, precia rebus constituere: et Elbingenses affirmant ne minimam ab Anglis eius rei significationem unquam esse datam. Caetera ex ipsis Commissionis actis Maiestas vestra Regia liquidius intelliget. Atque cum hic humillima et paratissima servitia nostra cum summa subiectionis fide Maiestatis vestrae Regiae gratiae maxima cum demissione commendamus.

Datum Elbingae die 27[a] Julii Anno Domini 1584

Sacrae Maiestatis vestrae Regiae

Humillimi et obsequentissimi servitores

| | |
|---|---|
| Petrus Costhca Episcopus Culmensis | Petrus de Potulicze Palatinus Brzestensis |
| Stephanus Grudzinski | Stanislaus Costhca |
| Castellanus Naklensis | Succamerarius Culmensis |

a) *sic Ms.* astringatur?

b) *in Ms.* delerant (*lectio incerta*).

*N. 146.*

*Elbingae, 14 Ianuarii, 1585 (nov. styl.)*

*Ioannes Herbert ad Franciscum Walsingham de rebus gestis Elbingae.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Galba D. XIII*

*F. 67 v* Mr. Harbert to Mr. Secretary Walsingham 14[0] Januairy 1584.

I nowe breifly towche my proceedings with the magistrats of Elbinge, which bee also of the Easterly Societie.

Mr. Deputie and I have had longe treaty with them. Som parte of the [ ] proceeded by the reason of the Incertitude of the K. aboade, som by meanes of my longe lingeringe and tedious sickenesse, but most through the slacke dealinge of the company at London. For untill this verie [daie] there was no direct order sent from them to such as remained here [to] take upp mony to discharge eyther my ordinarie charges at Elbing [or] for my Journey to the Courte. And yett to this daie, the ordre presc[ribed] by them is to slendre, as to defray my extraordinarie charges (the wich have bene verie great, for the Company here would have me bere porte of an Imbassador). I have bene enforced to take upp [money on] exchaunge veary largely and to charge Mr. D. Lewes with the [ ] thereof untill I retourne and receave my rewarde of the C[ompany] At which tyme I shall thinke my selfe happie, yf the same and [ ] pounds more do suffice to defray my expences this Journey. But I leave those complaynts untill my retourne. I have sent your /

*F. 68* honor a copie of suche articles as the Company and wee have agreed of, because your honor may with [ ] considre, what things have bene debated in public. How far we have proceeded, how muche adoe I had to keepe myselfe upright, and not to give anie partie offence, it were [too longe] to recite in a lettre. But I must confesse I had often [more difficultie] to please my contremen, then I had to obtayne of the com[mission] what was reasonable and convenient. Neverthelesse [I avoided] as nighe as I coulde, all iust occasions of dislike. I never [treated] nor concluded of an Article, but I made the assis[tants] pryvy therto before hand, and demaunded ther assent. [If] this was more then I needed, or perhappes was convenient, men of greater Judgement had past ther censure, and you had sent me their opinions as towchinge eache pointe. Suche [made it] eesier to eschewe offence, as I yelded to theire des[ires] therin. Yf that have contented all parties, I am the more [happy]; yf not, what report soever be made, I am to request your honor to suspend your judgement untill I may aunsweare for my [owne] person. I have cause, by the smale consideracion that is [had of] my extraordinary expense, to distrust some parties not to dele sincerly with me.

*N. 147.*

*6 Novembris, 1584*

*Ioannes Herbert*
*ad Franciscum Walsingham;*
*de tractatu mercatorio cum Polonis praeparando.*
*B.M. Cotton, Galba, D. XIII F. 68-73.*
*Eadem ac epistola N. 136, edita pp. 176-183 supra.*

*N. 148.*

*s.l., s.d.*

*Ioannes Herbert*
*ad ignotum;*
*refert de colloquio, quod cum senatoribus Poloniae de negotio Elbingensi die 1 Sept. 1584 habuit Leopardiae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Galba, D. XIII.*

*F. 73* Summa Colloquii inter Magnificos Dominos Senatores Regni Polonici D. Tarlou Palatinum Lublinensem, D. Nicolaum Firley in Dambronicza Castellanum Ravensem, D. Andream Firley de Dambronicza Castellanum Lublinensem, Praefectum Sandomiriensem, D. Nicolaum Firley de Dambronicza Castellanum Biecensem, Praefectum Casimiriensem Regnique Referendarium, S.R.M. Poloniae Commissarios, et D. Joannem Herbertum, S.R.M. Angliae Oratorem ultimo Augusti et Septembris primo Leopardiae habiti 1584.

Magnifici Domini Commissarii, cum ad mandatum S.R.M.tis suae Leopardiae convenissent, priusquam articulos privilegii discutiendos in manus sumerent, quator generalia capita mihi proposuerunt, de quibus singulis sententiam meam petiverunt. Eorum primum de ratione articulos

istos concipiendi et conscribendi fuit, quam illi mutandam esse censuerunt, quod ea simplex narratio negotio tanti ponderis tantaeque consequentiae non conveniret. Secundum de vi, robore et duratione eorum articulorum fuit; putabant enim huic negotio melius consultum iri, si articuli ad tempus tantum aliquod limitatum concluderentur; quo finito uterque Princeps ab eisdem recedere si vellet, posset; et si id ex usu aut dignitate sua esse existimaret. Tertium de precio Anglicarum mercium fuit; dicebant enim easdem Elbingae ab Anglis carius divendi quam Gedani ab indigenis comparari posse; cum tamen Angli eas ipsas minori portorio in Anglia solito ex Anglia eveherent. /

*F. 73 v* Quartum de proba mercium omnium praecipue vero pannorum Anglicorum Elbingae constituenda fuit, quam illi necessario censebant instituendam esse, ut occurreretur fraudi, quae in pannis texendis adhiberi potest, cumque ea antiquitus Gedani instituta fuisset. Ad haec nos breviter pro temporis angustia in hunc modum respondimus: Me certe facile assensurum esse, ut articuli pro more in Cancellaria recepto de novo describerentur, et in aliam formam aliquam magis solemnem permutarentur, quamvis tamen ea nuda articulorum conceptio et explicatio inter Potentissimos Reges Hispaniae, Galliae, Daniae aliosque Principes et Serenissimam Angliae Reginam in hodiernum usque diem observata esset, ad evitandas dubitationes et amphibologias, quae alias ex illis oriri possent.

Ad secundum. Me nihil in mandatis habere dixi, de iis ipsis articulis ad certum aliquod tempus limitandis, negotium ipsum quatuor annorum moram iam passum esse, omniaque adeo mature deliberata esse, ut non sit opus longiorem aliquam moram nunc adhiberi.

Ad tertium. Difficulter iniri posse dixi rationem Anglicorum pannorum precii minuendi; naves Anglicas propter pretium mercium quas ferunt diligentius munitas esse quam aliarum gentium; si quis tormenta aenea, pulverem sulphureum, ignem vivum et artificialem numerumve nautarum consideraret, quae omnia adversus piratarum invasiones comparata essent; praeterea magnam portoriorum teloniorumque in freto Oresmundensi his posterioribus annis in maius mutationem factam esse, adhuc similiter consentaneum esse, ut pretium mercium Polonicarum ad minorem aliquam et aequiorem rationem deduceretur, quam intra paucos annos ad duplum, in aliquibus etiam ad triplum excrevisset. Postremo aliam nunc esse pannorum Anglicorum bonitatem quam antiquitus fuerat, sive quis praestantiam lanae in filum deductae, sive ipsam tincturam considerabit.

Quod ad probam attinet, negavi unquam probam aliquam institutam Gedani: difficiliusque esse dixi de pannis probam facere, quam de aliis mercibus: triplicem vero probam in Anglia institui et in eam severius inquiri solitum. Unam cum panni rudes, et, ut ipsi loquuntur, crudi sunt; aliam cum puri per molam redditi et spissi fiunt; tertiam cum Londini in officinis publicis ad eam rem constitutis distrahendi sunt: in quibus quidem explorationibus sive probis habetur ratio et merito regionum et locorum ubi lana provenit. Ut enim non est eadem lanae bonitas in omnibus provinciis (quae sane et coeli et soli bonitatem sequitur), ita nec pannorum eadem esse potest aut aequalis praestantia, cum in diversis provinciis panni texuntur et conficiuntur; et certe cum Reges alii Serenissimae Reginae nostrae confoederati tam severe in pannos nostros non inquirunt, sperare nos dicebam neque S.R.M. Poloniae idipsum a nobis esse petituram.

Quibus sic peractis Magnifici Domini Commissarii ad ipsorum articulorum discussionem se accinxerunt, quam dum ego Celsitudini tuae enarro, eum ordinem sequar, ut ea tantum exponam, quorum approbationem a S.R.M. petendam esse existimarint, /

*F. 74* ea vero prudentes omittam, quae ad Senatum Elbingensem et societatem mercatorum Anglicorum determinanda et concludenda remiserunt.

1⁰ Egerunt mecum Magnifici Domini Commissarii dicti, ut primus articulus de libero accessu ad mare nostrorum hominum per omnes ditiones S.R.M.tis Poloniae mutuus esset, et ut eiusdem S.R. Maiestatis subditi nullis aliis portoriis obnoxii essent in Regno Angliae quam ipsi incolae eius regni essent. Nos autem sic assentimus, ut is articulus reciprocus esset, salvis vectigalibus et Portoriis legitimis secundum iura et consuetudines cuiusque loci ibidem debitis; quae si in Anglia maiora sint exteris imposita quam ii optarent, id sane bonitati et necessitati nostrarum mercium tribu[endum] esse, qua de causa omnes alii P.P. Reginae nostrae confederati in auctionem eam assensum suum praebuerunt, quae conditio sic displicuit illis, ut de illo articulo nihil conventum fuerit.

2⁰ De sede nostrorum hominum ponenda Elbingae, sic conventum est: Liberum esse Reginae suos subditos ad portum aliquem restringere; [Regi]am vero Maiestatem Poloniae ea in re non posse aliquem consensum dare.

3⁰ Reiectus fuit ad conventionem nostrorum hominum cum Elbingensibus.

4⁰ De exercitio Religionis, convenimus, ut fieret ex forma conf[ede-] rationis a S.R. Maiestate permissae, inter dissentientes de Religione.

5⁰ De electione Praefecti et Assistentium convenimus similiter, sed ut ista essent addita in iuramento, quod singulis de societate offerendum esset, quod nihil essent acturi in Regiae Maiestatis Poloniae praeiudicium, in regnum ipsius damnum in diminutionemve libertatum Civitatis Elbingensis, aut istius Privilegii.

6⁰ De iurisdictione Praefecti et Assistentium, cum superiore legitima restrictione, conventum fuit.

7⁰ Quod ad auctoritatem statuta condendi attinet, post multam disceptationem conclusum est, ut ea valida et firma essent, si modo in eis [nihil] contineretur in fraudem iurium Regalium, in detrimentum regni, in diminutionem privilegiorum Elbingensium aut istius privilegii praeiudicium: nihilque in [eisdem] statutum esset, quod monopolium saperet. Denique ut Deputatus et Assisten[tes le]gitime requisiti ea omnia Commissariis S.R. Maiestatis de senatorio ordine communicarent.

8⁰ De auctoritate tribunalia et iudicia exercendi conventum fuit.

9⁰ De Anglis inter se dissidentibus remittendis ad Deputatum societatis suae, utque Angli subditi Maiestatis Regiae coram iudicibus ordinariis convenirent, conventum est; actum est etiam de Anglis ab aliis non Anglis in aliis civitatibus ab Elbinga non molestandis, sed ad tribunal Elbingensium vel ad forum suum competens remittendis; verum hac de re nihil conclusum est, sed res tota ad S.R. Maiestatem reiecta est. Secundam vero partem de libera actoris [electione] fori omnino convenimus expungendam esse: nostras etiam humillimas peti[tiones] de moderatione aliqua adhibenda in moratoriis (ut nimirum eae sine aliqua causae cognitione, ut literis testimonialibus dandae non essent;) Mag.ci D. Com[missarii] rejiciebant; ut et etiam de salvis conductibus, exemptionibus, protectionibus, provocationibus, etc. nos ad S.R. Maiestatem reiecerunt.

*F. 74 v* 10⁰ etc. Decimus et omnes alii usque ad vicesimum reiecti sunt ad pri[vatam] illam conventionem inter Senatum Elbingensem et societatem.

20⁰ Vicesimo agitur de libertate commerciorum exercendorum, qua in re satis difficiles Mag.ci Domini Commissarii se praebuerunt; etiamsi affirmaremus nos nihil petere, nisi quod iure optimo nobis acquisitum esset, cum et antiquis constitutionibus terrarum Prussiae libera sit in Civitatibus vel peregrinis omnibus omnium mercium comparatio eaque fuerit nuperrima peculiari quodam privilegio a S.R. Maiestate moderna concessa exteris ad portum Elbingensem appellentibus, et Regio etiam consensu in publicis Regni Comitiis Varsoviensibus approbata. Retulerunt tamen illi huius articuli approbationem [ad] S.R.M. et in ea re habendam esse rationem suorum hominum censuer[unt,] ne ea libera negotiatio in ipsorum damnum aliquod notabile posset prorumpere.

21⁰ De revenditione mercium sic conventum est, modo ea fieret sciente et consentiente Civitatis Elbingensis Magistratu.

22⁰, 23⁰, 24⁰ Reiecerunt ad conventionem nostrorum cum Elbingensibus.

25⁰ Reiectus etiam est ad conventionem privatam, sed ita tamen, ut non nisi Regni ipsius incolae in locum amotorum reponerentur, qui etiam ut alii omnes tales ministri iuramentum praeberent, se in omnibus rebus aequos in omnes negotiantes futuros esse.

26⁰ Concessere Anglis liberam de suis bonis testamento disponendi auctoritatem, modo illud adderetur, ut, si fundos aut immobilia bona in diversis huius Regni partibus Anglis comparare contingat, ut ea bona secundum iura et consuetudines loci disponenda essent.

27⁰ Custodia bonorum defuncti Angli ex ea Societate permissa fuit Praefecto et Assistentibus, modo inventarium fieret cum Magistratus Elbing[ensis] scientia et praesentia; et modo cautum esset, si quid ipsorum negligentia esset disperditum, ut id eorum sumptu et dispendio resarciretur.

28⁰, 29⁰, 30⁰ Vicesimus octavus et 29 cum prima parte tricesimi de exemptione Anglorum a pensitationibus a Senatu Elbingensi imponi [solitis] ad conventionem nostrorum hominum cum Elbingensibus reiecti sunt. [De] eximendis autem Anglis ab exactionibus, quae a Serenissimis R.R. Polo[niae] suis subditis imponi solent, diu multumque disceptatum est, nihilque eo [die] concludi potuit. Nos allegavimus nulla portoria iure imponi posse ex aliqua iusta et legitima causa: praeterea nos in Portubus Pr[ussiae] liberos esse ab omnibus novis exactionibus vigore pactorum Sigismundi Primi cum Alberto Prussiae Duce privilegiorumque a D. Casimiro omnibus Civi[tatibus] Prussiae concessorum: immunitatum etiam a Magistris ordinis [anti]quitus, nuper a S.R.M. moderna Civitati Elbingensi speciali [gratia in]dultarum: verum illi instabant vehementius, ut in portu Elbin[gae] novum portorium instituendum esset, ad instar portus Gedanensis. [Rationi] enim esse consentaneum, ut Angli his tantis Libertatibus a S.R. M.te sua /

*F. 75* tam benigne affecti non repugnentur, aut inviti vicissim S.R. M.ti suae contribuerunt. Ad quod ego subintuli, diversam lon[ge rationem] esse portus Elbingensis a Gedanensi, respectu ostii et [sinus Habi], in quo antiquitus portorium solutum est, et nuper nova mercium aestimatione

inducta portorium antiquum auctum est. Quod si Angli soli ex mercatoribus, qui per Habum intrant, aut sola Civitas Elbinga ex iis quae intra Habum sitae sunt, hoc novo portorio pr[emerentur], verisimile futurum esset, ut paucae merces Elbingam versus, omnes autem fere ad Regiomontum perferrentur, ubi isto onere immunes diven[di possent, quod in maximum praeiudicium huius nostrae causae cessurum esse[t], ut et etiam illud ab aequitate alienum esset, quod in gratiam et fa[vorem] a S.R. Maiestate sua concessum esset, id ut in Elbingensium, quibus est concessum, praeiudicium et odium retorqueretur. Petebamus ergo ut aut antiqua immunitate sua nostri frui possent, aut si ex nova causa nova aliqua exactio imponenda esset, ea mutuo cum consensu D[ucis] etiam Prussiae imponeretur, nostrisque tamdiu immunitas daretur, quoad omnibus ex aequo per Habum navigantibus haec exactio et vectigal [im]poneretur. Verum Mag. D. Commissarii reiecerunt haec omnia ut [aliena] a dignitate Regia, quam nolebant consensum Ducis Prussiae in his [rebus] expectare. Ita nihil eo die de hiis rebus actum fuit.

31⁰ De libertatibus in Anglia Elbingensibus concedendis, non minus [se] difficiles, quam in superioribus articulis praebuerunt. Volebant enim easdem aeque omnibus aliis Regni subditis, atque Elbingensibus indultas esse, quod nos omnino recusavimus: non enim putabamus esse aequum, ut aliarum Ci[vitatum] cives, qui nostris hominibus nihil concessuri erant, eadem in Anglia [conditione] essent, qua Elbingenses cives esse vellemus: qui et refugium nostris [ex aliis] Civitatibus iam fere eiectis praebuerunt, et libere negotiationis exercitium ibidem concesserunt: nec esse aequum arbitrati sumus, ut S.R.M.tas Poloniae immunitatem aliquam novam a veteribus vectigalibus [pro suis] subditis in Anglia postularet, cum ea ipsa S.R. Maiestas sua novam [exacti]onem in Prussia ab Anglis peteret; et ita eo die recessum est.

32⁰ De receptione perduellium conventum fuit, ut is articulus r[ecipiendus] esset inter utrumque regnum, et qui solius Religionis causa aut propter [alia] crimina (quae laesam Maiestatem non concernerent) profugi essent, in [perduellium] numero non haberentur.

33⁰ De interpretatione statutorum omnino reiectus fuit a Mag[nificis Dominis] Commissariis; nolebant enim pati, ut S.R. Maiestas sua in huius privi[legii] interpretatione ad ius civile necessario astringeretur.

Proximo vero die nempe primo Septembris, cum iam Mag.i Domini Commissarii in procinctu essent ad discendendum, currusque ipsi starent p[rae] foribus, ad aedes meas accesserunt ubi divertebam, et mecum egerunt de illo portorio concedendo, in quo facile consensi conditionibus prioris [diei] additis, et praecipue, si modo eadem exactio mutuo cum consensu S. [R. M.tis] suae, et Ducis Prussiae, ex aequo omnibus intra Habum navigantibus [imponeretur]. /

*F. 75 v* Illi vero admodum difficiles se in eo postulatu nostro praebuerunt, eamque conditionem plane et omnino reiecerunt. Tandem cum consensu tam Deputati Mercatorum Anglicorum, quam internunciorum Civitatis Elbingensis, ita inter nos conventum est, Mercatores Anglicos et alios omnes, qui ex portu Elbingensi navigaturi essent, de omnibus suis mercibus portorium soluturos esse, ad instar portus Gedanensis, sub hisce tamen in [primis] conditionibus: ut primum S.R. Maiestas Anglis caveret, nullam futuram in posterum Habi portorii aut aestimationis mercium auctionem; ut deinde liberi intercursus et mercaturae usus in omni genere

[mercium] tam cum incolis ipsis Regni, quam aliis exteris quibuscumque, cumque Anglis Elbingae perpetuis futuris temporibus concederetur: ut postremo omnes vasalli Reverendissimi Domini Episcopi Varmiensis decreto et mandato regio cogerentur omnes merces suas, linum scilicet et cannabum ceramque cum pice et humulo seu cineribus, pro more consueto, Elbingam perferre ibique in foro publico divendere. Quibus legibus et conditionibus a S.R. [M.te] confirmatis inter nos conventum est portorium illud Elbingae solvendum esse: Atque istis rebus quibus sic peractis petii, ut scriptis haec omnia conventa committi possent: verum illi adeo aliis publicis negotiis distenti erant, ut diutius morari ipsis non liceret, sed ascendentes currus suos continuo nobis omnia fausta precati Leopardia ad suos redierunt, pollicitique sunt se omnia S.R. Maiestati suae quemadmodum gesta et conventa essent fide[liter] et syncere relaturos.

*N. 149.*

*Elbingae, 7 Ianuarii, 1584*

*Ioannes Herbert* *(vet. styl.)*
*ad Franciscum Walsingham*
*de rebus anglicis in civitate Elbingensi.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Galba D. XIII, F. 75 v-76.*

*Vide orig. N. 166.*

*N. 150.*

*Grenovici, s.d. Ianuarii, 1584*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Elbingenses;*
*petit, ut « Anglicanae societatis res »*
*Elbingae constituatur.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Galba D. XIII.*

*F. 78* Elizabetha, Dei gratia etc., Illustrissimi Domini, Amici perdilecti.

Cum ab oratore nostro, Domino Joanne Herbert [in] inclitum Poloniae Regnum nuper a nobis misso accepissemus [controver]siam quandam, quam Gedanenses cives Anglis mercatoribus et Elbingensibus intentarunt, in Ordinum sacrum [a)] conventam esse in eoque graviter et prudentissime pertractatam, summa [nostri] honoris et dignitatis habita ratione, nihil nobis prius fuit [gratum quam], ut Illustrissimas Magnificentias vestras confestim hiis literis salutar[emur]. Primum quidem, ut quantopere nobis grata fuerint vestra [in nos] tam propensa studia testaremur, et in nostros homines [benevol]entia, quae certe erant longe gratissima, tum ut

gratias [quas pos]sumus maximas, vero animi affectu, vobis universis eo [nomine] ageremus; bonas enim talium virorum voluntates, et de nobis [benemerentes] thesauris multis anteponere longe solemus.

Et cum hanc Anglorum mercatorum cum Elb[ing]ensibus com[munem] rationem utrique fructuosam, utrique etiam, certe regno Poloniae [Societati] Anglicaeque accomodatam fore speremus, a vobis universis [magnum] in modum petimus, ut eius Societatis res et rationes in El[binga] Civitate constitui et stabiliri vestra authoritate jubea[tis], reiectis iis calumniis, quae tantam utilitatem vel minime videri possunt impedire. Nihil enim novum con[stitui] potest, quod omnium calculis comprobetur: eos vero praecipue iniquos non habeat, quorum questus novitate abradi et minui videtur in hoc negotio, uti vestram cum summa prudentia coniunctam aequanimitatem nostri ante experti sunt, sic ut eamdem [ad] extremum pro utriusque regni publico bono, quoad res perfecta sit, retineatis. Illustrissimas Excellentias et Magnificentias vestras omnes quam amic[issime] rogatas esse volumus. Quas Deus Opt. Max. in florenti [statu] diutissime servet incolumes.

Datae Grenovichi - die Januarii 1584, Regni vero nostri XXVII.

a) *sic in ms.*

*N. 151.*

*Helspergae, 6 Septembris, 1593*

*Andreas cardinalis Bathoreus*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*rogat ut apud Turcas de rebus Transilvaniae favorabiliter agat; suam operam in Polonia promittit.*

*(orig., sigill.)*

*B.M. Cotton, Vespasian F. I.*

*F. 137* Sacra reginalis Ma.tas, premissa servitiorum meorum diligentissima commendatione. Cum exploratum semper habuerim animum Dom. Stephani pie memorie Regis Poloniae, patrui mei desideratissimi, erga S.R. M.V., quam ipse semper magni fecit, et pro debito suo, omni studio ac diligentia coluit, ita ut nihil unquam quod ad testificandum animum, nihil quod ad promptitudinem suam declarandam erga S.R.M.V. amittere voluerit, meum esse duxi, ut qui post mortem eius Nepos relictus sum, tam piis vestigiis illius inherendo mea familieque mee promptissima fidelissimaque servitia S.R.M.V. offerrem, certificando eamdem, quod si quid unquam ego potero quo animum hunc meum candidum, quem erga S.R.M.V. gero, declarandum, id totum libentissime me facturum S.R.M.V. non dubitet.

Caeterum quoniam Orator S.R.M.V. apud Imperatorem Turcarum Oratorem fratris mei illustrissimi Principis Transylvanie cum saluberrimis consiliis tum etiam omni studio ac diligentia sua adiuvat et promovet, quo facilius negotia familie nostre expediri queant, et eo ipso nomine est quod S.R.M.V. multum debeamus, etiam insuper mei fratrisque mei Ill. Principis Transylvanie nomine obnixe rogo, ut S.R.M.V. pro sua erga familiam

nostram benignitate et clementia imposterum etiam auctoritatem suam hac in parte interponere velit, sic enim negocia nostra cum in dies faciliora tum etiam et in optimo statu constituta fore non dubitabimus, quod facile ac sponte facturam eamque benevolentiam erga manes D. Stephani declaraturam S.R.M.V. speramus ac certo nobis pollicemur. Nostrum autem erit, ut quo tanta erga nos benevolentia ac benignitate non modo gratos, sed gratissimos etiam nos semper fore S.R.M.V. declaremus ac testificemur.

*F. 137 v* Insuper Deum Opt. Max. precabimur ut ille S.R.M.V. quam diutissime servet incolumem. Interim autem si quid erit, quod ego in his partibus Poloniae ubi Senatorium ago, et in aliis ditionibus mihi subiectis, ubi subditi S.R.M.V. frequenter propter commercia sua exercenda commorantur vel S.R.M.V. inservire vel subditis illius gratificari possum, cum ex innata quadam mea erga gentem hanc affectione tum quod integerrime S.R.M.V. colere desidero, invenient me semper paratissimum et promptissimum.

Et quoniam propter singularem illorum fidelitatem et incredibilem bonitatem vix unquam in aula mea aliquo carere possum, inde proventum, quod preteritis diebus Rugerium fidelissimum servitorem et subditum S.R.M.V. in famulitium meum asciscere volui, qui assiduis semper precibus ardentissimisque votis, cum pro incolumitate S.R.M.V. tum pro felicissimo rerum illius successu Deum Opt. Max. exorare ac flagitare non negligit.

Quod reliquum est, mea meaque humillima servitia S.R.M.V. diligentissime commendo.

Date ex arce mea Helspergensi die VI Septembris Anno 1593.

S.mae R.M.V. servitor
Andreas Cardinalis Bathoury

*In dorso:* ... ac dominae Elissabethe Anglie Hybernie etc. Dominae Clementissimae.

*Alia manu:* From ye Prince of Moldavia to her Ma.tie. 6 Septembris 1593.

*N. 152.*

*Mechoviae, 19 Ianuarii, 1595*

*Andreas cardinalis Bathoreus*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de fratre trucidato.*
*(orig. sigill.)*
*B.M. Cotton, Vespasian F. I.*

*F. 138* Sacra ac Serenissima Reginalis Maiestas Domina Clementissima

Existimo hactenus ad aures Sacrae Reginalis Maiestatis vestrae pervenisse quanta omnium bonorum strages per summam tyrannidem a Viawoda Transsylvaniae Sigismundo Bathori facta sit: omnes in dicta causa sine ullo processu iuris intempesta nocte, inaudito supplici genere necati, sed praecipue fratrem suum charissimum Balthazar Bathory (cui fide ac literis obstrictus erat) tutorem ac propugnaculum vitae suae, decus militiae suffocari iussit. Alter frater natu maior vitae consulens huc

ad me confugit. Sed hec cur quove modo acta sint, aures Sacrae Reginalis Maiestatis vestrae onerare nolo. Habemus ab asseclis ac assentatoribus eius totius Tragedie racionem, quam Sacrae Reginali Maiestati mitto, facile ex iis Sacra Reg. Maiestas vestra conicere, quo consilio omnia patrata sint....

Caeterum confisus benevolentia Sacrae Regin. M-tis vestrae erga me familiamque meam, variis in rebus luculenter ostensa, nunc iterum ad sacram Reginalem Maiestatem vestram confugio, orans velit clementer aliquem Elbingae Anglum nominare, cui confidenter omnia aperire possim, per eumque vulnera nostra ac necessitates Sacrae Reginali M-ti vestrae humiliter aperire. Nec enim totum mihi est in hac calamitate per litteras apud S. R. M. V. agere, confido S. R. M. V. hoc mihi pro clementia sua, et erga oppressos benignitate non denegaturam. His me familiamque meam in gratiam S. R. M. V. commendo.

Datae Mechoviae die 19 Jan. Anno Domini 1595.

S.R.M.V. servitor humilis
Andreas Card. Bathoury.

*N. 153.*

*Stockholmiae, 30 Aprilis, 1594*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de navi Reinoldi Rycken versus Hispaniam navigante, ab Anglis iniuste capta, deque damnis eidem mercatori resarciendis.*

*(orig., sigill.)*

*B.M. Cotton, Vespasian F. III.*

*F. 139* Sigismundus Dei gracia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, magnus Princeps Finlandiae, Careliae, Vodischoviae, Ingriae, Ruthenorum, Esthoniorum, Livonum Dux etc. necnon Rex Poloniae, magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogiciae, Livoniaeque etc. Dominus; Serenissimae Principi Dominae Elizabethae eadem gracia Angliae, Franciae, Hyberniaeque etc. Reginae, sorori et consanguineae nostrae carissimae, salutem et felicitatem et omne prosperum incrementum.

Serenissima Princeps, Soror et Consanguinea carissima; Supplicavit nobis subditus noster, fidelis Reinholdus Rycken civis Elfsburgensis, atque humiliter significari fecit, sese Anno [15]88 Serenissimi atque felicis recordacionis Parentis nostri, salvi conductus, ut vocant, literis antea impetratis, navim suam Falconem Album de Elfsburgh nomine nuncupatam, ea intentione in Selandia [int]rasse, ut recta Londinum in Angliam, atque postmodum in Hispaniam pergeret: Indeque in Angliam, Hollandiam, aut Selandiam reverteretur. Eam autem sub ipso reditu ad promontorium Caput S. Vincencii appellatum, in manus Capitanei cuiusdam Georgii Rimani, servitoris Admiraldis Angliae incidisse, qui Serenissimi Parentis nostri indigne spretis, discerptis, ac pedibus proculcatis literis, navem non solum hostiliter invasit, nautas crudeliter vinctos in alias naves transportavit, bonaque ad novem millium sexcentorum nonaginta atque unum florenorum valorem: uti ex authenticis supplicationibus videre, est aestimata, pro libitu suo petulanter diripuit, ac dissipavit: sed et suo cursu ad Insulas

Maderae, Carnariae atque Ternariffae iter ducentorum milliariorum in circuitu coegit, ac insuper menses circiter tres in Hamptoniae portu, maximis sumptibus haerere fecit. Quo toto tempore ipsis praedictam navim ne quidem ingrediendi, multo minus eam vel ad ipsam pertinentia custodiendi potestas ulla concedebatur. Inde eandem iussu praenominati Admiralis Londinum deductam, atque tum demum bonis suprascriptis desideratis (inter quae sacculus quidam margaritis vel perlis repletus erat, mille florenorum precio aestimatis) spoliatam necessariis, possessori multis praecibus restitutam fuisse. Quam tamen confestim metu partim praedicti piratae, partim /

*F. 139 v* vero summa inopia, ad quam hoc ipso devenerat, damno suo maximo Londini divendere sese coactum fuisse conquestus est. Ideo has nostras intercessorias ad Serenitatem suam humiliter petiit; Quas illi racione officii nostri Regii, atque adeo ipsius Iusticiae denegare noluimus. A Serenitate tua igitur benevole contendimus, ut saepenominato Rimanno ipsiusve haeredibus vel etiam aliis subditis suis, quicunque demum isti fuerint, qui praedicta bona invaserant, ac dissipaverant, serio mandare velit, ut ipsum, vel ipsius plenipotentiam habentem, plenarie et perfecte primo cum tempore quietent, ne dictus noster subditus maiores ob hoc negotium sumptus facere, damnaque sustinere cogatur. Quod cum ipsi Iusticiae, aeque ac veteri nostrae amicitiae maxime consentaneum sit, dubitare etiam non volumus, Serenitatem tuam idipsum tanto libentius praestituram.

Quam ut Deus Optimus Maximus salvam et florentem diu conservet, ex animo illi optamus.

Ex Regia nostra Stocholmia XXX Aprilis Anno M D XC IIII Regnorum vero nostrorum Sueciae Primo, Poloniae Septimo.

Sigismundus Rex

*In dorso:* Serenissimae Principi Dominae Elizabethae Angliae, Franciae, Hyberniaeque Reginae, Sorori et Consanguineae nostrae charissimae.

*N. 154.*

*Lutetiae Parisiorum, [10 Septembris, 1573]*

*Henricus rex Poloniae electus*
*ad ordines Poloniae;*
*articulos « Pactorum Conventorum » iuratorum communicat.*
*(exemplar).*
*B.M. Cotton, Vespasian F.V.* *)

*F. 176* Henricus Dei gratia electus rex Poloniae, magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kioviae, Podlachiae Livoniaeque etc., nec non Dux Andium, Borboniorum, Alvernorum, Comes Marchiae Foresti, Guercii, Rovergii, Monforti, significamus hisce literis nostris quorum interest universis et singulis, quod post mortem olim Serenissimi principis domini Sigismundi Augusti, regis Poloniae, et magni Ducis Lithuaniae, Serenissimus princeps Carolus, dei gratia Francorum rex Christianissimus atque frater noster, nosque una cum authoritate miseramus ad

status et ordines regni Poloniae Reverendissimos et magnificos viros Ioannem Monlucium episcopum Valentiae, consiliarium in secretiore consilio Franciae, Aegidium Novalium, abbatem Insulae, libellorum supplicum in regia Franciae magistrum, et Guidonem Sangelasium Lanscum, camerarium christianissimi regis, fratris nostri, et ordinis eiusdem equitem et senescallum agenensem, oratores et commissarios utriusque nostrum, ut de nobis in locum praefati Domini Sigismundi Augusti regis et magni Ducis sufficiendis atque in regnum assumendis agerent, Divinique muneris instinctu in comitiis electionis regis sub Warsovia habitis ordines regni Poloniae et magni Ducatus Lithuaniae nos regem creassent, conditionibus et articulis inter eosdem ordines ac oratores nostros ibidem conclusis intervenientibus. Quorum quidem tenor de verbo ab verbum sequitur, et est talis: Articuli pactorum conventorum inter Illustrem Senatum etc.

Quibus preinsertis conditionibus et articulis stare et eosdem adimplere volentes, postquam recitatos coram nobis singillatim expendimus et consideravimus, eos ratos et gratos habentes approbavimus et consideravimus, approbamus et consideramus, hisce literis nostris etc.

Ita de unoquoque illorum cavemus, ut haeredes successoresque nostros non minus quam nos obligemus, promittentes bona fide existimationisque nostrae periculo et pignore omnium nostrorum bonorum mobilium et immobilium presentium et futurorum, quaeque ad nostros successores pervenient, ac sub iuramento a nobis in manibus oratorum dicti regni Poloniae prestito, nos fratremque nostrum et haeredes nostros omnes conditiones et articulos predictos inviolabiliter observaturos et adimpleturos sine exceptione, nec unquam iis directe vel indirecte contraventuros, et ratos regni Galliae Parlamentos officiis et caeteris quorum interest effecturos et prestituros.

Praeterea vero quod ad priorem articulum attinet, ita eum cum christianissimo rege fratre nostro declaramus, quod cum absque ordinibus universis regni Poloniae foedus cum regno Galliae caeteris de rebus, quae in articulis suprascriptis non sunt expressae, quibus quidem uti regno opus esse possit, concludi nequeat, christianissimus rex, frater noster oratoribus /

*F. 176 v* suis, quos mittit in Poloniam ad coronationem nostram, plenam facultatem, coniunctim ac cuilibet illorum dabit foedus illius cum ordinibus regni Poloniae et magni Ducatus Lithuaniae in comitiis coronationis nostrae sanciri et concludi. Ac item eiusdem articuli quo christianissimus rex obligatur si aliquempiam istum [a)] regnum Poloniae et magnum Ducatum Lithuaniae dominiaque ei adiuncta iusto exercitu adoriri vellent, nisi admoniti amice a christianissimo rege ab incepto desistant regnum Poloniae et magnum Ducatum Lithuaniae peditatu Vasconico vel equitatu Germanico vel pecuniis, prout ordinibus dictis videretur.

Ita cum dicto rege interpretamur, ut omnes quicumque regnum illud invaderent, nullis exceptis, praetextu cuiusvis prioris vel posterioris necessitudinis et pactionis, hostes Polonorum nominare nos profiteamur, adversus eos, nisi admoniti amice a christianissimo rege ab incepto desistant, auxilium illis christianissimum regem fratrem nostrum laturum sit, ut suprascriptum est, pollicemur.

Item quod ad articulum de quatuor millibus Vasconum statibus et ordinibus regni Poloniae et magni Ducatus Lithuaniae in usum belli adversus Moscorum principem a rege christianissimo fratre nostro promissis, ita ut iisdem in sex menses stipendia persolvat, pertinet, pollicemur

fratrem nostrum cum Status regni nobis significabunt, ut haec quatuor millia Vasconum transmittantur, illum quamprimum transmissurum cum effectu, ita ut iis non status regni Poloniae, sed christianissimus rex frater noster transitum praestet, atque a die, quo fines regni Poloniae vel magni Ducatus Lithuaniae attigerint, in sex menses persolvat stipendia. Et cum oratores christianissimi fratris nostri ac vestri in comitiis electionis spem statibus Poloniae fecerint, ut Vasconum opera si post sex menses fuerit necessaria fratrem nostrum stipendia iisdem Vasconibus in sex alios menses in gratiam nostram soluturum, christianissimus rex frater noster pro suo erga nos amore, ita ut spem fecerunt oratores dicti, in alios sex menses quatuor millibus Vasconum peditum, si illorum opera regno Poloniae fuerit necessaria, stipendia se daturum et numeraturum promisit. /

*F. 177* Articulum item de classe ita declaramus, quod nos extruemus, armabimus et alemus classem sumptibus nostris Galliae, quae sufficiat ad dominium maris littorum regni Poloniae et magni Ducatus Lithuaniae dominiorumque iis adiunctorum utilitate eiusdem regni, secundum iura, privilegia ac leges regni tuendum et ad tollendas navigationes, quae regno Poloniae et magno Ducatui Lithuaniae et portibus eorumdem dampnum et incommodum afferent.

Quod vero iidem oratores in comitiis electionis nostrae receperunt, nos curaturos ut primo quoque tempore in portu aliquo Gallico mercatoribus et mercimoniis Polonicis emporium aliquod nobile restituatur: Dabit frater noster christianissimus rex datque plenam facultatem oratoribus, quos ad comitia coronationis nostrae mittit, coniunctim ac cuilibet eorum in solidum de hoc emporio cum ordinibus ac statibus regni constituendi, libertate comeandi et quaevis commercia faciendi regni Poloniae et magni Ducatus Lithuaniae dominiorumque eis et eorum hominibus in Galliam, Alexandriam et terras novas eo iure atque libertate qua Galli utuntur, ab oratoribus christianissimi fratris nostri et nostris in comitiis electionis nostrae nomine fratris nostri iam permissa et ab eo confirmata salva manente.

Item cum singulis annis quoad vivemus et in Polonia regnabimus, ex pactione cum ordinibus ab oratoribus christianissimi regis fratris nostri ac nostris in comitiis electionis facta, inferre debeant ex Gallia in regnum Poloniae quadringenta quinquaginta millia florenorum pollicemur cum christianissimo fratre nostro, quod ea pecunie summa singulis annis inferetur in regnum Poloniae sine ulla excusatione aut cuiusvis impedimenti praetextu, ita ut ultimo mense anni, incipiendo annum a die coronationis nostrae, eam summam illatam in regnum Poloniae ordinibus demonstremus.

Caeterum hac de re et reliquis rebus quaecumque ad executionem istius articuli pertinere possint ad colloquium nostrum cum ordinibus regni in comitiis coronationis nostrae agetur, quemadmodum a nobis cum oratoribus ad nos ab ordinibus missis, a quibus ad definienda omnia, quae ad executionem huius articuli spectarent, diligenter rogati sumus, conclusum est. Eam vero pecuniam quotannis illatam, ut suprascriptum est, in usus reipublicae arbitrio nostro impendemus. Pecuniam vero quia ubi primum ad regnum Poloniae appulerimus dimidiam partem debitorum a regno Poloniae persolvamus, nos asportaturos nobiscum, et temporibus in comitiis electionis pactis et assignatis omnia debita regni, quae in oratione oratorum christianissimi fratris nostri et nostrorum initio /

*F. 177 v* conventus electionis habita nominantur, et nobis a Senatu regni, cuius hac de re relationi utrum iusta sint necne stabimus, indicabuntur, nos exsoluturos pollicemur.

Quae vero de schola Cracoviensi et centum filiis nobilium educandis nomine nostro ordinibus et statibus regni Poloniae promissa sunt, ea nos ratione et modo, qui a nobis cum ordinibus in comitiis coronationis nostrae constituetur adimpleturos et ad extremae vitae nostrae tempora praestituros pollicemur. Quos quidem posteriores articulos seu eorum declarationes, conditiones, ac omnia et singula in his expressa haud secus quam superiores eademque fide ac obligatione qua christianissimum fratrem nostrum ac nos heredesque utriusque nostrum coniunctim ac separatim inviolabiliter adimpleturos et Galliae Parlamentis, officiis et caeteris quorum interest ratos reddituros, ac effecturos, quibusvis excusationibus et exceptionibus iuris vel facti semotis, pollicemur et spondemus, superioribus articulis tamen nihil derogando.

Promittimus insuper quod postquam, Deo favente, in regnum Poloniae venerimus, et coronati fuerimus, eosdem articulos eorumque declarationes sub sigillo regni Poloniae, si id a nobis ordines regni requirent, illis trademus.

In cuius rei testimonium manu propria subscripsimus et sigillo quo utimur in Gallia obsignari iussimus.

Datae Lutetiae Parisiorum in ecclesia cathedrali Divae Mariae.

*) *NOAILLES* III, pp. 459-62.

a) *sic in ms.*

*N. 155.*

*s.l., s.d.*

*Henricus rex Poloniae*
*ad universos Polonos*
*de sponsione sua.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Vespasian, F.V. *)*

*F. 180* Ego Henricus Dei gratia rex Poloniae, magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogitiae, Kioviae, Volhiniae, Podlachiae, Livoniaeque.

Per omnes regni ordines ac status utriusque gentis tam Poloniae quam Lithuaniae caeterarumque provinciarum communi consensu libere electus, spondeo ac sancte iuro Deo omnipotenti ad haec sancta Jesu Christi evangelia, quod omnia iura, libertates, immunitates, privilegia publica et privata, iuri communi utriusque gentis et libertatibus non contraria ecclesiasticas et seculares, ecclesiis, principibus, Baronibus, Nobilibus, civibus, incolis et quibuslibet personis cuiuscumque status, et conditionis existentibus per Dominos predecessores reges et quoscumque Principes Dominos regni Poloniae, et magni Ducatus Lithuaniae, praesertim vero Casimirum antiquum Lodovicum Loiis nuncupatum, Vladislaum primum Jagellonem dictum, fratremque eius Vitoldum magnum Lithuaniae ducem,

Vladislaum secundum Jagellonis filium, Cazimirum tertium Jagellonidem, Joannem Albertum, Alexandrum, Sigismundum, secundum Augustum, reges Poloniae, et magnos Duces Lithuaniae iuste et legitime datas, concessas, emanatas et donatas ab omnibus ordinibus tempore Interregni statutas atque sancitas, mihi oblatas, manu tenebo, observabo, custodiam et tuebor in omnibus conditionibus, articulis et punctis in eisdem expressis, pacemque et tranquillitatem inter dissidentes de religione tuebor, manu tenebo, nec ullo modo vel iurisdictione nostra vel officiorum nostrorum et statuum quorumvis authoritate, quemquam affici, opprimi causa religionis permittam, nec ipse afficiam nec opprimam, omnia illicite a regno magnoque Ducatu Lithuaniae et dominiis eorumdem quocumque alienata aut distracta ad proprietatem eiusdem regni Poloniae magnique Ducatus Lithuaniae aggregabo terminosque regni et magni Ducatus non minuam /

*F. 180 v* sed defendam et dilatabo, iustitiam omnibus incolis regni iuxta iura publica in omnibus dominiis constituta absque omnibus dilationibus et prorogationibus administrabo nullo quorumvis respectu adhibito.

Et si (quod absit) in aliquibus iuramentum meum violavero, nullam mihi incolae regni omniumque Dominiorum uniuscuiusque gentis obedientiam praestare debebunt. Imo ipso facto eos ab omni fide, obedientia regi debita liberos facio, absolutionem nullam ab hoc meo iuramento a quoquam petam, neque ultro oblatam suscipiam.

Sic me Deus adiuvet.

*) *NOAILLES*, III, p. 464.

*N. 156.*

*s.l.* [*1573*]

*Oratores regis Galliarum*
*ad Senatum et Ordines Poloniae*
*de conditionibus et pactis acceptis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Vespasian F.V. F. 180 v-181.*

*Idem documentum iam editum in vol. El. XI, p. 43, N. 42.*

*Lectiones variae:*

*El. XI, p. 43, lin. 42:*
Egidius abbas Insulae et Guido de Lemssaly

*p. 44, lin. 3:*
in forma speciali illis exhibendo. Sic me Deus adiuvet. Dominorum saecularium. Praesertim vero Serenissimus Princeps...

*Ms.:* Egidius de Noailles, abbas Insulae et Guido de Lanssac

*Ms.:* in forma speciali illis exhibenda. Monlucius episcopus Valent. regis Christianissimi legatus. Egidius de Noailles, regis Christianissimi legatus. Ipse Serenissimus princeps...

*N. 157.*

*Varsaviae, 16 Maii 1573*

*Articuli*
*ab oratoribus gallicis accepti*
*de electione Henrici in regem Poloniae*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Vespasian F.V.* *)

*F. 182* Articuli pactorum conventorum inter senatum et amplissimos status inclyti Regni Poloniae ac magni Ducatus Lithuaniae ab una et Rev. Reverendum et Magnificum Dominos Johannem Monlucium episcopum, et comitem Valentiae, Aegidium de Noalis, abbatem Insulae, et Guidonem Sangelasium, Dominum a Lanschac, equitem ordinis Sancti Michaelis serenissimorum Principum Dominorum Caroli, Dei gratia regis Galliarum Christianissimi fratrisque sui Henrici Andium, Borboniorum et Alvernorum Ducis, nunc vero electi Poloniae regis ad eosdem status et ordines Regni missos oratores.

Quandoquidem ita placuit Domino Deo, qui solus hominum corda movet et disponit, ut de unanimi sententia atque libero assensu omnium statuum atque ordinum inclyti regni huius Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, ac caeterarum provinciarum ad ipsum regnum pertinentium, memoratus ille princeps Dominus Henricus Andium, Borboniorum et Alvernorum Dux, esset in regem Poloniae, atque eumdem magnum Ducem Lithuaniae ac caeterarum regni provinciarum principem, ac Dominum libere electus et publice declaratus, adessent autem ipsius Magnifici Principis et fratris sui Christianissimi Galliarum Regis nuncii supra nominati cum plena ac sufficiente potestate ab eisdem Principibus suis huc ad status et ordines in optionem Regni missi, cum quibus pro salute atque incolumitate huius regni et totius Reipublicae Christianae certa pacta seu conditiones ipsis Serenissimis Principibus suis per electos oratores eas sponte offerentibus, caeteris autem astantibus, regni expetita, sunt utrinque inita et sancita in hunc qui sequitur modum:

1. Primo foedus perpetuum inter Galliae et Poloniae regna, atque eorum provincias omnes hominesque in eis degentes constare debet, procurantibus et promoventibus illud supermemoratis serenissimis Principibus Galliarum et Poloniae regibus, verum qui de tanto negotio, quatenus ex re utriusque provinciae fieret, nichil nunc absque Principibus ipsis transigi potest. Quum multa sic proponenda essent, quae magna deliberatione indigerent, ideo tractatu ipso de foedere hoc sanciendo in aliud tempus reiecto oratores supra descripti ex concessa sibi ab ipsis principibus suis facultate haec iam in nomine serenissimi regis Galliarum presentia regno huic Poloniae et eius statibus detulerunt, ut si aliquando quispiam hostium et quaevis alia gens inimica hoc regnum suis provinciis non levibus excursionibus sed iusto exercitu adoriri vellet, regem Christianissimum curaturum esse amice prius cum illis hostibus agere, et aliis huic regno infestis, ut a bello inferendo abstineant. Quod si id obtinere nequiverint, peditatu regnum hoc iuvabit, si ita status regni optaverint, qui ad fines regni transmittantur. At si pro peditatu Vasconico

equitatum Germanicum status regni optaverint, idipsum etiam rex Christianissimus praestabit, aut si ita statibus magis ex re videbitur, pecuniis eos iuvabit, quemadmodum etiam vicissim Galli, si Polonico equitatu egeant illo, a Polonis adiuvabuntur stipendiis ab illis acceptis.

2. Item offerunt ac spondent idem oratores statibus et ordinibus regni nomine Christianissimi regis in usum belli contra Moscoviticum Principem quattuor millia Vasconum peditum electissimorum, /

*F. 182 v* quibus etiam stipendia in sex menses Christianissimus rex persolvere debebit, quod si post sex menses eorum opera sit necessaria, ad sex alios menses in aliud tempus regem Christianissimum fratris charissimi stipendia quae requirentur non denegaturum existimant, tamen quidquid sit ad ea persolvenda redditibus Polonicis serenissimum regem Poloniae electum non esse usurum. Interim tamen de ratione istius belli contra Moscoviticum suscipiendi, in cuius usum Vascones isti adhibendi sint, deque ratione victus et alimoniae illis regionibus, quibus adduci debent status regni serenissimum regem suum [ ] [a] tempestive promovere debebunt, ut cum illis etiam quid certi pro ratione annonae de stipendiis constitui possit.

3. Item promittunt oratores predicti nomine ipsius serenissimi Regis electi, quam primum Deo volente ad regnum suum venerit, classem necessariam et sufficientem ad tuendos portus et dominium maritimum littorum regni et provinciarum adiacentium, quatenus se porrigit omnis ille tractus Poloniae ditionis suo sumptu alere, quam etiam ita instituere, ut res et necessitas suadebit, et status regni censebunt, cuius classis magnum usum fore animadvertunt ad impediendam Narvicam navigationem sive illum ipsum etiam portum regno acquirendo.

4. Item pollicentur nomine ipsius serenissimi regis electi curaturum eum primo quoque tempore emporium aliquod nobile in portu aliquo Gallico mercatoribus ac mercimoniis Poloniae instituere, similiter et conventionum mutuum usum ordinare, adhibitis ad eam rem peritis rei mercatoriae atque nauticae, absque quorum consilio eiusmodi negotiatio recte institui non potest. Iam autem nunc offerunt ipsi oratores serenissimi Galliarum regis liberam potestatem comeandi, et quaevis commercia faciendi nostris hominibus in Galliam et Alexandriam atque terras novas eo iure atque libertate qua Galli utuntur.

5. Item promittunt et spondent idem oratores nomine serenissimi regis electi singulis annis, quoad vivet et rex Poloniae erit, ex redditibus suarum provinciarum, quas in regno Galliae habet, quadringenta quinquaginta millia florenorum pecuniae se huc in regnum Poloniae illaturum et in usus Reipublicae impensurum etiam pro arbitrio suo.

6. Item consulendo honori atque existimationi huius regni, cum intellexerint illud esse gravi aere alieno oppressum, pollicentur dicti oratores eiusdem serenissimi regis electi nomine, nomina seu debita reipublicae cum assensu senatus per defunctum olim piae memoriae regem facta, aut etiam a morte illius usque ad adventum ipsius serenissimi regis electi

reipublicae causa contracta, quorum ipsimet senatores et status regni rationes Sacrae Maiestati indicabunt ac in scriptis perferent, Quod sua Maiestas pecuniis suis persolvet dimidiam partem cum primum huc ad regnum appulerit, reliquum autem intra terminum duorum annorum proxime sequentium. Hoc autem in /

*F. 183* commoda ac beneficium istius reipublicae faciet et praestabit, et nihil sibi esse cautum et repositum volet a republica regni huius, sed gratis et libenter illi resignabit omnia quaecumque illi aut cuivis alteri donaverit.

8. Item promittunt et spondent supradicti oratores eumdem serenissimum regem electum ad minus centum ex nobilium familia filios in eadem Cracoviensi sive Parisiensi Academia ad tempus perfectas [a] illorum in re literaria suo sumptu alere. Quod si aut status regni malint dimidiam eorum partem in literis, et aliam in armis fieri, etiam in Aulis Principum externorum exerceri, id eorum arbitrio esse futurum.

9. Item recipiunt et spondent iidem oratores nomine serenissimi regis electi eum huc se ad inhabitandum nullos peregrinos homines adducturum praeter paucos, quorum opera in ministerio domestico uteretur, quos tamen postea brevi remitteret. Persolutis Maiestatis stipendiis de suo, nullas etiam professiones aut dignitates vel officia illis concedet, sed tantum indigenis Polonis iuxta statutum regni. Deinde vero quae supramemorati oratores in oratione sua ad status regni, initio istius conventus habita, et typis iam per eosdem evulgata comprehenderunt, et statibus regni obtulerunt, spondent et recipiunt pro dominis suis serenissimo Rege Galliarum et rege Poloniae electo omnia illa sincere ac fideliter impleturos, et cumulate etiam omnibus satisfacturos esse ipsos Principes, quae memorati oratores eorum promiserunt.

10. Item recipient et spondent nomine electi eum omnia iura, privilegia, libertates, immunitates, praerogativas unicuique statui et hominibus ex incolis regni magnique Ducatus Lithuaniae et omnium provinciarum illi adiunctarum, sive generaliter omnibus sive specialiter singulis per serenissimos reges et alios principes antecessores suos iuste ac legitime concessas vel quovis alio nomine quaesitas, a diuturno usu approbatas, sive etiam nunc circa electionem regis sive ex unanimi et concordi consensu omnium ordinum sancitas, integre ac inviolabiliter servaturum, atque etiam iuramento corporali iuxta sibi traditam formam ante inaugurationem, sive coronationem suam confirmaturum, et literis adeo necessariis muniturum. Quae et supra omnia ac inde caetera consequentia in robur certissimae atque perpetuae firmitatis supra dicti oratores, et in evidentium testimonium ac robur firmissimum omnium suprascriptorum sigilla utriusque partis tam statuum regni quam ipsorum oratorum sive literis adhibita cum subscriptione manuum eorumdem.

Actum et datum sub Varsovia in Campo villae Camyon in comitiis magnis electionis regis die sedecima Maii anno Domini 1573.

a) *in ms. lacuna.*

*) *NOAILLES*, III, pp. 452-6, *in versione gallica.*

*N. 158.*

*Varsaviae, 16 Maii, 1573*

*Jacobus Uchański, primas Poloniae,*
*universis*
*de electione regis Henrici.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Vespasian F.V. F. 184-185.* *)

*Aliud exemplar iam editum in vol. El. XI, p. 41, N. 42.*

*Lectio varia:*
*In El. XI, p. 42, lin. 46:*
Prussiae etc.

*Ms.:*
*Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Voliniae, Podlachiae, Livoniae etc.*

*) *NOAILLES*, III, pp. 413-419.

*N. 159.*

*s.d., s.l.* [*Lutetiae, 1573?*]

*Aliqui nobiles Poloni non nominati, religionem evangelicam profitentes, ad consiliarios regis Galliae (Montluc et Lansac);*
*expetunt, ut aliqua iura et privilegia evangelicis in Regno Galliae concedantur.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Vespasian F.V.*

*F. 186* Postulata nobilitatis (quae evangelicam Religionem in Polonia profitetur) maiore parte Reverendissimo Domino D. Joanni Monlucio Episcopo et Comiti Valentino et in privato Regis Christianissimi consilio consiliario, ac Magnifico Domino D. Guidoni Sangelasio Lansaci, domino equiti aurato et caet., Christianissimi Regis legatis et oratoribus oblata.

1. Imprimis ut Regi Christianissimo placeat rerum omnium, quae per bellorum civilium tumultus in Gallia actae sunt et eorum omnium causa fuerint consequutae, memoriam sempiterna oblivione delere.

2. Deinde ut omnibus, qui volent, Christianissima Maiestas concedat immensa bonitate sua in omnibus Galliae locis pacate vivere, ut eis religionis quam amplectuntur causa (quae Reformata dicitur), periculum incommodumque nullum creetur. Domi iisque locis, ubi inhabitabunt, in eos non inquiratur, si modo ex edictorum praescripto vivant, Romanae ecclesiae et catholicae ne adesse cogantur, nec illis p[ ] ratione inservire.

3. Iis, qui e Gallia decedere velint, liberum R. Christ. faciat bona vendere aut de iis alias prout libuerit disponere ac pretium e Gallia exportare. Quod si malint, bonis non distractis, eorum redditum annuum percipere, id illis sine fraude liceat, addita omnibus quoties voluerint in Galliam redeundi et in ea manendi potestate, dummodo aut ad Regni hostes aut ad eos, quibuscum Regi nulla sint foedera, non divertant.

4. Praeterea ut Rex Christianissimus ad perpetuam clementiae et mansuetudinis memoriam eos eorumque haeredes, qui ob conspirationem, quae mense Augusto 1572 Parisiis facta dicitur, condemnati sunt, in bona, nobilitatem et existimationem pristinam restituat, non obstantibus aut edictis regiis si quae sint, aut quibuslibet senatus consultis vel aliis iudiciis decretisve, quibus rex ob certas graves magnasque causas derogatum esse volet.

5. Ut qui in clade illa, quae Parisiis mense Augusti postea per aliquot Galliae urbes populi insanientis furore commissa est, occisi sunt, eorum haeredibus /

*F. 186 v* regiorum munerum quae tunc gesserunt aestimationem, id est quanti quodque officium ante vendi solitum est, Rex ad sempiternam misericordiae commendationem restituat.

6. Ut exulibus ob religionem ac caeteris omnibus, qui clade illa perterriti e Gallia aufugerunt, reditum in Galliam cum omnium inimicitiarum oblivione Rex concedere velit, eosque in bona, famam, dignitatem restituere, dummodo illi arma deponant fidemque regiam agnoscant.

7. Ut rex benignius cum iis urbibus agendo ceterisque locis, quae ad eum usque diem quo haec capita Christianissimae Maiestati offerentur, religionis quae reformata dicitur exercitium retinuerant, imprimis omnium iniuriarum et rerum anteactarum velit oblivisci, illisque concedere, ut religionis libero exercitio sicut antea fecerunt, in posterum fruantur, sintque ab omnibus praesidiariis militibus immunes, dummodo et ii regiae fidei se dedant armaque deponant.

8. Ut et in eos, qui adversus edicta regia caedes perpetrarunt, severe inquiratur et animadvertatur.

Ut ad religionis exercitium, pueros baptizandos et matrimonia contrahenda Rex in singulis Galliae provinciis unum locum eligere et concedere velit. *)

*Adnotationes in margine.*

2. Scimus quanto cum periculo sit, praesertim Lutetiae Missam non audire, et a caeteris ceremoniis papisticis abstinere, et quanto cum metu adducantur innumeri homines, ut missae intersint.

3. In edicto Rupellano articulo nono additum est, « qui pourroit estre, etc. » quo verbo omnes Principes possunt contineri, cum nemo sit qui non possit esse hostis.

4. Tantum abest, ut id sit aliqua ex parte factum, ut statua Admiralii

in eadem ipsa via, qua Oratores Poloni deducti sunt, suspensa illis ad spectandum proposita sit.

5. Nec istud aliqua ex parte factum.

6. Nulli sunt adhuc restituti.

7. Articulo 4° pacificationis Rupellanae concessum est id Rupellanis, Nemosis et Montalbaniensibus, tantum idque, ut in domo sua id faciant et non in aliquo loco publico.

8. Tantum abest, ut in istos animadvertatur, ut ne in eos quidem animadversum sit, qui mense Aprili ultimo caedes fecerunt Chasteaudunis et iis qui direptorum bonorum restitutionem petierunt nulli unquam administrata est iustitia.

*) *Documentum explicit imperfecte. Textum integrum* v. *NOAILLES*, III, pp. 409-411.

*N. 160.*

[*Plosci*] *s.d., 1573*

*Ioannes de Montluc et Guido de Lansac, regis Galliae oratores, ad quosdam nobiles Polonos;*
*pollicentur et iurant regem Galliae postulata, quae a nobilibus Polonis pro religionis evangelicae cultoribus in Gallia proponuntur, concessurum ac servaturum.*
*(exemplar, cum adnotationibus marginalibus manus diversae)*
*B.M. Cotton, Vespasian F.V.*

*F. 187* POSTULATA EX NOBILITATE QUAE EVANGELICAM RELIGIONEM IN POLONIA PROFITETUR REVERENDISSIMIS CHRISTIANISSIMI REGIS LEGATIS OBLATA.

Imprimis ut regi Christianissimo placeat rerum omnium, quae per bellorum civilium tumultus in Gallia actae sunt, et eorum omnium, quae eorum causa fuerint consecuta, memoriam sempiterna oblivione delere.

2. Deinde ut omnibus, qui volent, Christianissima Maiestas concedat, pro immensa bonitate sua, in omnibus Galliae locis pacate vivere, ut eis religionis quam amplectentur causa (quae reformata dicitur) periculum incommodumve nullum creetur; domi iisque locis ubi inhabitarunt in eos non inquiratur, si modo ex edictorum praescripto vivant. Romanae ecclesiae et catholicae ne adesse cogantur, nec iis ulla ratione inservire.

3. His, qui e Gallia excedere volent, liberum rex Christianissimus faciat bona vendere, aut de iis alias prout libuerit disponere, ac pretium e Gallia exportare. Quod si malint, bonis non distractis, eorum redditum annuum percipere, id illis sine fraude liceat, addita omnibus quoties vo-

luerint, redeundi et in ea manendi potestate, dummodo aut ad regni hostes, aut ad eos, quibuscum regi nulla sunt foedera, non divertant.

4. Praeterea ut rex Christianissimus ad perpetuam clementiae et mansuetudinis memoriam, eos eorumve haeredes, qui ob conspirationem, quae mense Augusto 1572 Parisiis facta dicitur, condemnati sunt, in bona, nobilitatem et existimationem pristinam restituat, non obstantibus aut edictis regiis, si quae sint, aut quibuslibet senatus consultis, vel aliis iudiciis decretisve, quibus rex ob certas graves magnasque causas derogatum esse volet.

5. Ut qui in clade illa, quae Parisiis mense Augusto et postea per aliquot Galliae urbes populi insanientis furore commissa est, occisi sunt, eorum haeredibus regiorum munerum, quae tunc gesserunt aestimationem, id est, quanti quodque officium vendi solitum est, rex ad sempiternam misericordiae commendationem restituat.

6. Ut exulibus ob religionem ac caeteris omnibus, qui clade illa perterriti e Gallia aufugerunt, reditum in Galliam cum omnium inimicitiarum oblivione rex concedere velit, eosque in bona, famam, dignitatem restituere, dummodo illi arma deponant, fidemque regiam agnoscant.

7. Ut rex benignus cum iis urbibus agendo, caeterisque locis, quae ad eum usque diem, quo haec capita Christianissimae Maiestati offerentur, religionis, quae reformata dicitur, exercitium retinuerunt, imprimis omnium iniuriarum et rerum antea actarum velit oblivisci, illisque concedere, ut religionis libero exercitio, sicut antea fecerunt, in posterum fruantur, sintque ab omnibus praesidiariis militibus immunes, dummodo et ii regiae fidei sese dedant, armaque deponant.

8. Ut in eos, qui adversus edicta regia caedes perpetrarunt, severe inquiratur et animadvertatur. Ut ad religionis exercitium, pueros baptizandos et matrimonia contrahenda rex in singulis Galliae provinciis unum locum eligere et concedere velit.

Nos Iohannes Monlucius episcopus et comes Valentinus, in privato regis Christianissimi consilio consiliarius, et Guido Sangelasius Lanssaci Dominus, eques, cataphractorum equitum turmae praefectus, ad amplissimos et illustrissimos Poloniae Ordines Christianissimae Maiestatis legati et oratores, pollicemur et sancte iuramus Christianissimum regem in Illustrium, Magnificorum, Spectabilium et Generosorum Dominorum et equitum gratiam, qui Illustrissimo duci Andegavensi in Poloniae regni petitione favent, octo priora capita et postulata Gallis, qui religionem Evangelicam profiteri voluerint, concessurum, praestaturum ac servaturum, eisque fidem hoc nomine obstringimus. Ad postremum vero caput, quod est de locis in quibuslibet provinciis ad religionis exercitium assignandis, ita respondemus, nos omni studio et cura nostra, atque bona fide apud Illustrissimum ducem Andegavensem acturos, et eum rogaturos, ut id a rege Christianissimo impetret et perficiat.

Actum Plostum die quarta anno 1573 sub chirographis et sigillis nostris.

*V. Nr. praecedentem.*

*N. 161.*

*s.l., s.d.*

*Aliqui Galliae acatholici*
*in exteris commorantes*
*ad tres proceres Poloniae, qui ad Henricum eligendum regem Poloniae in Galliam profecturi sunt; rogant, ut pro libertate cultus acatholici in Gallia intercedant.*

*(exemplar probabiliter breviatum, « summa »).*

*B.M. Cotton. Vespasian F.V.*

*F. 188* Summa eorum, quae illis tribus Generosis Dominis ex Polonia in Galliam ad electam regiam Maiestatem proficiscentibus exponenda censuerunt Nobiles omniumque ordinum homines, exercendae pietatis et fugiendae crudelitatis causa in Helvetia et Germania exulantes.

Primum omnium ingentes gratias agunt potentissimae et nobilissimae et bellicosissimae genti Poloniae, quod Galliae miserrimae et afflictissimae ac praesertim Galliarum ecclesiarum saluti consulentes, capita quaedam pacis in religionis negotio constituendo ut sibi persuadeant, nunquam aliam fuisse aut esse Galliarum ecclesiarum voluntatem, quam ut Deum pacifice colere, et Regiae simul Maiestati omne debitum obsequium praestare possint.

Quoniam autem id nunquam consequi potuerunt, hincque profectae sunt omnes illae miseriae et calamitates, quantas nulla unquam gens sustinuit, idcirco predicti exules censuerunt de quibusdam necessario commonefaciendos illustres et generosos dominos Legatos, ne postquam in aulam Gallicam venerint, et illa pacificationis capita proposuerint, reipsa comperiant istiusmodi postulatis Gallicas Ecclesias non modo non iuvari, verum etiam vehementer laedi, nisi commoda interpretatione suppleantur, quae illis desunt. Itaque vehementer precantur illustres et generosos Dominos Legatos, ut quae ipsi ad singula capita annotaverunt patienter audire et diligenter expendere sustineant.

Ad primum caput.

Tria sunt caedium genera, quas nonnulli nuper in Gallia contra reformatae religionis professores exercuerunt. Nam alii a furente plebe (minime tamen insciis magistratibus) sunt domi suae improviso crudelissime direptis omnibus bonis trucidati, quorum pene innumerabilis est multitudo. Istas autem caedes quum Rex disertis verbis eiuret, et saepe scripserit se curaturum, ut istiusmodi horrendissimorum scelerum rei puniantur, roganda est Regia Maiestas ut precipuarum saltem civitatum, in quibus ista contigerunt, magistratus istius facti rationem reddant, utque seditionum duces poenis afficiantur, et omnia per vim ablata restituantur.

Alii cum ex magistratuum mandato in carceres ultro concessissent, ibidem sunt postea contra omnia divina et humana iura immanissime interfecti, cuius inauditi sceleris ratio reddenda videtur.

Alii denique quasi nocentes suppliciis sunt affecti, omnique infamiae genere notati, de quorum tamen proba integraque vita usque adeo con-

fidunt illorum haeredes, ut hanc infamiam suo generi illatam non possunt non molestissime ferre.

*F. 188 v* Itaque a regia maiestate petunt, ut de integro coram inculpatis iudicibus auditis defensionibus et exceptionibus de illorum vel culpa vel innocentia cognoscatur, et si (quod sperant) illos falsissime apud Regiam Maiestatem accusatos fuisse constiterit, tum non minus solemni more quam prius damnati fuerunt, ab omni culpa et infamia absolvantur, eorumque bona omnia secundum iustam aestimationem haeredibus restituantur.

Ad secundum et septimum caput.

In hoc caput non magis consenserunt Gallicae Ecclesiae quam universi divini cultus abolitionem. Quoniam enim pastoribus et publico ministerio opus est in Ecclesia Dei, si satis est unicuique domi privatim precari et secundum eam vivere, certe si ita est, insignis amentiae damnandi fuerunt Apostoli et tot Martyres, qui vitam profundere omnique tormentorum genere excarnificari maluerunt, quam Ecclesiasticos conventus non habere, et cum sub regibus Franciae, Henrico alteroque Francisco multis edictis aut poenis impediri non potuerint, quin ad audiendum verbum Dei, ad sacramentorum perceptionem, ad matrimoniorum benedictionem, denique ad synodos habendas et ecclesiasticas censuras exercendas convenerint, qua nunc conscientia iidem in domesticis precibus et privatis lectionibus possent acquiescere? Deinde illud certum est, sic brevi futurum, ut infinitae haereses et factiones exoriantur, quarum vitandarum causa constat, Ecclesiasticos congressus fuisse a Deo institutos, et adeo studiose a condito mundo in Christiana Ecclesia observatos, ut mere privata conventicula semper damnata fuerint, tum quoque cum palam et publice convenire per edicta principum non liceret.

Denique etiamsi bona conscientia possent pii in istam conditionem consentire, tamen quum necesse esset vel unumquemque domi pastorem agere, vel infinitos pastores habere, quorum neutrum fieri potest, nemo non videt si illud obtineat, brevi futurum, ut tota religio labatur. Itaque si regni Gallici tranquillitas serio quaeritur, semel hoc potius discernendum videtur, ut Gallicae confessionis apud Pissiacum Regiae Maiestati oblatae professoribus non tantum liceat domi Deum precari, legere, canere, aliaque eiusmodi privatim agere, sed etiam ubique publicos et communes habere coetus.

Quod vero de istis locis sic constituendis petitur, nempe ut unusquispiam in singulis provinciis deligatur, non modo periculosissimum et molestissimum est, verum etiam prorsus inutile et nullius momenti, cum tredecim tantum provinciae in tanto tamque populoso regno numerentur, et usus ipse tot iam annos docuerit nec sufficere potuisse locos per singulas praefecturas constitutos; immo sic periisse innumeros, dum remotissima et incommodissima quaeque loca deligebantur, et euntes et redeuntes invadebantur, coactis etiam opificibus suas operas intromittere,

*F. 189* et infirmis ac valetudinariis multis nequeuntibus sine vitae discrimine molestiam itineris sustinere.

Itaque illustres et Generosos dominos serio et ex animo rogamus, ut cogitent non posse Gallicum regnum certam pacem habere, quod ad religionis causam attinet, neque stare Gallicas ecclesias, quin omissis omnibus conditionibus et modificationibus, quae hactenus in disceptationem

subinde venerunt, ubicumque fuerint pii, qui suos conventus agitare velint, ibi per regiam Maiestatem ipsis liceat statutis diebus et horis certoque loco ad suae religionis cultum omnem exercendum convenire, dummodo id pacifice et sine tumultu fiat, et Regiae Maiestati debita obsequia sincere praestentur, quam acerrimis poenis in eos qui secus fecerint constitutis.

Ad tertium, quartum, quintum et sextum caput.

Si pax constituatur, concessa divini cultus libertate, supervacanea fuerit.

Haec sunt, de quibus exules praedicti comonefaciendos illustres ac generosos Dominos Legatos necessario putarunt, ut quae sit Gallicarum Ecclesiarum conditio plene norint, nedum miseris fratribus prodesse pro sua singulari charitate student, nonnulli eo ipso ad illos semel perdendos abutantur. Immo hoc inprimis expetendum videtur, cum manifeste pateat Gallicas Ecclesias contra regiam publicamque fidem omne saevitiae genus esse expertas, nullum fore eorum omnium quae concedentur pondus, nisi praeter iusiurandum solemne, bonis etiam certisque conditionibus, agere de servanda pace utrinque caveatur.

De istis vero conditionibus agere ulterius fuerit gravioris considerationis quam pendente deliberatione, si de caeteris conveniat, nihil utrinque moveri, et armorum vim intermitti necessarium videtur. Nec dubium est, quin Regia Maiestas paternum semel animum in suos, tum hostium illos induerit, reipsa comperiat, nullos ipsius Maiestati obsequentiores fore, quam qui maximas habent de nonnullorum iniquitate expostulandi causas.

*Hic intervenit versio anglica orationis russicae*

*F. 190* Fuisse indicatum proceribus Polonicis famamque esse creberrimam inimicorum opera subornatam pleraque testimonia falsa atque redempta fuisse.

Partim metu partim muneribus et functionibus allectos homines de Gramont et de Bouchavanes, ut deponerent et testificarentur de conspiratione ab inimicis Admiralii confecta et Regi delata falso.

Multos pontificum lubenter testimonium tulisse ultro hac in re, nec Iudices pari perturbatione laborantes repudiasse suam ea in re operam.

Multos, qui se religionis dicerent et fuerant, cum nunc non sunt, Et si se esse profiteantur et fingant, quo maiorem fucum faciant, opera eorumdem inimicorum testimonium confectum ac falsum tulerunt.

Ab aliis esse expressas confessiones de gravitate tormentorum, et questiones non factum ab illis etiam esse confictum ac descriptum, ac illorum opera, quo et Regi magis probarent, suam calumniam liberarunt, ne iure cum illis in posterum agi posset.

Confictum fuisse subscriptum cum admiralio tum aliorum atque quasi literis propriis coniuratorum evincere coeuntur, ita confictum actumque quo nihil facilius illis fuit, in articulis ac literis omne et scriptum admiralii adepti sunt in suaque haberent potestate.

Quod et ad Bricquemaldo et Cavagino extortis esse in carta alba subscriptiones facta spe libertatis atque promissa dum in vinculis detenerentur, quas chartas postea repleverunt qui habebant pro arbitrio.

Ut illi ipsi crimen de, quo non cogitarunt, propriis confessionibus et

subscriptionibus patrasse et commississe videantur, atque non hi tantum, sed et admiralis et alii, qui cum eo erant nobilitatis nuptiarum causa, et ut regi pervenerint.

*N. 162.*

*s.l., 1574*

*Ignotus*
*ad rei memoriam;*
*versio epistolae, quam Mehemet Bassa scripsit*
*ad proceres Poloniae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Vesp. F.V. fol. 191.*
*Aliud exemplar plenius iam editum in vol. El. XI, N. 214, p. 271.*

*Lectio varia:*
*El. XI. p. 271:*
(1575)
*Ms.:*
*In dorso:* 1575

*N. 163.*

*s.l., [1573]*

*Ignotus*
*ad usum officii.*
*Elenchus oratorum, qui ad Henricum regem electum missi sunt, et gubernatorum militarium in provinciis.*
*(exemplar), cfr. elenchos similes cum variationibus, N. 119 et in vol. El. XI, p .191, N. 133.*
*B.M. Cotton, Vesp. F.V.*

*F. 192* Oratores nomine Senatus Regni Poloniae et magni Ducatus Lithuaniae designati ad serenissimum Henricum Dominum Andegavensem regem electum.

Episcopus Plocensis seu eius loco Posnaniensis
Palatinus Siradiensis
Comes de Tenczin Castellanus Voynicensis
Castellanus Gnesnensis
Comes de Gerca Castellanus Migeilzirocensis [a)]
Orbertus Castellanus Sanocensis
Crisky Castellanus Rudgiouuski [b)]
Castellanus Samogitiae Lithuanus
Radzivillus Dux Olicensis et Marscalcus Lithuaniae

Praecursores et Nobilitatis nomine oratores.

Nicolaus Fierlei Capitaneus Casimiriensis
Zamoiski Capitaneus Belzensis
Nicolaus Thomiski
Dux Roinsky [c] Lithuanus

Governatori elletti per la deffensione de Confini di Pollonia Maggiore.

Illustrissimo Czarncowsky Generale di Posmenia [d]
di Polonia minore
Il Palatino di Sandomiria
di Podolia
Il Pallatino di Podolia
di Prussia
Il Castellano di Danzick

a) Miedzyrzecensis
b) Raciosensis, de Raciąż
c) Dux Russus (Alexander Pruński)
d) Posnania

*N. 164.*

*s.l., (1573)*

*Ignotus*
*ad usum officii.*
*Elenchus oratorum Poloniae ad regem Galliae missorum.*
*(exemplar) cfr. elenchos similes cum variationibus, N. 118 et in vol. El. XI, p. 191, N. 133.*
*B.M. Cotton, Vesp. F.V.*

*F. 193* Nomina Legatorum Polonie ad Regem Christianissimum missorum.

Adamus Conarski [a] Episcopus Posnaniensis
Albertus a Lasco Palatinus Siradiensis
Joannes Tomizky [b] Castellanus Gnesnensis evangelicus
Andreas Comes a Gurca Castellanus Medicersensis [c] evangelicus
Joannes Herbert de Fulstein Castellanus Saunacensis [d]
Nicolaus Christophorus Radzivillus Dux in Olica et Neserwiz [e] in Lithuaniae curia Marschalcus
Joannes a Sborow [f] praefectus militiae Livoniae, evangelicus
Joannes Samoisky Capitaneus Belsensis
Nicolaus Firly Capitaneus Casimiriensis
Alexander Prunsky Palatinides Kioviensis Dux Russus, evangelicus
Nicolaus Tomizky

a) Konarski
b) Tomicki
c) Górka - Miedzyrzecensis
d) Herburt - Sanocensis
e) Nieśwież
f) Zborowski

*N. 165.*

*s.l., s.d.* [*Lutetiae, 1573?*]

*Proceres Poloni non nominati*
*ad regem Galliae (Carolum IX);*
*expostulant, ut aliqua iura et privilegia acatholicis in Gallia concedat. Cum notis marginalibus (authenticis?) Caroli IX.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton. Vespasian F.V.*

*F. 500* 1. Imprimis ut quemadmodum superiorum bellorum memoriam Regia Maiestas omnibus suis edictis pacificatoriis abolevit, testata se pro fidelibus suis subditis utrosque agnoscere, ita etiam hoc ipsum nunc testari dignetur eaque omnia, quae bellum sunt consecuta, oblivione deleat, pro conductis militibus, ecclesiasticorum vel Regiorum nummorum vel aliorum acceptorum belli nomine vel eorum omnium in summa, quae propter bellum facta sunt in Reformatam religionem profitentes non inquiratur, sed sue omnibus libertati sint, et propter haec ab omni querela immunes.

2. Consulatur paci et mutuae subditorum Regis amicitiae, tollaturque inter eos diffidentia, neve in posterum se lacessant aut iniuria afficiant facto nec verbis.

3. Ita tamen ut si qui alterutrius Religionis aliquod facinus extra bellum, et privato nomine perpetrarint, aut contra edicta Regia aut diplomata, in eos severe animadvertatur.

4. Ut eorum haeredibus, qui coniurationis adversus Regiam Maiestatem initae accusati sunt, et maxima ex parte indicta causa damnati vel occisi, integri et incorrupti iudices dentur, qui de hac causa rursum statuant: nisi semel malit Regia Maiestas absque ulla integerrimarum familiarum labe aliquam rationem inire, qua et iudicia adversus illos lata rescindantur, et tum mortuorum honestae memoriae consulatur, tum eorum haeredes in integrum redditis etiam omnibus bonis tam mobilibus quam immobilium redditibus restituantur.

5. Ut qui in illa clade, quae Lutetiae et per aliquot urbes Galliae facta est, occisi sunt, eorum haeredibus Regiorum munerum, quae tunc gesserunt aestimationem, id est, quanti quodque officium antea vendi solitum est, Rex restituat.

6. Ut exulibus ob religionem, et caeteris qui clade illa perterriti e Gallia aufugerunt, sit tutus et liber in Galliam reditus, fidesque in bona, reditus, famam, dignitatem et munera restituatur.

7. Iis autem, qui e Gallia excedere velint, liberum sit bona vendere, aut de his prout libuerit disponere, ac pretium e Gallia exportare. Quod si malint bonis non distractis eorum redditum annuum percipere, id illis sine fraude liceat addita omnibus quoties voluerint in Galliam redeundi et in ea manendi potestate, dummodo ad regni declaratos hostes non divertant.

*F. 500 v* Ut illi qui minus adacti post illam cladem vel metu vel iureiurando vel alio quovis modo, religionem quam profitebantur, abiurarunt, liceat impune et sine fraude, ut ante conceptum iusiurandum, ad pristinam religionem reverti, et pristinis privilegiis tertio edicto concessis frui.

9. Ut Regia Maiestas edictum tertium pacificatorium perpetuum et irrevocabile sanciverit, istius edicti tertii praefatione et eiusdem articulo quadragesimo septimo, tum etiam declaratione post caedem Domini Admiralii facta, placeat Regiae Maiestati illud conservare et tueri per omnia tam pro religionis et quae ab illa dependent exercitio, quam pro his quae civilem et politicum ordinem spectant, non obstantibus edictis, decretis, senatusconsultis, publicis vel privatis ab illo edicto factis, quae iubeat Regia Maiestas nulla esse, revocare et nullius esse momenti, sed omnia in pristinum statum restitui.

10. Et quoniam magnum ecclesiis Reformatis iudicium factum est, multorum nobilium caede quo cum favore et beneficio illis concesso licebit frui multis locis religionis exercitio, placeat Regiae Maiestati concedere urbibus, oppidis et locis omnibus, quos Reformati hodie occupant, liberum illius exercitium. Et certos quosdam locos commodiores in singulis praefecturis praeter illos, qui tertio edicto conceduntur adscribere, quibus beneficium, quod nobilium illorum caede ablatum est, compensetur.

11. Ac ne quis deinceps suspitioni locus sit, placeat Regiae Maiestati urbibus et locis, quos Reformati nunc occupant, et in quibus edicto tertio liberum est religionis exercitium concedere, ne quae post hac in illis sint praesidia, sed suis antiquioribus et recentioribus privilegiis, libertatibus et immunitatibus fruantur.

*F. 501* 12. Tum quia Civitates tot damna et calamitates sustinuerint, multique et Nobiles et omnium Ordinum viri trucidati sunt, qui Religionem profitebantur, eorumque qui restant facultates et bona omnia pene direpta sunt, quorum etiam maxima pars a religione descivit, placeat Regiae Maiestati illos absolvere a pecuniis, equitibus, germanis debitis, aut saltem cum Catholicis communibus faciat istarum persolvendarum rationem, eamque aequis rationibus persolvi curet ab omnibus.

13. Postremo, quia post postulata a Regiis legatis concessa, Regiae Maiestati ab illustrissimis dominis Poloniae legatis oblata, a quo die obsidione quaelibet urbes liberari debebant, dedita fuit Santerra non tantum infoelicissimis conditionibus, sed ne quidem illis possibilibus, placeat Regiae Maiestati, ut promissis per suum legatum factis stes, Santerranis summam illam pecuniae remittere, de qua deditione conventum est, Tumque ut praesidiis sublatis illisque miseris in integrum restitutis liberum sit, si quod redemptionis pretium persolverint, repetere ab iis qui ab illis acceperunt, iniuriarumque acceptarum rationem exigi permittat regia Maiestas.

*Adnotationes in margine.*

1. Nititur hoc primum postulatum edicti tertii articulo primo et decimo nono, tum edicti Rupelani articulo primo et undecimo, itemque primo postulato Polonico.

2. Nititur 2° postulato Edicti tertii, articulo 2 Rupellani, item articulo 2 et postulato Pdonico 2.

3. Nititur 3 postulatum summo Iure, et septimo postulato Polonico.

4. Nititur 4 postulatum una ex parte quarto postulato Polonico. Tum summo iure et multis rationibus a supplicatione filiorum domini Admiralii petendis. Denique edicti tertii articulis 32 et 33. Cum enim suspensa esset effigies Domini Admiralii et aliorum ob crimen laesae Maiestatis (ut obtendebatur) revocata sunt ista arresta.

5. Nititur summo iure 5 postulatum, quod etiam totum est sumptum Polonicum postulatum.

6. Nititur 6 postulatum sexto postulato Polonico, Tum edicti tertii articulis 26, 27, 28, 29. Et quadam ex parte Rupelani articulis 15, 16, et 17.

7. Nititur 7 postulatum Rupelani articulo 9, totumque est secundum Polonicum. Explicite tantum vox, foedera, per illa verba *ad declaratos hostes.*

8. Nititur 8 postulatum Rupelani edicti articulo septimo, Tum summo iure.

9. Nonum postulatum aequo ipso est aequius, Nec enim revocari potest, cum sit pactum foedus cum Germanis, Anglis et Gallis nisi eorumdem consensu. Adde non debere privari edicti beneficio, quo non sumus abusi. Ultima illa cluasula nititur tertii edicti articulo quadragesimo tertio sub finem.

10. Nititur decimum postulatum septimo postulato Polonico. Ultimam vero clausulam etsi summo iure nitatur iure patiemur [ ] deleri, si *modo* conservetur per omnia edictum tertium.

11. Nititur undecimum postulatum magna ex parte septimo Polonico postulato. Altera vero summo iure, Tum ea ratione quod ab istis praesidiis semper fuerint interfecti Religionem profitentes, ut in ea urbe, quae Charitas dicitur, in Aeduensi urbe et infinitis aliis.

12. Nititur hoc postulatum summo iure, Tum quotquot erant Collecti nummi regis venia et iussu, a latronibus et sicariis Lutetianae caedis direpti ad maximam summam fuerunt. Deinde rationes istorum nummorum reddit thesaurarius causa, ut vocabant, in camera computorum in hac urbe. Postremo non obligantur pro[prio] nomine religionem profitentes saltem omnes.

13. Nititur ultimum hoc postulatum septimo postulato Polonico, Tum edicti tertii articulo octavo.

Denique ea ratione quod non deliquerint, ideoque mulctari non debent.

*N. 166.*

*Elbingae, 7 Ianuarii, 1584 (vet. stylo)*

*Ioannes Herbert*
*ad Franciscum Walsingham*
*de rebus anglicis in civitate Elbingensi.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Vespasian F. XII, (exemplar v. Galba, D. XIII, F. 75 v-76 v).*

*F. 145* May it please your honor that my selfe fearinge the late comminge of any lettres of Instructions for my viage to the Assembly at Warsow, I perswaded with the Towne and Deputy and Assistants here to have certen Colloquies, what I might do, yf further advice came not from

your honor. Therein we spent two monethes and more, and with muche difficulty have agreed of all points and Articles, and sended them according to the pourport of our Colloquies at Lewartow to th'end we might be the readier to ioigne with suche Commissioners as the whole assemblie shall appoint to deale with us. I have sent herewith the copies of them to your honor, wherein I trust I have receded no way from the meaninge and pourpose of her Maiesty for the planting of her subiects here at Elbing.

The points wherein I have somewhat receded from our agreements at Lewartow at the perswasion of the Assistants here may happen to brede some difficulty, to passe them by consent of the States. The Kings Commissioners at Lewartow would in no wise agree, that the Society here shold have authority to chuse a Deputy and Assistants, and to enioy their iurisdiction, and to have authority to make lawes towching the sale of their marchandise without consent of the Magistrates of Elbing, unlesse the said Deputy and Assistants should take an /

*F. 145 v* othe, or at least might be instructed in their oth, the which they should make to the Company, to do nothing in their Court nor to enact any law, that might preiudice the king, the Crowne of Poland, the libertyes of the towne of Elbinge, nor this present privilege, further then was assented unto them in the same. In these Articles I have mayd no mention of the oth, nor of the consent of the Magistrates or Elbinge in making of their decrees and laws.

The third point is for the Revendition here at Elbinge of all such goods, merchandise and wares as her Maiesties subiects shall buy within the Kings territories, and not to be enforced to transport the same. The Commissioners at Lewartow stoode long uppon that point, as a thinge tending to the ruyne of the ports within the lands of Pruse: but here the Assistants judge their privilege of no value without fre resale of all commodityes. The Commissioners agreed unto the fre selling of all marchandise browght in by them, and fre handlinge with all nations, and to the revendition, yf the goods were like to perishe, and addicted by sentence in liew of debts, or received in bartre or exhaunge, or yf the sayd goods were not vendible in England. Because in these cases som notice was to be had of them by some magistrate, they added that revendition shold be permitted cum scitu et consensu Magistratus Elbingensis: /

*F. 146* in these Articles I have sett itt downe cum scitu et scientia by the consent of the Assistants.

I have bene enforced to deferr writinge to your honor untill this present houre that I must take wagon. For I had suche difficulty to agree the towne deputyes and Assistants, the Assistants being bent to have all libertyes here, that might any way further their commodityes; the deputyes of the towne havinge regarde to the Colloquy at Lewartow, could hardly be browght to assent to alter the same, as untill this verry mornyng the Artciles were not signed.

Therefore I am to crave pardon at your hands, for I fynd hit hard to please a multitude that will not respect the dyversity betwene on nation and another. Truly her Maiesty is much beholding to the Nobility. At their private convocations in every province the cause was preferred by the cheifest of them, and no doubt but it shall passe, yf the Deputy and Assistants that come to Warsow from the faire of Tourne will have respect to the tyme, and that no planting of suche a Society was perfited at the

first. I will do the duty of an honest man, and the Acts that shall passe, shalbe my warrant.

Because your honor may somewhat the better coniecture of the iniuries of the tyme here, I have sent you herewith the defence the Chauncellor hath published for the /

*F. 146 v* execution of Samuel Sborowsky, the which many judge will breede great troubles here; but for myne owne parte, I iudge the King to have forecast all daungers so well, as all wilbe ended with quietnes. And so God graunt, and send me a speedy retourne, to do you and her Maiesty service, as well at home as abrode. And so wishing your honor encrease of all things to your contentment, I most humbly take my leave.

At Elbinge the VII$^{th}$ of January after the old accompt 1584.

Yours honors at commaundment.
J Herbert.

*N. 167.*

*Zamoscii, 7 Octobris, 1588*

*Ioannes Zamoyski cancellarius Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*litterae commendatoriae*
*(orig.?)*
*Ms. Cotton Titus B VI, F. 119.*
*Eadem ac epistola edita ut supra, El. IV, N. 48, p. 89*

*N. 168.*

*Constanciae, 4 Decembris, 1415*

*Andreae Lascaris episcopi Posnaniensis*
*Sermo ad partes*
*In Concilio Constanciensi* congregatos
*(exemplar)*
*S.M. Cotton, Cleopatra E. II, F. 140-145 v.*

Iam impressa, *Acta Concilii Constanciensis*, ed. H. Finke, II, p. 216 sq., *ubi tamen datur* « die XIII Decembris » *sed perperam.*

*N. 169.*

*24 Novembris* [*1411*]

*Henricus IV, rex Angliae*
*ad Papam Ioannem XXIII*
*de discordia inter Regem Poloniae et Ordinem Teutonicum.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Cleopatra E. II.*

*F. 266* Beatissime Pater, humillima filiali recommendatione premissa. Sumentes ex eo fiduciam, quod inter assiduas curas sedis Apostolicae

sollicitudinibus incumbentes de statu salubri catholicorum orbis terre Principum, celsitudinis vestre benignitas interdum, ut convenit, sollicite cogitare curabit, ut apud eos vigeat pacis tranquillitas et solide quietis securitas habeatur, guerrarum turbine propulsato, non sine vehementi cordis nostri merore referimus Vestre Sanctitatis auribus inculcantes illius commocionis eventum, que inter regem Poloniae et sacre religionis virum fratrem Henricum de Plawen, Ordinis Theutonicorum magistrum generalem, verisimiliter quasi in proximo contingere poterit, nisi pacifici Regis Regum auxilio vestreque Sanctitatis providencia celerius extinguatur. Est ita, pater beatissime, prout fide digna relacione didicimus, quod super omnis dissencionis materia, que iam pridem inter Regem predictum ac Regnicolas eius ex parte una, et dictum magistrum suumque Ordinem atque terras eius ex altera vertebatur, quedam unio et amicicie fedus atque perpetua pax et concordia mediante tractatu parcium utrarumque inita fuerant et firmata. In quo quidem tractatu prefatus Magister Generalis et preceptores Ordinis antedicti se firmiter obligarunt in magna pecunie summa Regi prefato certis terminis persolvenda. Verum licet idem Magister et preceptores magnam eiusdem pecunie quantitatem undique cum maxima difficultate levatam dicto Regi persolverint et de residuo sibi satisfacere nequeant, saltem in terminis limitatis quantumcumque dispendium debeant propterea sustinere, pensato quod occasione guerre per prefatum Regem contra eos primitus intentate, non modica quin verius inestimabilia dampna susceperant, presertim in effusione tocius substancie erarii eorumdem ut asserunt, Rex tamen prefatus, ut dicitur, ipsorum impotencie nullo modo compaciens, pretextu non solucionis huius, occasionem querere nititur, ut guerra, que sperabatur hinc inde mortificata fuisse, in ipsorum excidium reviviscat, varias ligas et alligancias eciam per matrimonialia federa de sanguinis sui personis, et alias contra tractatum et concordiam huius cum Saracenis et infidelibus contrahendo.

Quapropter ad vestre beatitudinis clemenciam fida mente recurrimus devotissime supplicantes eidem, quatenus prefatum Regem allectivis Apostolicae Sedis apicibus atque nunciis inducere ac paternis monitis exhortari dignetur, quod prefatam concordiam iuxta vim, formam et effectum eiusdem teneat et observet, absque eo quod inter ipsum et prefatos infideles quevis alligancie contrahantur, maxime propter vitanda pericula, que fortassis in tocius christianitatis dispendium exinde potuerint exoriri, quodque ob reverenciam crucifixi nec non et Vestre Sanctitatis intuitu, dicto Regi complaceat consideracione gravaminum et dampnorum irreparabilium que Magister et totus Ordo predicti notorie sunt perpessi, summam huius non solutam in toto vel in parte graciose remittere seu saltem taliter prorogare terminos solucionis eiusdem, quod Magister et preceptores iidem absque finali exheredatione sua pariter et extremo status [a] eorum exterminio tantum onus solucionis huius valeant supportare.

Almam personam vestram in prosperitate votiva conservet, et concedat eidem de inimicis ecclesie triumphare. Scriptus XXIIII die Novembris.

a) fattus *Ms.*

# REGESTA

*N. 1.*

*S.l., s.d.* [*post 14 Augusti. 1616*]

*Ignotus* [*Wilhelmi Kettler secretarius?*]
*ad ignotum* [*Iacobum I regem Angliae*];
*exponitur « Discursus », in quo causa Wilhelmi et Friderici* [*Kettler*] *ducum Curlandiae, regis Poloniae feudatariorum, qui de violatione iurium nobilitatis Curlandiae aliisque factis citati et contumaces declarati, ab eodem rege ducatu Curlandiae privati sunt.*
*(exemplar), cum adnexis (NN. 2-11)*
*B.M. Royal 9 E.V.*

*N. 2.*

*Varsaviae, 5 Maii, 1616.*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*universis;*
*Fridericum et Wilhelmum duces Curlandiae, occisores Magni Noldii privat ducatu, quem a rege in feudum habuerunt.*
*(exemplar) Adnexus A ad « Discursus ». (v. N. 1)*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 3.*

*S.l., s.d.*

*Ignotus, nomine Sigismundi III regis Poloniae,*
*ad ordines et nobilitatem Curlandiae et Semigalliae amotis ducibus Curlandiae conventum sub commissariis regis celebrandum indicit.*
*(exemplar) Adnexus B ad « Discursus ». (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 4.*

*S.l., s.d.*

[*Sigismundus III rex Poloniae*]
*ad burgrabium aliosque cives civitatis Rigensis*
*de Wilhelmi et Friderici ducum Curlandiae destitutione et suspensione.*
*(exempl.) Adnexus C. ad « Discursus » (V. N. 1.)*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 5.*

*S.l., s.d.*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad dignitarios aliosque ducatus Pultensis*
*de Wilhelmo duce Curlandiae destituto.*
*(exemplar) Adnexus D. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 6.*

*S.l., s.d.*

*[Sigismundus III rex Poloniae]*
*universis in ducatu Curlandiae et Semigalliae*
*de destitutione et suspensione ducum Wilhelmi et Friderici, deque conventu per commissarios convocando.*
*(exemplar) Adnexus E. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 7.*

*[Sochaczów] 26 Maii, 1616*

*Sebastianus Kivalsky nomine Wilhelmi ducis Curlandiae et Semigalliae*
*ad capitaneatum Sochaczeviensem;*
*obtulit protestationem de absentia missorum ducis in comitiis Varsoviae.*
*(exemplar) Adnex. F. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 8.*

*Cracoviae, 17 Augusti, 1616.*

*Ioannes Borka a Skała nomine Wilhelmi ducis Curlandiae*
*ad capitaneatum Cracoviensem;*
*obtulit protestationem contra Henricum Firley vicecancellarium Regni.*
*(exemplar) Adnex. G. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 9.*

*Stericen.? 29 Iulii, 1616.*

*Sebastianus Kivalsky nomine Wilhelmi ducis Curlandiae*
*ad capitaneatum Stericensem.*
*Protestatur contra sententiam contumaciae in se latam.*
*(exemplar) Adnex. H. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 10.*

*Varsaviae, 27 Iulii, 1616.*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Martinum Laskowski instigatorem;*
*mandat ut compareat in causa ducis Curlandiae.*
*(exemplar) Adnex. I. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 11.*

*Cracoviae, 13 Augusti, 1616.*

*Ioannes Rostrieczky cum sociis, nomine Wilhelmi Curlandiae ducis*
*ad capitaneatum Cracoviensem;*
*recognitio in causa ducum Curlandiae*
*[exemplar] Adnex. K. ad « Discursus » (V. N. 1).*
*B.M. Royal 9 E. V.*

*N. 12.*

*Londini, 14 Decembris, 1558*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad universos;*
*Christophorum Mont commendat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 13.*

*Londini, 26 Decembris, 1558*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*pro libero transitu mercatorum.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 14.*

*Londini, 26 Decembris, 1558*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Albertum gubernatorem Vilnae*
*pro libero transitu mercatorum*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 15.*

*Westmonasterii, 8 Februarii, 1560*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae;*
*intercedit pro tribus mercatoribus Anglis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 16.*

*Westmonasterii, 8 Februarii, 1560*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*intercedit pro tribus mercatoribus Anglis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 17.*

*Westmonasterii, 8 Februarii, 1560*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses,*
*ut auctoritatem scriptorum confirment.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 18.*

*Westmonasterii s.d.,* [*1561-1562*]

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*Thomae et Guilelmi Martin causam Gedani actam commendat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 19.*

*Westmonasterii, 27 Martii, 1562*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*Thomae et Guilelmi Martin causam commendat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 20.*

*Windsoriae, 25 Aprilis, 1564*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de interventu regis in causa Guilelmi Martin gratias agit.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 21.*

*Windsoriae, 25 Aprilis, 1564*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses,*
*ut sententia in causa Guilelmi Martin exsequatur.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 22.*

*Londini, 25 Novembris, 1564*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae;*
*de recuperanda pecunia quam Ioannes Cop Thomae Allen solvere debet.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 23.*

*Grenvici, 17 Iulii, 1565*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae;*
*in causa Guilelmi Martin intercedit.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 24.*

*Grenvici, 8 Martii, 1565*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*gratias pro intercessione in negotio Thomae Allen agit, ulteriorem intercessionem expostulat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 25.*

*Westmonasterii, 8 Decembris, 1566*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*pro subdito suo Egidio Graye incarcerato intercedit.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 26.*

*Westmonasterii, 6 Decembris, 1566*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*pro subdito suo Roberto Nayler, cuius navis a Gedanensibus capta est, intercedit.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 27.*

*Westmonasterii, 20 Martii, 1566*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*de qualitate mercium conqueritur.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 28.*

*Westmonasterii, 18 Aprilis, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*de iniuria mercatoribus suis illata conqueritur, pro iisdem intercedit.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 29.*

*Windsoriae, 29 Septembris, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de navigatione Anglorum in Moscoviam, deque Gedanensium in eos abusu.*
*(concept. v. exemplar ff. 198 r.v.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 30.*

*Hamptoniae, 1 Novembris, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de bello inter reges Daniae et Sueciae, de speculatoribus maris, de iniuriis quas Gedanenses mercatoribus Anglis intulerunt.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 31.*

*Hamptoniae, 1 Novembris, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*causam se contra eos regi Poloniae commisisse nuntiat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 32.*

*Westmonasterii, 4 Martii, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*commendans Jacobum Spencer.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 33.*

*Westmonasterii, 2 Martii, 1567*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*de Thoma Allen mercatore.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 34.*

*Grenvici, 20 Maii, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*Jacobum Spencer commendat.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 35.*

*Grenvici, 20 Maii, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*intercedit pro Egidio Greie [Graye] Gedani incarcerato.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 36.*

*Grenvici, 3 Iulii, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de navibus mercatorum Anglorum a classe regis Poloniae captis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 37.*

*Grenvici, 3 Iulii, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses;*
*rogat, ut naves mercatorum Anglorum, quae in navigatione Narvica a subditis regis Poloniae captae sunt, iisdem mercatoribus reddantur.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 38.*

*Windsoriae, 3 Octobris, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum Augustum regem Poloniae*
*de negotio Guilelmi Martin cum Gedanensibus, deque navibus Anglis a rege Poloniae captis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 39.*

*Windsoriae, 3 Octobris, 1568*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad cives Gedanenses*
*de Guilelmi Martin negotio, deque navibus Anglis Gedani retentis.*
*(concept.)*
*B.M. Royal 13 B. I.*

*N. 40.*

*S.l., s.d., 1574*

*Hieronymus Lippomano*
*ad Senatum Venetiae.*
*Relatio de legatione in Polonia.*
*(exemplar a. 1583 confectum)*
*B.M. Royal 14 A. XIII, f. 121 r-196 r.*

*N. 41.*

*s.l., 1598*

*Relatio de Republica Polona.*
*(orig.)*
*B.M. Royal. 18. B.I. f. 1 r-112 v.*
*Eadem ac relatio iam edita in El. vol. XIII, pp. 3-165.*

*N. 42.*

*s.l., [1575]*

*Ignotus*
*universis*
*nuntiat regem Henricum e Regno excidisse.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Caligula E. VI.*

*N. 43.*

*Westmonasterii, 6 Octobris, [1429]*

*Henricus VI rex Angliae*
*ad thesaurarium;*
*iubet ut pecunia Guilelmo Clynt pro eius ad regem Poloniae legatione solvatur.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 44.*

*Petricoviae, 9 Ianuarii, 1456*

*Casimirus Jagellonicus, rex Poloniae*
*ad Henricum VI, regem Angliae,*
*de restaurato sibi dominio in terris Prussiae et Pomeraniae deque mercatorum Gedanensium navibus.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*N. 45.*

*Gedani, 24 Aprilis, 1523*

*Proconsules et consules Gedanenses*
*ad Henricum VIII regem Angliae*
*de damnis sibi illatis a rege Daniae, qui transitum navium per freta vetat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*N. 46.*

*Gedani, 15 Maii, 1526*

*Sigismundus I rex Poloniae*
*ad Henricum VIII regem Angliae;*
*pro Ioanne Molenbecke, cive Gedanensi, de haeresi accusato, intercedit.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*N. 47.*

*Cracoviae, 29 Ianuarii, 1527*

*Christophorus de Szydłowiec*
*ad cardinalem Wolsey, cancellarium Angliae,*
*gratias pro iuvene bene accepto agit, de rebus Hungariae, Turciae et Moscoviae narrat; litteras ad Henricum VIII scriptas commendat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 48.*

*Cracoviae, 30 Ianuarii, 1527*

*Christophorus de Szydłowiec*
*ad Henricum VIII regem Angliae;*
*gratias pro litteris sibi missis agit.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 49.*

*Cracoviae, 7 Maii, 1527*

*Sigismundus I rex Poloniae*
*ad Henricum VIII regem Angliae*
*de oratore regis Angliae a se recepto; de Ludovico Jagellonico apud Mohacs interfecto, de periculo ex parte Tartarorum, Turcarum, Moscorum, deque internis in Hungaria dissensionibus.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 50.*

*Cracoviae, 15 Maii, 1528*

*Christophorus de Szydłowiec*
*ad Henricum VIII, regem Angliae,*
*Stanislaum Cipser, mercatorem Cracoviensem, commendat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*N. 51.*

*Vilnae, 24 Iulii, 1551*

*Nicolaus Radziwiłł*
*ad Eduardum VI, regem Angliae,*
*Albertum Bischoff commendat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*N. 52.*

*Knissini, 4 Novembris, 1553*

*Sigismundus Augustus, rex Poloniae*
*ad Mariam, reginam Angliae;*
*Laurentium Fentzel Gedanensem commendat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton. Nero, B. II.*

*N. 53.*

*Varsaviae, 8 Iulii, 1554*

*Bona, regina Poloniae*
*ad Mariam, reginam Angliae;*
*de matrimonio cum Philippo, principe Hispaniarum congratulatur, Ioannem Laurentium Pappacoda oratorem accreditat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 54.*

*Knissini, 13 Iulii, 1567*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*de periculo, quod universae Christianitati ex parte Moscoviae minatur deque prohibendo cum ea mercatoribus anglicis commercio.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 55.*

*Knissini, 3 Martii, 1568*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*navigationem ad oras Moscoviae a se interdictam declarat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 56.*

*s.l. 13 Martii, 1568*

*Versio anglica abbreviata*
*epistolae praecedentis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 57.*

*Gedani, 10 Martii, 1568*

*Proconsules et consules Gedanenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de civium Gedanensium navibus captis.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*N. 58.*

*Knissini, 27 Aprilis, 1568*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de iniuria mercatoribus Gedanensibus in Anglia illata.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 59.*

*Gedani, 8 Novembris, 1568*

*Proconsules et consules Gedanenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*rogant, ut plena libertas mercaturam cum Anglia exercendi eis restituatur.*
*(orig. sigill.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 60.*

*Cracoviae, 21 Iunii, 1574*

*Senatus Regni Poloniae*
*ad imperatorem Maximilianum II*
*de Henrici regis e Polonia discessu.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 61.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad senatores et nobiles Poloniae*
*de suo consilio statim in Galliam clam proficiscendi.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 62.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad episcopum Cracoviensem [Franciscum Krasiński];*
*declarat se Regnum Poloniae et Franciae simul retinere velle.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 63.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad palatinum Cracoviensem [Ioannem Firlej] et alios;*
*rationes sui occulti et accelerati in Galliam discessus exponit et rogat, ut Senatus ei fidelis maneat.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 64.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad Ioannem a Tęczyn, castellanum Wojnicensem;*
*excusat se de tacito et celeri in Galliam recessu.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 65.*

*Cracoviae, 18 Iunii, 1574*

*Henricus rex Poloniae*
*ad Nicolaum Christophorum Radziwiłł*
*de eadem re.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 66.*

*Cracoviae, 29 Maii, 1576*

*Stephanus rex Poloniae*
*ad Henricum Galliarum regem;*
*de acceptato regno Poloniae nuntiat.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 67.*

*S.l., s.d.*

*Ignotus*
*ad rei memoriam*
*de candidatis ad coronam Poloniae post obitum Sigismundi Augusti.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 68.*

*Stobniciae, 10 Iunii, 1573*

*Petrus Zborowski palatinus Sendomiriensis*
*ignoto Gallo*
*Conradum Preslausky commendat.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 69.*

*Gedani, s.d.* [*Oct.-Nov. 1576*]

*Proconsules et consules Gedanenses*
*ad senatores Poloniae Torunii pro Comitiis congregatos;*
*conqueruntur de iurium suorum limitatione, aliisque praeiudiciis; de fidelitate erga regem Poloniae testantur; rogant ut senatores coram rege intercedant.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 70.*

*S.l., s.d.*

*Ignotus*
*breviter refert de privilegio a rege Poloniae [Stephano] civitati Gedanensi concesso et die 12 Dec. 1577 publicato; sequitur relatio de supplica, ab eadem civitate prius eidem regi praesentata.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*N. 71.*

*Constantinopoli, 1578*

*Ignotus*
*ad usum officii*
*Versio anglica declarationis pacis, quam Murad III Turcarum imperator fecit Stephano regi Poloniae anno 1577.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 72.*

*s.l., s.d.*

*Ignotus*
*ad usum officii*
*refert de oratione, quam orator imperatoris Turcarum habuit in audientia coram rege Poloniae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 73.*

*Elbingae, 20 Novembris, 1581*

*Proconsules et consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*respondent ad postulata, quae Ioannes Rogerius, orator reginae, eis proposuit.*
*(orig., sigill.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 74.*

*Elbingae, 14 Novembris, 1584*

*Proconsul et consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*ad litteras reginae de constituenda Elbingae residentia Angliae respondent, re ad regem comitiaque Poloniae remissa.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 75.*

*Grenvici, 16 Ianuarii, 1584*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Stephanum regem Poloniae;*
*rogat, ut Anglorum mercatorum sedes Elbingae constitui possit.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 76.*

*Regiomonti, 6 Aprilis, 1585*

*Fridericus de Hohenzollern dux Prussiae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*ad litteras reginae respondet de sua erga religionem catholicam aversione simul ac de fidelitate erga regem Poloniae protestatur.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 77.*

*Steckbourgi, 23 Augusti, 1586*

*Sigismundus haeres Sueciae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*Ioannem a Beltzegk, germanum, commendat.*
*(orig., sigill.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 78.*

*Wadsteni, 22 Maii, 1587*

*Sigismundus haeres Sueciae*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*Joachimum Scheel, servitorem suum, Hispaniam mari petentem, commendat.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 79.*

*Elbingae, 1589*

*Christophorus Parkins*
*ad Franciscum Walsingham secretarium regium*
*de conflictu inter oratorem Poloniae et oratorem Hispaniae in Curia Imperiali.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 80.*

*[Elbingae], 16 Maii, 1589*

*Christophorus Parkins*
*ad Franciscum Walsingham*
*de quibusdam litteris reginae Elizabethae.*
*(concepti fragmentum)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 81.*

*Elbingae, 6 Septembris, 1589*

*Cives Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*gratias agunt ob litteras, quas regina scripserat a. 1588 ad eorum regem Sigismundum III; ulteriores intercessiones in favorem civitatis Elbingensis petunt.*
*(orig., vest. sigilli)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 82.*

*Varsaviae, 6 Aprilis, 1590*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Muradum III sultanum;*
*respondet ad litteras, in quibus sultanus postulat, ut Cosaci pro incursibus in terras Turciae a rege Poloniae puniantur.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 83.*

*Grenvici, 28 Iulii, 1590*

*Elizabetha regina Angliae* *(vet. styl.)*
*ad Sigismundum III Poloniae regem*
*de quadam nave naufragium passa in Anglia.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II. F. 179.*
*Eadem ac epistola iam edita in volumine El. IV, pp. 96-97, N. 53.*

*N. 84.*

*Varsaviae, 12 Augusti, 1590*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*commendans Henricum Franklin.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 181 v.*
*Eadem ac epistola iam edita in volumine El. IV, p. 98, N. 54.*

*N. 85.*

*Varsaviae, 13 Octobris, 1590*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de panno anglico coemendo et exportando.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B .II, F. 182 v.*
*Eadem epistola iam edita in vol. El. IV, p. 103-4, N. 59.*

*N. 86.*

*Elbingae, 30 Octobris, 1591*

*Proconsules et consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de re residentiae anglicae in civitate Elbingensi a rege Poloniae ad comitia Regni remissa.*

*(orig., sigill.)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 87.*

*Varsaviae, 20 Ianuarii, 1591*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de legatione hispanica inhibita; de residentia anglica in civitate Elbingensi; de libero commercio mercatoribus anglicis in portu Elbingensi, aliisque portibus Poloniae, concesso.*

*(orig., sigill.)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 88.*

*s.l., 28 Decembris, 1591*

*Summaria litterarum quarundam*
*reginae Elizabethae*
*in Poloniam missarum.*
*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 186-187.*
*Eadem ac illa edita in vol. El. IV, pp. 146-8, N. 101.*

*N. 89.*

*Elbingae, 23 Decembris, 1592*

*Proconsules et consules Elbingenses*
*ad Elizabetham reginam Angliae;*
*pro litteris receptis gratias agunt; referunt de difficultatibus ex parte comitiorum Regni Poloniae ad residentiam anglicam Elbingae instituendam.*

*(orig., sigill.)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 90.*

*Zamoscii, 11 Octobris, 1593*

*Ioannes Zamoyski*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*pro Sigismundo Bathoreo, Transilvaniae principe.*
*(orig.)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 91.*

*Albae Juliae, 3 Septembris, 1593*

*Sigismundus Bathoreus, princeps Transilvaniae*
*[ad Ioannem Zamoyski]*
*de secretario suo, ad reginam Angliae misso.*
*(orig. sigill.)*
*B.M. Cotton Nero, B. II.*

*N. 92.*

*Cracoviae, 21 Martii, 1594*

*Orator Angliae Christophorus Parkins*
*Sigismundo III regi Poloniae*
*dat rationes de interceptione navium Gedanensium.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 192-194.*
*Eadem ac epistola iam edita in vol. El. IV, pp. 166, N. 114, data autem 12 Martii.*

*N. 93.*

*Cracoviae, 20 Martii, 1595*

*Orator Angliae*
*ad cancellarium et vicecancellarium Poloniae*
*de interceptione navium ab Anglis facta.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero B. II, F. 195-6.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 168-9, N. 115.*

*N. 94.*

*Cracoviae, 20 Martii, 1595*

*Orator Angliae*
*ad cancellarium et vicecancellarium Poloniae*
*petens responsum.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 196 v-7.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, p. 169, N. 116.*

*N. 95.*

*Cracoviae, 10 Aprilis, 1595*

*Orator Angliae*
*ad referendarium Poloniae*
*de responso petito et non dato.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton Nero, B. II, F. 197 v-198.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, p. 169, N. 117.*

*N. 96.*

*Stockholmiae, 20 Iulii, 1594*

*Sigismundus III rex Poloniae*
*ab Elizabetha regina Angliae*
*petit satisfactionem pro iniuriis a classiariis illatis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 198-199.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 156-7, N. 107.*

*N. 97.*

*S.l. 16 Martii, 1594*

*David Pope, civis Gedanensis*
*ad episcopum [vicecancellarium Poloniae]*
*de modo operandi piratarum anglicorum.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero B. II, F. 200-201 v.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 153-4, N. 105.*

*N. 98.*

*Londini, 16 Martii, 1594*

*Christophorus Parkins*
*ad David Pope;*
*respondet de damnis ab eodem passis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 202-203 v.*
*Eadem epistola edita in vol. El. IV, pp. 155-156, N. 106.*

*N. 99.*

*[Cracoviae], 1 Aprilis, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad vicecancellarium Poloniae*
*de navibus anglicis a Polonis captis deque inhibita exportatione frumenti polonici in Hispaniam.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 100.*

*Cracoviae, 2 Aprilis, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad mercatores anglicos apud Elbingam*
*de concessione regia circa edictum Elizabethae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 208-208 v.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 164-5, N. 112.*

*N. 101.*

*s.l. 2 Iulii, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de aucta Summi Pontificis [Clementis VIII]*
*auctoritate in Polonia.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 102.*

*s.l. 7 Iulii, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de difficultatibus, quas in Curia Poloniae habet;*
*remedia proponit.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 103.*

*s.l. 17 Iulii, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de exportatione frumenti ex Polonia in Hispaniam.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 104.*

*s.l., 15 Novembris, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de rebus Transilvaniae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero B. II.*

*N. 105.*

*s.l., 19 Novembris, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de eadem re.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 106.*

*s.l. 4 Decembris, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de eadem re.*
*(exemplar)*

*N. 107.*

*Elbingae, 28 Maii, 1595*

*Orator Angliae Christophorus Parkins*
*ad vicecancellarium Poloniae*
*conqueritur de litteris regis Poloniae.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 214-217.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 171-3, N. 119.*

*N. 108.*

*Grenvici, 15 Iulii, 1595.*

*Elizabetha regina Angliae*
*ad Sigismundum III regem Poloniae*
*de damnis subditorum regis sarciendis.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 217-219.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 175-7, N. 121.*

*N. 109.*

*Londini, 1595*

*Christophorus Parkins*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de rebus gestis in Polonia.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B.B. II, F. 220-223.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 177-182, N. 122.*

*N. 110.*

*Constantinopoli, 10 Februarii, 1596*

*Legatus anglicus*
*ad Ioannem Zamoyski, cancellarium Poloniae;*
*suadet ut amicitia servetur cum Anglia et Gallia, cumque sultano; dissuadet concordiam cum Hispania et Austria.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 111.*

*Londini, 1597*

*Paulus Działyński*
*ad Elizabetham reginam Angliae*
*de libera navigatione tempore belli.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 226-228.*
*Eadem ac epistola edita in vol. El. IV, pp. 192-5, N. 131.*

*N. 112.*

[*Londini, c. 25 Iulii, 1597*]

*Consiliarii* [*Elizabethae reginae Angliae*]
*ad* [*Georgium*] *Lismanum*
*de mercatoribus civitatum Hanseaticarum, de residentia anglica Elbingae.*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 113.*

*Grenvici, 25 Iulii, 1597*
*(vet. stylo)*

*Elizabethae reginae Angliae*
*ad Paulum Działyński*
*responsum*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 232.*
*Eadem ac oratio edita in vol. El. IV, p. 192, N. 130.*

*N. 114.*

*Grenvici, 25 Iulii, 1597*
*(vet. stylo)*

*Elizabethae reginae Angliae*
*ad Paulum Działyński*
*responsiones*

*(exemplar)*

*B.M. Cotton, Nero, B. II, F. 233-237.*
*Eadem ac responsio edita in vol. El. IV, p. 195-202, N. 132.*

*N. 115.*

[*Constantinopoli*], *s.d.*

*Sultanus Turcarum* [*Mahomet III*]
*ad Sigismundum III regem Poloniae;*
*nuntiat se mense Martio proximo bellum Austriae illaturum, regem Poloniae ad bellum contra Transilvaniae principem incitat.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 116.*

*s.l., 11 Septembris, 1597*

*Christophorus Parkins*
*ad Robertum Cecil*
*de commercio civitatum Hanseaticarum cum Hispania, inprimis de civitatibus Gedanensi et Elbingensi.*
*(exemplar)*
*B.M. Cotton, Nero, B. II.*

*N. 117.*

*Gedani, 10 Augusti, 1598*

*Georgius Carew*
*ad Gedanenses*
*de negotiis mutuis.*
*(exemplar)*
